


3
5
494
BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE • FIRENZE •





DE

IMITATIONE CHRISTI

ET CONTEMPTU MUNDI

OMNIUMQUE EJUS VANITATUM LIBRI IV

CODEX DE-ADVOCATIS

SÆCULI XIII

EDITIO SECUNDA

CUM NOTIS ET VARIIS LECTIONIBUS

CURANTE

EQUITE G. DE-GREGORY

J. U. DOCTORE PRÆSIDE HONORARIO IN SUPREMA REGIA CURIA AQUARUM-SEXTIARUM

PARISIIS

TYPIS FRATRUM FIRMIN DIDOT

REG'S ET REG. INSTITUTI TYPOGRAPH.

VIA JACOB. XXIV

M DCCC XXXIII

DE IMITATIONE CHRISTI.

CODEX DE-ADVOCATIS

SÆCULI XIII.

(EDITIO SECUNDA, EMENDATA ORTHOGRAPHIA.)

DE
IMITATIONE
CHRISTI

ET CONTEMPTU MUNDI
OMNIUMQUE EJUS VANITATUM LIBRI IV.

CODEX DE-ADVOCATIS
SÆCULI XIII.

EDITIO SECUNDA.

CUM NOTIS ET VARIIS LECTIONIBUS

CURANTE
EQUITE G. DE-GREGORY,
J. U. DOCTORE PRÆSIDE HONORARIO IN SUPREMA REG. CURIA
AQUARUM-SEXTIARUM.

PARISIIS,
TYPIS FRATRUM FIRMIN DIDOT,
REGIS ET REG. INSTITUTI TYPOGRAPH.
VIA JACOB. XXIV.
M DCCC XXXIII.

CLAR. LECTORI
SALUTEM.

Codicem Ms. De-Advocatis vetere orthographia ad centum exemplaria Bibliophilorum gratia typis mandavi, dein secundam hanc editionem magis accuratam tibi, benigne Lector, lubens offero, a XIII sæculi mendis expurgatam, ut variantes lectiones Auctorisque mentem facilius dignoscas, quæ quidem mens a glossatoribus atque editoribus fuit pro libitu obscurata et sensus hinc inde inversus.

Manutii, Lipsii, Grotii, Schrevelii, Gronovii, Grævii jampridem, Ernestii, Davisii, Oberlini, Lemairii, Orellii ad-præsens, diligentia codices veterum scriptorum cum notis, commentariis ac variorum lectionibus illustravit: cur non et Tractatum de Imitatione Christi et Contemptu Mundi omniumque ejus vanitatum?

Si latini sermonis ibi non invenitur prisca elegantia, id Historici sæculi barbariei, quo et scientiæ et artes Benedictinorum gratia vix exsurgebant, non inconsulto ascribunt; at nemo adversabitur, Librum istum præter sacrorum Bibliorum, Ecclesiæ Patrum, ac veterum Philosophorum sublimiores sententias, ea quæ ad vitam honeste, sancteque regendam homini permaxime sunt necessaria, includere.

Non inconsulto itaque D.D. Karolus De-Borromæis, Ignatius De-Loyola quotidie legebant, comitemque de Imitatione libellum ferebant, ut consilia ex eo haurirent.

Sapientissimi Cardinales Baronius et Bellarminus de hoc opere disserentes, non posse legi, quin in diem trahatur inde utilitas, pluries sunt testati.

Unde et Leibnitius [1], et Fontenellus et Petrus Cornelius omnes præstantissimum

1. « L'Imitation de Jésu-Christ est un des plus excellents traités qui ayent été faits. Heureux celui qui en pratique le contenu, non content de l'admirer. » Leibnitz, *Lettres*, pag. 77. Vid. Valart. edit. 1758.

de Ethica tractatum hunc prædicarunt.

Nil mirum si bis-mille editiones, omnibus fere linguis ac idiomatibus, hujus Libri enumerantur; nam magnus ille Cancellarius De-Marillac, non temere « Primum ac præcipuum Auctorem esse Spiritum Sanctum, quod scire sufficit, etsi alius auctor libri ignoretur » pronunciavit; quæ sententia SS. Philippi Neri, Pii V, et Francisci Salesii judicio consonat.

Si Patriæ amor, si veritatis studium, ad edendum Codicem De-Advocatis me impellunt, Christianorum, gentiumque utilitatem etiam cordi habui, eamque versionibus Libri istius, Deo opitulante, curabo.

Parisiis, die 11 Augusti MDCCCXXXIII.

P. GASPAR DE-GREGORY.

PRÆFATIO.

De vero auctore pretiosissimi tractatus de Imitatione Christi et contemptu mundi omniumque ejus vanitatum jam disseruimus in Historia Vercellensis litteraturæ et artium [1]. Multiplicibus argumentis comprobavimus auctorem libri fuisse et doctum et pium monachum, Johannem Gersen a Canabaco [2], ab anno 1220 ad 1240 abbatem celeberrimi Mauriniani monasterii [3] Sancti Stephani de Castro in Vercellarum antiquissima urbe: monachum sane dignum qui cum Cassiodoro, Gregorio, Isidoro, Ildephonso, Beda, Damasceno, Alcuino, Rabano, Bernardo, cæterisque Sancti patris Benedicti alumnis comparetur.

Advertimus insuper Gersenem hunc confundendum non esse cum abbate Johanne Scotto [4], neque cum abbate Thoma [5] Gallo, popularibus nostris: nam primus initio sæculi XIII decretalium fuit professor,

1. *Istoria della Vercellese letteratura ed arti di G. De-Gregory.*
Patriæ....scribere jussit amor. Ovid. Heroid. IV.
Tom. IV *in* 4.° *grande con* 40 *ritratti e* 22 *monumenti inediti. Torino* 1819. 1820. 1821. 1824. *Tipografia Chirio e Mina.*

2. Vide specimen Codicis Allatii, ibi: «Johannis de Canabaco» vel Cabanaco, hodie *Cavaglià*, qui vicus est in agro Vercellensi. Tab. V, pag. XXXVI.

3. Videantur Corbellinus, Ab-Ecclesia, Bellini, Modena, Rossotti, Cusano, Ferero, Durandi, Mulatera cæterique qui de venerabili Gersen scripserunt, quique majore fide digni sunt utpote historiæ patriæ callentissimi.

4. *Concordantiæ auctoritatum Sacræ Scripturæ juxta ordinem librorum Bibliæ, in quibus loci juris canonici reperiuntur, per egregium virum D. Johannem decretorum Doctorem, Vercellensem abbatem, collectæ.* 1490. *Bellovisio.*

5. Monachus benedictinus fuit, præceptor S. Antonii Patavini, uti etiam nunc cernitur Vercellis in suo mausoleo pictus, veste fulva benedictinorum more

alter vero a Guala De-Bicherijs[1], ditissimo Cardinale, circa annum 1219, monasterio S. Andreæ, propriis sumtibus fundato, fuit præpositus, hujusque diligentia illud gothicum elegans templum fuit erectum prope cœnobii claustra ad instar illius, quod *Winchester* etiam nunc exstat.

Clarissimus D. Gence, in suo libro *De Imitatione Christi ad pervetustum exemplar internarum consolationum, Parisiis, an.* 1826, nostram respuens opinionem, me ad polemicam dissertationem[2] ampliori modo edendam impulit, quæ quidem dissertatio doctis viris non fuit improbata.

Videas ergo quo loco sint habendi Gersoniani atque Kempenses fautores omnes, duobus[3] abhinc sæculis disputantes: nam Johannes Gerson, cancellarius ille parisiensis, anno 1363 natus, et Thomas a Kempis, canonicus regularis, an. 1380 ortus, nondum in vivis

indutus. Vid. Marten Excursu italico. Historia Vercellensis Tom. 1, p. 349. Valgravius Arg. Chronolog. *Histoire littéraire de France*, tomes XVI et XVII.

1. Bicherius Goala nobilis patricius Vercellensis fuit, ao. 1208 ad Florentiam apostolicos legatus, ao. 1212 ad Philippum Augustum, ut causam divortii componeret, an. 1216 in Angliam ad Henricum tertium, largitionibus ibi donatus, uti Matthæus Paris., Baluzius, Hume, Capefigue, etc., enarrant.

2. *Mémoire sur le véritable auteur de l'Imitation de Jésus-Christ, par G.* De Gregory, *chev. de la légion d'honneur, membre de plusieures académies.* 1827. Paris. Vol. in 12, pp. 140.

3. Brunetus Karolus, in suo dictionario bibliographico 1821, scripsit *Imitatione Christi (de) Libri* IV. « *Quel est le véritable auteur de ce livre?*

Deux siècles de dispute sur ce sujet n'ont pu nous l'apprendre, et plus de cent vingt ouvrages écrits pour éclaircir la question n'ont servi qu'à rendre la solution plus difficile. »

Doctor Sorbonicus et Canonicus L'Ecuy, jam ordinis Præmonstratensis abbas generalis, in suo libro de Gersonis vita 1832, ait: *A la suite de l'*Apologia pro Joanne Gersonio, *Leyden* 1676, *se trouve une dissertation sur l'auteur de l'Imitation, que quelques écrivains, et récemment encore un moderne, ont attribuée à Gerson. Le résultat d'un examen approfondi de cette question longtemps débattue est que le véritable auteur de ce livre admirable est encore incertain.* Vid. Tom. II, pag. 289, 291.

erant tum, cum libellus de Imitatione Christi jam in nostra Italia devotorum manibus volveretur.

En codicem De-Advocatis sæculi XIII, a Viris Palæographiæ peritissimis ita judicatum ut infra ostendemus. (Documentum I, pag. XLV.)

Codex iste duabus ligneis tabulis, more veteri, indutus, nitidissimis ac subtilibus membranis varia manu stilo ferreo vel argenteo a sedulis amanuensibus conscriptus apparet, ac cum suo originali collatus ex marginalibus et linearibus correctionibus comprobatur.

Istum pretiosum codicem minima elegantiorique forma, fere quadrata, Numinis providentia nobis mirifice obtulit Parisiis die IV Augusti 1830 apud bibliopolam Techener[1], atque illico in prima lignea interiori tabula sequentes inscriptiones deteximus.

1° 1550 3 *Maij, ad usum Dom. Hieronymi de-Advocatis, civis Yporediee.*

2° *Ad usum quoque Paraclitum.*

3° *Ad usum Hieronimi* (hoc nomine deleto) *Federici Advocatis Ceridoni*[2] *scripsi* 1568. 4 *die May.*

4° *Ad usum Hieronimi Advocatis.*

Dein in postrema pagina membranacea, quæ adhuc nitida remanebat, posteaquam recentior amanuensis sæculi XVI scripserat *Gersonis Cancellarii tractatus de meditatione cordis* (Vid. Tab. III, pag. XXVII), leguntur sequentia:

1° *Nota quod de anno* 1527 *furmentum valuit florenos duodecim ad omnem cursum; aliqui fuerunt qui vendiderunt duodecim cumdimidio pro singulo sextarjo.*

1. *Je soussigné déclare avoir acheté, en la ville de Metz, chez M. Lévi libraire, un petit Ms. sur parchemin, contenant les quatre livres de l'Imitation de Jésus-Christ, que j'ai vendu le 4 août 1830 à M. le Président De-Gregory.*

Paris, le 2 octobre 1832. J. Techener.

2. Olim Cæsariani supra auriferos Victumulos montes, Romanorum fodinæ. Videatur Durandi *Della Condizione del Vercellese.*

Item Siligo valuit florenos undecim ad omne cursum. Milium florenos octo. Ciceri[1] *scutos duos solis. Fabe florenos novem cum dimidio. Melica*[2] *florenos sex.*

Item in dicto anno Hispani fuerunt Rome, et dicta civitas Rome fuit sacheziata, duravit saccum decem dies, postea ipsi fuerunt Gubernatores Rome Hispani, et hoc fuit die 16 maij.

Iste liber est ad usum mei Hieronimi de-Advocatis e dominis Cerridonij canonici Ypporediensis.

Item in dicto anno ut supra furmentum valuit scutos tres solis pro singulo sextario, et siligo flor. duodecim pro singulo sextario

2° *Incurrunt aliud Paulus... meditantes de Solio.*

3° *Librum possedere Hieronymum* (hoc deleto legitur supra) *Federicum Advocatum.*

4° *Librum posidere Hieronimum Advocati.*

5° *Iste devotissimus liber concessus est ad usum Fratr. Johannis de Pasqualibus ordinis minorum.*

Advocatorum nomen, et antiquitate generis et gloria majorum longe maximum, floruit in litteraria Vercellensium Republica[3], unde jam a sæculo VII in historia nostra recensuimus beatum Isidorum de Advocatis[4], e Dominis Cerridonij.

Postmodum sæculo XII præcellebant beata Bononia Avogadra de Quinto, atque Vercellarum episcopi An-

1. Ciceri et Fabe: ita vitioso more, atque mendosa orthographia, quam servavimus textus autographi observantissimi.

2. In libro *De la culture du Riz, avec indication des moyens propres à former des rizières sans porter atteinte à la salubrité publique. Paris* 1818. *Vol. in* 8.°, jam demonstravimus melicam ab Oriente in Italiam sæculo XIII fuisse traductam; contenderunt tamen celeberrimi Humboldtus et Cuvier melicam non ante Christophori Columbi montisferratensis expeditionem cognitam fuisse.

3. Videantur: Della Chiesa, *Corona reale*, Muratori *Antiquitates Italicæ medii ævi*, *Thesaurus Statuum Sabaudiæ*, et *Istoria della Vercellese letteratura* etc.

4. Non confundendus cum Isidoro Episcop. Hispalensi, ut demonstravimus pag. 164 Vercellensis historiæ, Tom. 1.

selmus, Gisulphus, sanctus Albertus, omnes ex Advocatorum gente.

Sæculo vero XIII, non sunt prætermittendi beatus Philippus Advocatis a Carisio, S. Dominici assecla et fundator an. 1219 conventus, Vercellis, S. Pauli; Martinus Advocatis a Quaregna, Vercellensis episcopus; Aymonus de-Advocatis, episcopus Augustæ-Prætoriæ.

Tandem initio sæculi XIV, celeberrimus Rainerius Advocatis de Valdengo, episcopus Vercellensis, qui Dulcinum[1] Gazzarorum sectatorem in montibus Triverii debellatum, die 7 junii 1307, flammis damnavit.

Nil verisimilius est, quam aut Martinum, quem Innocentius IV feudo Cerridonij donavit, aut Rainerium jam circa finem sæculi XIII, canonicum sancti Eusebii, qui Vercellis erant, codicis istius scriptionem mandasse... Sed conjecturis monumenta subjiciantur.

Nostrum est in primis ostendere anno 1527 Hieronymum de-Advocatis, qui prolixam notam scripsit in fine codicis, inter vivos fuisse. Ex cathedralis Ecclesiæ Yporediensis archivio[2] constat, hunc Hieronymum de-Advocatis, ex DD. Cerridonij Cæsaris filium, anno 1524, inter illius ecclesiæ canonicos fuisse receptum, hinc optasse ad varias dignitates, et anno 1549 fato functum. (Documentum N° II, pag. XLIX.)

De istius codicis De-Advocatis origine et traditione postea inquirentes, feliciter urbanitate DD. Crispini, et Gustavi, avi et nepotis, De-Advocatis comitum

1. Videantur Muratorios rerum italicarum tom. IX, *Historia Dulcini*, Raoza *del primo ingresso de Vescovi in Vercelli*, Synodus Vercellensis 1749, L'Ecuy, *Vie de Gerson* tom. I, et *Storia della Vercellese letteratura*, tom. I, pag. 383. Dulcinus ejusque assectator Longinus Cataneo coogregationem spiritualem in Alpibus Grajis instituerant, cujus fundamenta in communitate bonorum omnium ad instar Apostolorum, et in voti castitatis contemtu consistebant, unde et confusio bonorum, et pravitas morum eveniebant.

2. Vide Necrologicum ab anno 1524 ad 1549 (inter Documents N. II).

Valdengi, Cerridonij, etc., urbis Bugellæ patriciorum, authenticam sequentem accepimus chartam, nec non characterum specimen ac litterarum uti in hic adjuncta Tab. I fideliter exhibemus.

Anno Domini 1831, *die* 25 *Novembris*, *in civitate Bugellæ olim Vercellensis ditionis* [1] *ego infrascriptus Ignatius Dionisio Notarius regius attestor, quod in libro manuscripto nobilis familiæ De-Advocatis Valdenghi, Vilani, Montis-Caballi, Cerridonij, Querenicæ, Ceretti, Maxaxiæ, etc., quem nobis obtulit clarissimus comes Gustavus Avogadro De-Advocatis Valdenghi leguntur sequentia*:

§ 1. (Sic incipit.) Die 7ma Martii an. 1345 nevicavit multum in castello Valdengi, ac facit tempus horribile, res insolita fere hoc tempore.

8va Meus Maxarius a latronibus rediens a Platto[2] assassinatus[3] fuit, vulneratus fuit.

§ 2. Laus Deo in nomine Domini. Amen.

Die 11ma mensis Februarij an. 1349. Hodie mea mulier hora septima matutina genuit filiam: nominata fuit Catharina, fuerunt Patrini cognatus meus, et mulier sua.

12ma Pluvia maxima hodie cadit, Cibia[4] inondavit

1. Anno 1152, Diploma Frederici I Rom. Regis, quo Ecclesiæ Vercellensi ejusque Episcopo jura in Bugellam etc. confirmat. Anno 1263, Statutum fuit editum, in quo legimus: 1° Quod Potestates præsentes et futuræ teneantur præcise dare operam cum effectu, quod loca et terræ Bugellæ, Andorni, Crepacorii, Montis Caprelli, et aliarum terrarum, de quibus fuit facta venditio Communi Vercellarum per Gregorium de Monte-Lungo anno 1243, tunc Sedis Apostolicæ Legatum, recuperentur. Videantur *Durandi della Condizione del Vercellese. Istoria della Vercellese letteratura*, *Tom.* IV, *pag.* 513; ibi legitur: Anno 1379 actum deditionis Civitatis Bugellæ Comiti — Amedeo VI Sabaudo ac conventionis capita.

2. Platto pagus est prope Valdenghum, vulgo *Piatto* dictus.

3. *Assassinatus* vocabulum vulgare italum, quod significat deprædatus.

4. Cibia, rapidus torrens prope Valdenghum et Cerretum.

SPECIMEN DIARII AB AN. 1345 ad 1550.

Joseph De advocatis 1349

1 4. Die Dominica mensis februarii post divisionē factā cū fratre meo
Vincentio qui clericus est abiit in signū fraterni amoris quod hoc tpral 61 tātū
ipulsus negociis feci dño ile precessit .ll. ll. ez de mutatione expr quod hoc ab
agribus meis longamanu teneo nam nulli antenates mei plurius sem recordorunt.

Bugellae die 29 martij – In quorum fidem
Gustavus de Advocatis
1832

Prasses de Gregory Diraxit

Perret. Parisiis Incid

meum pratum Olmetti, et eradicavit multas arbores, grave damnum attulit.

13us Sequitur pluvia et inondatio. Vicarius perpetuus Parochiæ Sancti Blasij Valdenghi obijt in odore sanctitatis D. Lexona Carolus.

15us Die Dominica[1] mensis februarji post divisionem factam cum fratre meo Vincentio qui Ceridonji abitat in signum fraterni amoris quod hoc temporalibus tantum impulsus negotis feci, dono ili preciosum Codicem de Imitatione Xρti quod hoc ab agnatibus meis longa manu teneo nam nonnulli antenates mei huius jam recordarunt.

Versus finem ultima capita Diarij recensentur.

Anno 1350, die 4 Julij, tempestas maxima devastavit omnes colinas Cossati[2] multumque damnum inferit.

12mo Mea mulier correpta fuit gravi morbo accidentali de Apoplexia.

Explicit hisce verbis finis illorum quæ remanent hujus Diarij.

Hæc omnia continentur in Manuscripto lacero foliato quem Joseph De-Advocatis appellat suum Diarium[3] *et in quo notabat omnia quæ ipsi eveniebant mercuriales aliaque ejusmodi. Per copia conforme desunta dell' originale presentatomi*

Ignazio Dionisio † Notajo.

Omnia supra contenta ex meo libro familiæ excerpta, authenticam hanc copiam affirmo et testor. In quorum fidem Datum Bugellæ die 25 *Novembris* 1831.

Comes Gustavus Avogadro De Valdengo.

1. Vide Specimen Diarij in hac Tab. I fideliter excusum.

2. Vinum Cossati apud Bugellam celeberrimum ac generosum.

3. Descriptionem Diarij ejusdem dein obtinuimus ut infra; nam Avi nostri solebant scriptis mandare temporum chronica et annales conficere, ut Muratorius tradit. Isti annales in domorum parietibus descripti etiam Romanorum tempore erant usui, ut Polybius testatur lib. v, 33.

Authenticam esse nos infrascripti testes etiam affirmamus. Masserio Aventura Felix Testis † Ceruti Joseph Testis †.

Visto per legalizzazione della sottoscrizione in forma autentica qui contro esistente del Signor Ignazio Dionisio notajo esercente in questa provincia. Biella, li 25 9.bre 1831. G. Simonino Prefetto[1].

Gambarova † Segra assunto.

Quæsivimus dein descriptionem illius pervetusti monumenti, quod in archivo familiæ servatur; quam authenticam obtinuimus:

Descriptio Diarij Josephi De Advocatis: lacerum illud videtur pene in omnibus folijs, superest ab anno 1345 *usque ad annum* 1350, *nec in hisce annis integrum, nonnulli menses tantum.*

Nullæ adsunt adnotationes; solum in margine aliquando invenitur vox Diarium, *nomen* Joseph De-Advocatis *aliaque plura nomina nihil significantia, nec non verba ad nihil necessaria; in simplici charta exaratus est. Dat. Bugellæ,* 31 *Januarij* 1832.

Ignatius Dionisio † Notarjus.

V° per legalizzazione il p° di Febbrajo, ut sup., *etc.*

Quid adhuc objici poterit huic patrio atque inconcusso documento, cui respondent subscriptiones et vario charactere et varia manu et varia ætate a DD. De-Advocatis in tabula lignea, vel in ipso Codice appositæ?

Quid refragari possit judicio adeo doctorum hominum (vide Documentum I), qui scripturam Codicis sæculo XIII vel ineunti XIV adsignarunt?

Gersoniani igitur Kempensesque omnes, ... valete.

1. Nullus hic relinquitur cavillandi locus, dum Præfectus illius regii prætorii authenticam Notarij confirmavit, non falsi postulandi, cum Notarius, Testes, Comes Gustavus De-Advocatis, et specimen Diarij, veritatem testentur.

DESCRIPTIO
HISTORICO-CRITICA MSS. CODICUM
DE IMITATIONE CHRISTI.

CAPUT PRIMUM.

Codices perantiqui ac editiones sæculi XV, absque Auctoris nomine[1], *recensentur.*

In Vercellensi litterarum et artium Historia, dein in polemica Dissertatione nostra jam probavimus *Libellum de Imitatione Christi* primitus tractatum fuisse scholasticum, a novitiorum Magistro elaboratum et in schola[2] scriptis mandatum.

Demonstravimus insuper hujus libelli tam variantes lectiones in manuscriptis Provincialibus, Flandricis, Germanicis, Gallicis, Hispanis atque Italis, esse tribuendas, vel Auctori ipsi qui quotannis suas, pro more, emendabat lectiones, vel alumnis, qui ex longinquis

1. Nulla Congregatio religiosa tot recenset anonymos auctores, quam Benedictina, uti in catalogo suo de regula S. Benedicti Calmetus aperte demonstrat.

Clarissimus San Leger opportune scripsit : *Le livre de l'Imitation de Jésus-Christ, le plus beau, le meilleur qui soit sorti des mains des hommes, a d'abord paru sans nom d'Auteur. Voyez Dissertation.* 1775. *Paris in* 8.

2. *Constituenda est ergo a nobis Dominici schola servitij*, ait S. Benedictus in prologo suæ regulæ. Certumque est scholas primitus in monasteriis, dein in cathedralibus Ecclesiis, ad instruendos et clericos et laicos, fuisse institutas ac floruisse præcipue in Italia sæculo XIII. Vide Calmetum ut supra.

regionibus Vercellas ab anno MCCXXVIII[1] ad novum convenerant Athenæum, unde mendosas aut incertas reportarunt lectiones, vel glossatoribus qui textum ad libitum invertebant, ut ex codicis Bobiensis variantibus facile dignoscitur.

Hæc insuper comprobantur codicis De-Advocatis lectione, qui Codex ad instar autographi videtur, et in quo sensus nitidior elucet, raro reperiuntur discordantiæ, et italicæ XIII sæculi orthographiæ, dudum corrupta latina lingua, se produnt indicia, uti in apposito elencho clarius referemus. Vid. pag. 351.

Ad descriptionem Codicum Auctoris carentium nomine procedens, nostrum esse puto ex temporum serie illos enumerare.

N. I. Codex sæculi XIII De-Advocatis dictus a primo quem comperi possessore Josepho De-Advocatis Valdengi ac Cerridonij domino, qui anno 1349 Codicem istum tenebat fratrique suo Vincentio donavit, uti ex transcripta charta, ac dato specimine in Tabula I, pag. VII manifeste probatur.

Descriptio Codicis De-Advocatis.

Iste pretiosissimus Codex formæ quasi quadratæ, uti ex hac Tabula II adparet, charactere gothico novo ac rotundo[2], lituris ferme nullis fuit nitidis membranis stilo ferreo[3] vel argenteo exaratus, ejusque vetustatis hæc habentur palæographica indicia.

1. Conventionem a legatis Reipublicæ Vercellensis Patavii habitam cum Rectoribus collegiorum Hispanorum aliarumque nationum die 4 Aprilis 1228 refert Durandus in citata historia. Vid. Tiraboschi, Tom. 4.; Zaccaria *Itinerario*, et nostra Historia Vercellensis litteraturæ Tom. 1, pag. 256.

2. Scriptura recentior gothica sæculo XII tribuitur, neque alia illa est, quam latina corrupta et compendiosa scriptura.

3. *Ne quid præsumat Monachus habere proprium, neque codicem, neque tabulas, neque graphium :* Cap. XXXIII Regulæ Sancti Benedicti. Graphio utebantur monachi ad scribendos codices, ut asserit Calmetus.

SPECIMEN CODICIS DE ADVOCATIS.

Ex lib. III Cap. 23.

fie in loco primo atque ita libenter despicabilis et abiectus nullius quam nominis et fame
sic ceteris honorabilior et maior in mundo. Nam voluntas tua et amor honoris
tui omnia excedere debet: et plus cum consolari magis quam placere quam omnibus beneficiis sibi
datis vel dandis. De quatuor magnam importantibus pacem. Capitulum 23um

Fili nunc docebo te viam pacis et vere libertatis. Fac domine quod dicis
quia hoc mihi est gratum audire. Stude fili alterius potius facere vo-
luntatem quam tuam. Elige semper minus quam plus habere. Quere semper inferiorem
locum et omnibus subesse. Opta semper et ora, ut voluntas dei integre in te
fiat. Ecce talis homo ingreditur fines pacis et quietis. Domine sermo
tuus iste brevis multum continet perfectionis. Parvus est dictu, sed plenus
sensu et uber in fructu. Nam si posset a me fideliter custodiri non deberet
tam facile in me turbatio oriri. Nam quotiens me impacatum sentio et
gravatum ab hac doctrina me recessisse invenio. Sed tu qui omnia potes et animae
profectum semper diligis adauge maiorem gratiam ut possim tuum complere sermo-
nem et meam perficere salutem. Oratio contra cogitationes malas

Domine deus meus ne elongeris a me deus meus in auxilium meum respice
quoniam insurrexerunt in me cogitationes varie et timores magni affligen-
tes animam meam. Quomodo pertransibo illesus? quomodo perfringam eas? Ego inquit
ante te ibo et gloriosos terre humiliabo. Aperiam ianuas carceris et archana secretorum
revelabo tibi. Fac domine ut loqueris et fugiant a facie tua omnes iniquae
cogitationes. Haec est spes et unica consolatio mea ad te in omni tribu-
latione confugere, tibi confidere, ex intimo invocare, et patienter consolationem
tuam expectare. Oratio pro illuminatione mentis.

Clarifica me bone Iesu claritate eterni luminis. Educ de habitaculo
cordis mei tenebras universas. Cohibe evagationes multas et
elide vim facientes temptationes. Pugna pro me fortiter, et expugna
malas bestias, concupiscentias dico illecebrosas, ut fiat pax in virtute tua
et habundantia laudis tue resonet in aula sancta, hoc est, in conscientia pura. Impera
ventis et tempestatibus. dic mari quiesce. Dic aquiloni ne flaveris et erit
tranquillitas magna. Emitte lucem tuam et veritatem tuam ut luceant super terram, quia terra sum
inanis et vacua donec illumines me. Effunde gratiam tuam desuper perfunde
cor meum gratia celesti, ministra devotionis aquas ad irrigandum faciem terre,
ad producendum fructum bonum et optimum. Eleva mentem pressam mole peccatorum et ad

Praeses De Gregory delin. *G. A. Sasso Taurin. incid.*

1° Capitula libelli I^mi^ numeris romanis usque ad IV^um^, dein ab octavo usque ad tertium decimum signavit scriba; cætera, excepto xxviii, notis arabicis adnotavit.

Sed hæc aliter opinantibus nil prosunt ad Codicis istius antiquitatem infirmandam : nam Silvester Papa secundus jam ab anno 999 abaco favebat arabico, et Guidus Aretinus sæculo XI numeris utebatur arabicis. Post vero Leonardus ille ditissimus Pisanus mercator anno 1180 arabicas arithmeticæ computationi aptavit notas, uti Paravellius[1] et Trombellius testantur.

Nil itaque mirum si in nostro Codice modo romanos numeros, modo arabicas notas adhibuerint ad libitum amanuenses.

2° Littera *I* nunquam hoc Codice punctis, raro accentibus[2] notatur, litteræ vero *F* et S non infra lineam protenduntur, uti in postremo tractatu de *Meditatione Cordis* (Tab. III. pag. xxvii) conspicitur.

Quam quidem tabulam diligenter incidendam curavimus, ut persuadeatur Domino Gence qualis quantaque sit distantia temporum inter characteres libelli de Imitatione Christi, et alterius prædicti tractatus, qui ad Parisiensem Cancellarium Gerson pertinet, ut ex speciminum comparatione ejus dubium evanescat.

3° Non frequentioribus contractionum signis in verborum desinentia Codex noster videtur onustus, idque evincit ab autographo fuisse transcriptum.

4° Marginales sæpius sunt correctiones, et si voca-

1. *De l'origine des chiffres, Paris* 1826. *Trombelli, l'arte di conoscere l'età de' codici latini ed italiani.* 1756. *Bologna. Vol. in-8.*

2. Vetera diplomata ac manuscripta ante XV sæculum præbent litteram I accentibus acutis distinctam, tum cum ageretur de non confundendis litteris M vel N cum littera I, uti in tabula iii dignoscitur.

Vid. Fumagallum et Mabillonium, lib. 1, de re diplomatica, pag. 53; Struvium atque Claudium de Molinet in epist. 1674 ad DD. Dherouval Cotelier et Du Cange conscriptam. Vid. Amort pag. 9 Moral. Certitud.

bulum aliquod immutatur, non abrasum, sed inferius punctis tantum vel lineolis est emendatum.

5° Capitulum 39um lib. III ita inscriptum: *Quod homo non sit importunus in negotiis,* fuerat ab amanuensi omissum, at mirifice litteris microscopicis in ima pagina distinctius legitur, quod fuisse Codicem passim cum primævo suo collatum evidenter ostendit.

6° Scribendi compendiis in nostro Ms. juxta Trombellii[1] regulas inspectis, Codex ad sæculum XIII pertinere videtur: nam incerta fuit amanuensium manus dum scriberent Xptus, Cptus[2] pro *Christus*, No., N. pro *non*, To vel Tota pro *totam*, neque ulla constans fuit regula orthographica, uti ex vocabulis compluribus in speciminibus a nobis adjunctis Tab. II, pag. x, et III, pag. XXVII aperte patet.

7° Litteræ majusculæ, *Fili*, *Domine*, *Clarifica*, quales in Tab. II conspiciuntur, Codicis antiquitatem produnt, uti ex pluribus diplomatis regii Taurinensis archivi liquet.

8° Orthographia Codicis, in editione primæva a nobis diligentius servata, corruptionem linguæ latinæ et vulgaris nostræ prima incunabula patefacit; hæc etiam deformatæ latinitatis vocabula, respondent Ludovici X de Sabaudia diplomati[1], quod incipit Anno Domini XPti MCC octogesimo quinto sumpto millesimo in Paschate[2], etc. Hic illic legimus vocabula *Indicione*, *Guillelmum*, *Pertinencijs*, *Peticionem*, *Marcij*, *Eciam*,

1. Trombelli in citato libro, cap. xv, asserit compendia scripturæ fuisse sæculo XIII in Italia adhibita, eorumque usum usque ad sæculum XV perdurasse.

2. Nomina Yhesu et Xptus solis initialibus litteris expressa scripturæ antiquitatem evincunt. Nos *p* pro ρ usi necessitate typographica sumus.

3. Hæc charta in regio Rationalis Curiæ archivo adservatur Taurini.

4. Computabant olim annum a die 25 Martii, a die Incarnationis Christi, uti adhuc mos est in Curia Romana.

Pacionibus et alia. Hæc quidem linguæ corruptio etiam in operibus sæculo XV italice conscriptis deprehenditur, uti in Catechismo beati Antonini episcopi, ibi: *Prudentia*, *Afflictione*, *Adversitate*, *Fructi*, *Paradixio* vel *Paradisio*, *La Santa Madre Gesia*, *Dedicatio de Sancto Michaelle*, etc., quæ pariter vocabula italæ illo tempore nascentis dulcissimæ linguæ sunt argumenta.

9° Temporale adverbium *Cum*, non *Quum*, semper legitur in nostro Codice, e. g.: *Cum se subtrahit*, *cum temptamur*, idque veteri Romanorum usui consentaneum juxta Quintilianum, Lib. I, Cap. VIII.

10° Ante XV sæculum, nulla admirandi nec exclamandi signa, neque parentheses in usu erant; solumque interrogandi punctum adhibebatur.

11° Diphthongi raro in Mss. XIII sæculi reperiuntur, quia renascentibus tunc scholis ob celeritatem dictionis illos præteribant discipuli, quod etiam summeque scribis placuit.

12° Tandem noster Avogadrensis Codex fuit die 9 Augusti 1830 a claris DD. Lepine, Guerard, Audifredo, aliisque regii parisiensis archivi custodibus comparatus cum Codd. Cavensi, Bobiensi, Bisciano, Montovano et aliis manuscriptis quæ e nostra Italia per Mabillonem an. 1686 fuerunt allata, cumque celeberrimo Codice *Gerardi Montis* in instrumento 1671 descripto et ab anno 1400 designato, nostrumque Codicem illis omnibus antiquiorem esse agnoverunt.

Quod quidem judicium ab eruditis Palæographis Italis, Germanis, Flandricis atque Gallis confirmatur, uti ex Documento N° I constat. Vide pag. XLV.

N. II. Codex sæculi XIV, Thevenotianus[2] dictus a

1. Vide Ms. *Catechismo di Frate Antonino de Florencia.*

2. Vide N.° 3591. Cod. Membran. in 4.° regiæ bibliothecæ Parisiensis, Graece pag. LXI. Vide catalogum Mss. ejusdem Biblioth. anno 1748, ubi

possessore D. Thevenot, ibi: *De imitatione Christi et contemptu omnium vanitatum mundi.* In eo primus liber reperitur solus et in fine legitur *Expliciunt Admonitiones ad spiritualem Vitam.*

N. III. CODEX SÆCULI XIV, GERARDI-MONTENSIS[1] in Hannonia; ibi: *Admonitiones ad spiritualem vitam utiles.. Qui sequitur me. Admonitiones ad interna traentes.* Legimus in fine *Explicit libellus Admonitionum ad interna trahentium.. Incipiunt Admonitiones de sacramento Altaris* (Vid. Documentum III, N° 9.).

In instrumento 1663 die 13 Januarii per Notarium publicum Bruxellensem rogatum in Gerardemonte, testatur is se in ima pagina Codicis legisse ante annum MCCCC, uti in instrumento 1671 videri potest.

N. IV. CODEX SÆCULI XV, CLARAMONTANUS[2], tribus tantum partibus constat, scilicet 1° *De interna conversatione*, 2° *de interna Christi collocutione*, 3° *de perfecta imitatione Christi... Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, dicit Dominus.* In fine teste Valgravio legitur *A sancto fratre Cartusiensis ordinis factus.*

N. V. CODEX AN. 1417, LEODIENSIS I[us],[3] monasterii benedictini; post anni indicationem legimus fol. 48.: *Incipit devotum exercitium de Sacramento Eucharistiæ.* Hujus libri quarti varias lectiones exstant in regia

legitur: *Is Codex decimo quarto sæculo exaratus videtur.* Dein Mabillonius eundem Cod. ad annos quadringentos accedere judicavit in Tab. XV Diplomatum, N° 4. Vid. Amort pag. 184 Speciminum.

1. Vide N° 837 dictæ bibliothecæ Cod. in pergamena scriptus, quem Mabillonius anno 1350 adsignat Speciminum Tab. XV, et Amort Speciminum pag. 184. Vid. Gence p. XXXV, ubi instrumentum transcribit.

2. Vide N° 3629 Catalogi regiæ Paris. Bibl. ibi: *Iste codex papyraceus in 4° ad sæcul. XV pertinens judicatur*; ibique exprimitur spectasse ad Philibertum Delamarre, Senatus Divionensis consiliarium. Sirmondus ad sæculum XIV eundem retulit, quia lineolæ, non puncta super litteram *i* videntur.

3. Vide Instrumentum 1671 inter Documenta N° III., pag. LII. Codex chartaceus, productus in consessu Parisiensi.

Bibl. Mscript. Chart. 88, opus Maurinorum S. Germani a Pratis (Vid. Documentum III, N° 6.).

N. VI. CODEX AN. 1421, MELLICENSIS I[us] [1] ex monast. S. Benedicti an. 1089 fundato Mælckii, oppido prope Danubium sito (Vid. Documentum III, N° 5.).

Post tractatus varios legitur *Libellus de Reformatione hominis qui in quatuor partes dividitur. Primus de Imitatione Christi et Contemptu omnium vanitatum mundi*, sequuntur opuscula varia Johannis Gerson [2], tum Contemplatio Sancti Bernardi de passione Domini, et in fine codicis *Explicit contemplatio de passione Domini finita an. XXI*, in die S. Johannis Baptistæ.

N. VII. CODEX AN. 1429, LEODIENSIS II[us], continens librum tertium *De interna Christi locutione ad animam fidelem*, nullius auctoris nomen præbens, uti Gence ipse fatetur.

N. VIII. CODEX AN. 1433, WIBLINGENSIS[3], monasterii ord. S. Benedicti in Suevia, continens librum primum et secundum *de Imitatione Christi*. In fine legitur *Explicit tractatus scriptus in Concilio* Basileensi anno MCCCCXXXIII, vel anno 1430 juxta Valgravium.

N. IX. CODEX AN. 1433, WEINGARTENSIS[4], ord. S. Benedicti abbatiæ Vinearum in Suevia. Incipit *de Imitatione Christi qui sequitur me*, in tres tantum partes divisus; et in fine tertii libri legitur *Explicit liber internæ consolationis finitus an. Dom.* MCCCCXXXIII *secunda feria ante festum Assumptionis B. V. Mariæ*

1. Vid. Instrumentum 1671, N° v. Ibi legitur descriptio hujus Codicis papyracei in 8°. Vide Quatremairium et Chart. 88, ut supra.

2. In hoc Codice extat tractatus *de Consolatione Theologiæ Johannis Gerson Cancellarij Parisiensis*, ab eo compositus Rothenburgi, cum profugus anno 1417 vagaretur Ducis Burgundiæ vindictam metuens. Cur itaque libellum de Imitatione sub ejusdem Gersonis nomine non legimus?

3. Vide Chart. 88 N° 6 in dicta reg. Bibliotheca.

4. Vide Instrumentum 1671, N° III, ibi: Codex papyraceus in 8°.

per me fratrem Conradum Ebersperg. tunc temporis conventualem in Weingarten. (Vid. Docum. III, N° 3.)

N. X. CODEX AN. 1434, MELLICENSIS IIus[1], ex eodem monasterio Sancti Benedicti; ibi post alia *Libellus de Reformatione hominis, qui in quatuor partes dividitur 1° De Imitatione Christi. 2° Admonitiones ad interna trahentes. 3° De interna Christi consolatione. 4° De sacramento Altaris.* Huic libro subjuncta fuere tria capita, uti in cod. Allatii: vide in fine notam adjectam cap. XVIII libri IV. Vide Valgravium pag. 88.

Post plura alia opera Chrysostomi, Bernardi, et Gersonis Cancellarii legitur *Explicit die Kiliani* XXXIV, id est anno 1434 (Vid. Documentum III, N° 4.).

N. XI. CODEX AN. 1436, PADUANUS, a Mabillone in bibliotheca Sanctæ Justinæ[2] ord. S. Benedicti repertus, cujus titulus de *Imitatione Christi;* partim vitiatus, in quatuor libros divisus, ut ait Mabillon, reticens utrum Gersonis vel Kempis nomine inscribatur.

N. XII. CODEX AN. 1437, AUGUSTANUS Ius[3], ex monasterio Sancti Udalrici apud Augustam Vindelicorum; ibi *Tractatus Qui sequitur me scriptus in Concilio Basileensi anno* MCCCCXXXVII *et finitus per Giorgium de Gottinga. Liber secundus, Admonitiones ad interna trahentes per manus Philipp. Lessat, anno* MCCCCLI *scriptus* (Vid. Documentum III, N° 2, pag. LII.).

N. XIII. CODEX AN. 1447, COLONIENSIS, monasterii Sanctæ Barbaræ. Sub titulo *De interna Christi locutione ad animam fidelem cujusdam Cartusiani libri tres.*

1. Vide Instrumentum 1671, N° V, ibi: Codex papyraceus in quo habentur *Considerationes* XXV *de Confessionibus audiendis Gersonis Cancellarij Parisiensis.* Sed ejus nomen non exprimitur, cum agitur de Libello Imitationis Christi in eodem Codice eodemque tempore conscripto. Quid igitur?

2. Monasterium an. 420 a Consule Rosio fundatum, cui adhærebat cœnobium monialium. Vid. Lobin. Vid. pag. XXXIV.

3. Vide Instrumentum 1671, N° II, ibi: Codex papyraceus in 4°.

N. XIV. CODEX AN. 1448, BRULLENSIS, monasterij Sancti Emmerani prope Ratisbonam, *De Imitatione Christi libri duo scripti anno* MCCCCXLVIII *per manus fratris Johannis Pejoris.*

N. XV. CODEX AN. 1456, BLESENSIS[1]; a possessore cameræ computorum consiliario ita appellatus. In hoc codice post multa et varia Gersonis cancellarii opuscula reperitur ait (Gence) *libellus de Imitatione Christi per Hermannum ord. Eremitarum* MCCCCLVI, absque auctoris nomine, quod tamen opportunum erat indicare, si libellus Gersonis credebatur.

N. XVI. CODEX AN. 1458, PARCENSIS I, in monasterio Carthusiano B. Virginis de Parco prope Cenomanum; ibi post tractatum Papæ Innocentii III *de miseria conditionis humanæ*, sequitur *Tractatus de Imitatione Christi;* ad calcem exscriptor addidit *Anno Domini* MCCCCLVIII *fuit completus liber iste, et est de domo Parcensi ordinis Carthusiensium.*

N. XVII. CODEX AN. 1458[2], SANCTÆ CRUCIS PARISIENSIS, ordinis S. Augustini La Bretonnerie; ibi inter plura opuscula SS. Augustini, Bonaventuræ, Bernardi, leguntur *Admonitiones bonæ et utiles ad Religiosos*, et primo *De Imitatione Christi*, sequitur *alius libellus devotus De interna conversatione.* Dein *Soliloquiorum S. Augustini anno Dom.* MCCCCLVIII.

N. XVIII. CODEX AN. 1460, PARCENSIS II, ad Carthusianos eosdem Cenomanenses spectans, in quo duo libri *de Imitatione Christi* reperiuntur, atque in fine *Explicit liber Dei.. nuncupatus: Qui sequitur me, quem*

1. Vid. in reg. Bibliothecæ Mss. Parisiensis indice N° 2922; relatus iste Codex fuit inter membranaceos Cod. Sæc. XV.

2. Codex chartaceus in 4° pertinens ad D. Gence, ut ipse testatur.

composuit Religiosus quidam ordinis Carthus. pro omnibus religiosis[1] *et presbyteris Deo devotis.*

Ætas hujus codicis in 4° ex posteriori tractatu a Fr. Johan. Pomerio scripto anno MCCCCLX tribuitur.

N. XIX. CODEX 1463, BRUXELLENSIS, ex Carthusianis S. Martini, ibi : *Tractatus peculiaris de imitatione Christi scriptus an.* MCCCCLXIII, absque nomine, ut P. Chifflet testatur.

N. XX. CODEX AN. 1468, BELLOVACENSIS vel SANT-HILARIENSIS, ita a Mabillonio[2] appellatus, quia pertinebat ad canonicum illius Ecclesiæ, dein ad Dom. Saint-Hilaire præceptorem filiorum marchionis de Feuquiere.

Post libros *de Imitatione Christi*, in quorum secundo effigies monachi albi depicta ostenditur, legitur in fine *Nos F. Julianus de Flor, et F. Nicolaus Rovello visitatores ordinis Montis* (*Oliveti*) *concedimus usum hujus libri Fratri... ad beneplacitum Domini abbatis generalis et successorum suorum anno Domini* MCCCCLXVIII.

N. XXI. CODEX AN. 1468, WALLONICUS[3], ita designatus quia in Gallo-Flandrico scriptus idiomate *De l'imitation et du contempnement de soy et du monde : copié en* MCCCCLXVIII *par un homme à l'âge de 70 ans.*

N. XXII. CODEX CÆLESTINORUM[4] dictus, absque anni nota, ibi : *Sequitur tractatus de Imitatione Xpti et contemptu vanitatum mundi.* Legimus in fine codicis

1. Opinio jam invaluit, uti demonstravimus, tractatum fuisse a Monacho benedictino ad usum religiosorum ac præsertim novitiorum compositum.

2. Mabillonius nobis istius Codicis specimen præbet in Tab. XV, N° 7, Lib. VI de *Re diplomatica.* Amort. Specimen exhibet pag. 184 Moral. Certitud.

3. Iste Codex papyraceus in 4° ad Bibliothecam regiam Parisiensem devenit ex libris Bruxellensis Canonici Van-den Block.

4. In bibliotheca Taurinensis Athenæi, N° M. V. 12 bis. Codex iste in-12 membranaceus servatur ex dono D. Gence, qui ex gratia Præfecti illius bibliothecæ acceperat tabulas incisas speciminum Codicis Aronensis, ut ipse fatetur.

Explicit tractatus[1] *primus de Imitatione Xpti*, et sequitur tractatus secundus : *De interna Christi collocutione*, ac tertius : *Liber internæ consolationis ;* sed liber quartus non reperitur, solum in ima pagina prima charactere recentiori ignoto legitur : *Celestinorum Parisiensium Codex hic ad sæculum* xv *spectare videtur.*

N. XXIII. CODEX BRUGENSIS[2], domus monachorum Vallis-Gratiæ carthusian. anno 1318 institutæ, ut ex hist. Flandriæ adparet. Ibi : *Opus de Musica ecclesiastica in tres partes, quarum prima Qui sequitur me*, absque indicatione anni; attamen ipse Gence existimat scripturam et formam codicis eamdem exhibere ætatem illius codicis jam supra indicati, ad Cælestinos pertinentis.

N. XXIV. CODEX MAZARINEUS[3], dictus a possessore Cardinali Mazarino; inscribitur *Libellus devotus de Imitatione Christi, Qui sequitur me. Liber primus*, deinde legimus tractatum de arte moriendi.

In littera Q initiali conspicitur imago monachi Rhabani episcopi Moguntini an. 856, sic in margine nominatus ab alio scriba.

N. XXV. CODICES AVENIONENSES quatuor, *De Imitatione Christi*, quorum tres mutili, ut Carolus Paugens in sua gallica bibliotheca testatur.

Isti codices ad Villænovæ benedictinos spectabant, absque nomine auctoris nec ulla anni designatione.

1. Jam diximus hunc librum fuisse primitus tractatum scholasticum, quod quidem confirmatur titulo hujus vetustissimi codicis, et aliis.

2. Codex iste membranaceus in 4° scripturam et formam et ætatem exhibet illius, qui, ex dono *Magistri Johannis de Gersono Cancellarii Parisiensis ad Monasterium Cælestinorum Sanctæ Trinitatis de Marcossiaco*, pertinebat, uti testatur D. Gence in sua descriptione critica.

3. Codex chartaceus in 4° exstat in regia bibliotheca Parisiensi sub N° 3592, atque in indice ad sæculum XV pertinens dijudicatur.

N. xxvi. Codex Bethleem[1], ita dictus a monasterio Canonicorum regularium prope Lovanium.

Incipit *Admonitiones ad vitam spiritualem utiles;* deinde, *Admonitiones ad interna trahentes.*

Adnotat D. Gence nomen Kempis a possessore codicis fuisse ad marginem inscriptum absque ulla anni designatione.

N. xxvii. Codex Abbavillensis[2], in conventu Fratrum Minorum S. Francisci repertus.

Inter plura alia opuscula legitur ibi: *Admonitiones ad interna trahentes,* deinde *De Conversatione interna.*

N. xxviii. Codex Lebeufiensis[3], a possessore suo D. Lebeuf vocatus, ibi : *Incipit liber valde notabilis et cuilibet Religioso summe necessarius in spirituali vita proficere cupienti et primo de Imitatione Christi* etc.

Libri tres tantum exstant, et, ut asserit D. Gence, variantes, ut codices Augustanus secundus et Parcensis alter, præ cæteris præbet lectiones sive mutando sive addendo, vel explicando, quod erat glossatorum proprium, uti demonstrabimus..

N. xxix. Codex San-Martiniensis, ex monasterio Campensis S. Martini Parisiorum appellatus. *Libri quatuor de Imitatione Christi.* Suam editionem Vallartus curavit hoc Ms. inspecto, sed non satis accurate.

N. xxx. Codex Rebdorfiensis, Canonicorum regular. in Franconia apud Eystadium, ibi : *Tractatus de Imitatione Christi*, *lib.* iv, editus anno 1621 a Rosweydo sub nomine Johannis Buschii, teste Trithemio.

1. Codex membranaceus in 16mo Cod. Theunotiano similis. Vid. pag. xiii.

2. Codex papyraceus in 8°; ad sæculum XV refertur in catalogo bibliothecæ regiæ Mss. N° 3758.

3. Codex gothicus membranis et papyro mixtus in 8. D. 627, qui servatur in reg. bibliotheca Parisiensi dicta *de l'Arsenal.* Ex nota, sæculo XV adsignatur, et Cap. xxv Lib. 1 legitur *Attende Cluniacenses*, *Cistercenses*, etc. Vide pag. 343, ubi nonnullæ variantes hujus Codicis adnotantur.

Editiones XV sæculi absque auctoris nomine describuntur.

N. 1. 1487. Editio[1] Basileensis dicta; in fronte legitur: *Tractatus aureus et perutilis de perfecta Imitatione Christi et vero mundi contemptu. Qui sequitur me.* Vol. in-8, libri v, cum tractatulo *De meditatione cordis*. Joh. Gerson, anno MCCCCLXXXVIII.

N. 2. 1493. Ed. Parisiensis in-4. *Le livre très salutaire de l'Imitution de notre Seigneur et parfait comptempnement de ce présent misérable monde, translaté du latin en françois pour la consolation des simples non saichant entendre le latin.*

N. 3. 1498. Editio Rothomagensis. *De l'intérieure Conversation.* Cum hac subscriptione: *Cy finit le livre* De Imitatione Christi et de contemptu mundi, *translaté du latin en françois et imprimé a Rouen l'an* 1498, *faite par un religieux de la Marche pour le comte d'Armagnac.* Vol. in-8.

N. 4. 1500. Ed. Parisiensis. *Le livre très salutuire*

1. Nil mirum si plures Codices Mss. anonymi, quam editiones reperiuntur. Id facile intelligitur, nam primævæ editiones, post artem mirifice adinventam a Guttembergo, fuerunt illic ex Ms. Antuerpiensi depromptæ, ad cujus calcem minio scriptum legitur *Finitus et completus anno Dom.* 1441, *per manus Fratris Thomæ Kempis in monte S. Agnetis.* Unde scriba pro auctore fuit renunciatus.

In Gallia dein Gersoni plurimæ fuerunt editiones adsignatæ e Codicibus 1460 vel 1472 Gersonianis dictis a pil doctoris effigie in primo folio depicta

Nulla fuit de vero Auctore dubitatio promota, nisi per Aronensem adinventum codicem anno 1616. Illico polemicæ sunt exortæ quæstiones, et dum Romæ 1639 sacra Cardinalium Congregatio pro benedictino Johanne Gersen statuebat et *decrevit posse rite imprimi Romæ vel alibi Libellum de Imitatione Christi sub nomine Johan. Gersen de Canabaco, Abbatis Monasterii S. Stephani Vercellensis Ord. S. Benedicti*, Parlamentum 1650, Lutetiæ, opus Thomæ Kempensi per sententiam adjudicabat. Quæ quidem suprema decisio postea fuit a Doctorum consesso per instrumenta 1671 et 1687 reprobata (vide pag. XLIII et LVII): ex quo quamplurimæ postea editiones usque nunc anonymæ volgatæ fuerunt, inter quas Bodoniana et Didotea laudantur.

de l'Imitation de notre Seigneur Jesu Christ et du parfait contempnement de ce monde misérable, donné en latin : De Imitatione Christi et contemptu mundi, *et qui comance* Qui sequitur me non ambulat in tenebris. *Paris, chez Lenoir, 4°, gothique, vers l'an* 1500.

CAPUT SECUNDUM.

Codices veteres atque sæculi XV editiones enumerantur, qui Divi Bernardi, Thom. a Kempis, et Johan. Gersonis cancellarii Parisiensis nomina referunt.

§ I. Codices Sancto Bernardo, Abbati Clarævallis, adsignati.

N. 1. Codex 1467, Tolosanus[1], ita dictus, quia Tolosæ repertus, continet gallicam versionem librorum IV de Imitatione Kristi cum proœmio. *Cy commence le livre très salutaire de la Ymitation de Jhesu Christ, et du mesprisement de ce monde, composé en latin par S. Bernard[2] ou aultre devote personne, attribué à messere Jehan Gerson, chancellier de Paris, et translaté en françois en la cité de Tholose.*

Nonne hæc erat eadem versio (ait D. Gence) quæ juxta recognitionem publice actam anno 1467 pertinebat ad captivum comitem J. Engolismensem[3] eique solamini fuit? Si ita esset, vel ante medium sæculi decimi quinti haberetur operis hujus gallica versio.

1. Codex membranaceus in fol. elegantissimæ et optimæ notæ, ac pervetustum exemplar referens, servatur in regia Mss. bibliotheca Parisiensi sub N° 7276.

2. *On est généralement convaincu qu'on avait tort de attribuer ce livre à St. Bernard mort en* 1153, *c'est-à-dire,* 29 *ans avant la naissance de St. François d'Assises dont au Chap.* 50 *du Liv.* III *de l'Imitation est parlé. Telle est l'opinion de M. S. Léger, dissertation de* 1775 *à Paris.*

3. *Inventaire des livres trouvez en l'armoire de feu Monsieur le* 1 *Juin* 1467. *Art.* 1. *La imitation de S. Bernard.* Videatur Delfau in editione secunda 1674.

N. II. CODEX SANGENOVEFANUS[1], ex canonica S. Genovefæ parisiensi. *Incipit opus B. Bernardi saluberrimum de Imitatione Christi, quod Johanni Gerson Cancellario parisiensi tribuitur, Qui sequitur me* etc.

In prima littera Q[2] cernitur (ait Gence) monachi albi, quasi abbatis Clarevallensis esset imago, uti in codicibus Cavensi et Bellovacensi ostenditur.

N. III. CODEX RAITEN HASLACENSIS, Monast. Cisterciens. sub titulo *Tractatus Divi Bernardi abbatis Clarævallis de Imitatione Christi*, uti legimus in catalogo Mss. bibliothecæ regis Bavariæ.

Editiones XV sæculi D. Bernardo tributæ.

N. 1. Editio absque anni[3] et loci indicatione. *Incipit opus B. Bernardi saluberrimum de Imitatione Christi et comptemptu mundi quod magistro Johanni Gerson cancellario parisiensi attribuitur. Libri quatuor.* Vol. in-12. circa annum 1480. Argentorati.

N. 2. Editio 1481, Brixiana prima in-12, ibi: *Incipit opus saluberrimum Bernardi de Imitatione Christi quod mesere Johanni Gerson cancellario parisiensi tribuitur.* Impressum Brixiæ per Jacob Britannicum.

N. 3. Editio 1485, Brixiana[4] secunda in-12 per Jacobum Britannicum, ut supra; ibi Statius Achilles adnotavit: *Impressio vetus Brixiana S. Bernardo tribuit hunc libellum. Revera tamen hanc sententiam temere in vulgus emanasse ipsa temporum ratio demonstrat. Nam auctor libelli in testem Divum Franciscum appellat, dum Bernardus jam anno 1153 a mortalibus re-*

1. Codex membranaceos in 8° servatus in bibliotheca Pantheonis N° 413, quem clariss. Dopin anno 1681 ante ducentos annos ad minimum exaratum judicavit. Videatur Bibliotheca Eccles. Tom. XII, sæculi XV, pag. 555.

2. Continebatur olim imago, sed hodie membrana illa avulsa videtur.

3. D. Gence existimat eam fuisse impressam ao. 1480 in urbe Argentorati.

4. Forsitan hæc editio juxta Ms. Genovefaeum fuit nobis præbita.

cesserat, *Franciscus vero anno* 1226 *quo tempore Joh. Gersen abbas Benedictinus adhuc Vercellis docebat.*

N. 4. Editio 1487, Basileensis[1]. *Qui sequitur me* etc.

N. 5. Editio 1488, Tolosana, ibi : *Cy commence le livre salutaire la Ymitation de Jhesu Christ et meprisement de ce monde premièrement composé en latin par Saint Bernard ou par autre devote personne.* Vol. in-12. Typis Mayer. Tolosæ.

N. 6. Edit. 1493, Parisiensis, Lambert, in-4. *Cy commence le livre très salutaire intitulé de l'imitation N. S. Jesu Crist et parfait contempnement de ce présent misérable monde lequel a esté par aucun jusque à présent attribué à Saint Bernard, au maistre Jean Gerson posé que soit autrement, quar l'auteur d'icelluy soubs notre Seigneur fut Thomas de Kempis*, etc.

N. 7. Editio 1495, Parisiis, apud Treppel, in-4. *De l'imitation de Jesu Christ attribué à S. Bernard, au maitre Jean Gerson, toutefois l'auteur fut Thomas de Chempis, prieur en Ung, prieuré dudit ordre appellé Windesem, diocese d'Utrecht, translaté du latin en françois pour la consolation de plusieurs devotes personnes.*

§ II. Codices et editiones Kempenses, fratri Thomæ Canonico regulari S. Augustini adsignati.

N. 1. Codex 1425, Kirchheimius vel Ghesquierius, *de Imitatione Christi et comptentu omnium vanitatum mundi. Libri III*[2]. An. MCCCCXXV.

1. Vide Diarium appellatum *Journal des Curés*, 10 et 14 octob. 1808, par J. J. Champollion Figeac.

2. Hujus Codicis in 4° specimen nobis servavit clar. De Saint Léger in dicta dissertatione, ibi : *J'ai trouvé en voyageant en Hollande, dans un coin négligé d'une bibliothèque, ce Ms. contenant les trois premiers livres de l'Imitation, qui présentait les caractères du quinzième siècle, et j'ai fait calquer et graver le fac-simile.*

In prima codicis pagina legitur : *Notandum quod iste tractatus editus est a probo et egregio viro magistro Thoma de monte Sancti Agnetis et Canonico regulari in Trajecto, Thoma d'Kempis dictus, descriptus ex manu auctoris in Trajecto anno* 1425 *in sociatu Provincialatus.*

N. II. CODEX 1441, ANTUERPIENSIS[1], quia in illa urbe adinventus olim ad monasterium Canon. regular. in monte S. Agnetis prope Zwoll spectabat. *Qui sequitur me non ambulat in tenebris*, etc. Libri quatuor, quasi totidem tractatus peculiariter descripti. Ad calcem (Vide Documentum III, N. 1) : *Finitus et completus*[2] *anno Domini* MCCCCXLI *per manus fratris Thomæ Kempis in monte S. Agnetis prope Zuvoll.*

N. III. CODEX 1448, ZWYFALTENSIS, monasterii S. Benedicti in Suevia, *de Imitatione Christi, lib.* III, *conscripti an.* MCCCCXLVIII *pridie Nativitatis Domini.* In fine libri *Kempis* nomen legitur recentiori manu scriptum.

N. IV. CODEX 1471, BUXHEMIENSIS, in Suevia. *De Imitatione Christi.* In fine *Compilator hujus opusculi fuit Thomas de Kempis.*

N. V. CODEX 1472, AFFLIGHEMIENSIS, monasterii Ord. S. Benedicti, ibi : *Liber internæ consolationis editus a fratre Thoma de Kempis Canon. regul. monasterii montis S. Agnetis juxta Swollas.* In fine *Explicit an.* MCCCCLXXII. Volum. membranaceum in-12.

N. VI. CODEX 1474, GRIESENSIS, in Tyrolo. *De Imitatione Christi.* In fine *Compilator hujus opusculi fuit*

1. Vide Instrumentum 1671. Ibi legitur descriptio hujus Codicis membranacei ac papyracei mixti, cujus specimen Mabillonius in Tab. XV, et Amort Tab. III nobis præbent; textus vero Rosweydus edidit ad fidem autographi. Videatur De Gery in sua dissertatione, 1758, Parisiis.

2. Eadem formula legitur in ima parte bibliæ per Kempis an. 1439 scriptæ et Coloniæ adservatæ, eademque formula fuit repetita in fine Missalis an. 1414, quæ equidem Thomam exscriptorem non auctorem probant.... Judicet lector.

Thomas de Kempis, secundum alios magister Johannis, Gerson cancellarius parisiensis. Vid. Specimen apud Amort pag. 184 Moral. Certitud.

N. VII. CODEX 1482, LOVANIENSIS, monasterii S. Martini; cujus specimen Amort pag. 184 præbet subdens esse Ms. autographum.

N. VIII. CODEX 1487, VIENNENSIS, vel HOHENDORFIANUS dictus, continens una cum tractatu *De Meditatione cordis J. Gerson*[1].. *Libri quatuor de Imitatione Christi Thomæ a Kempis.* In fronte, juxta Gence, effigies Canonici regularis in nigro habitu depicta ostenditur, quod Bonanus in catalogo Ord. Religiosorum contradicit, nam albam vestem Canonici ipsi induebant.

N. IX. CODEX (absque anno) AUGUSTANUS SECUNDUS[1], ex monasterio S. Crucis canonicorum Regul. *Incipit libellus consolatorius ad instructionem devotorum, cujus primum capitulum est de Imitatione Christi.* In fine *Explicit liber quartus de Sacramento Altaris. Compilator hujus opusculi fuit quidam frater Thomas, nomine Canonicus regular. ordinis S. Augustini montis S. Agnetis Trajectensis.*

Editiones XV sæculi, Thomæ de Kempis impertitæ.

N. 1. Editio 1472, Augustana, typis Zainer. *Incipit libellus consolatorius ad instructionem devotorum cujus primum capitulum est de Imitatione Xpti viri egregii Thomæ mont. S. Agnetis.*

N. 2. Editio 1472, Augustana altera[2], uti ex Scuto Kempensi, pag. 27, dignoscitur.

N. 3. Editio 1481, Argentina sub nomine Johannis Malleoli, *de Imitatione Christi.*

1. Dum tractatus iste Gersoni adsignatur, cur non libri quoque de Imitatione Christi?

2. Vide S. Leger in sua dissertatione critica, et Gery contra Vallart, Parisiis, 1758, par Cavelier vol. in-8°.

SPECIMEN CODICIS DE ADVOCATIS.

Ex Rubrica libri IV

& suspiciend abnegatione acquirit Cap^m 16^m Ex necessitate vitae ipso aperire & gratiam eius postulare debemus Cap^m 17^m Ex ardenti amore & vehementi affectu suscipiendi ipsum Cap^m 18^m Et homo non sit curiosus scrutator sacramenti sed humilis imitator ius subdendo sensum suum sacre fidei

Explicit liber quartus & ultimus de sacramento altaris

Incipit tractatus de meditatione cordis cap^m p^m

MEditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Felix
qui cum propheta pot ex sententia dicere hoc. Illud deo
Sed videamus in primis quid sit meditatio cordis non pro
carnali solo sed spirituali corde. Est autem meditatio vehemens
cordis applicatio ad aliquid investigandum & inveniendum
Et hec applicatio cordis bene difficultate que quandoque maior
est quandoque minor. Quod ut intelligatur presupponatur hoc creditis
& ab experientia cor nostrum conditum esse et tres habere species
oculorum mentales oculos rationales oculos sensuales. Et ex
illis est utrobique unus oculus cognitione, alius affec-
tione. Fundatur hec distinctio in altera qua dicimus
hominem habere portionem seu faciem rationis duplicem quarum supe-
rior convertitur ad leges eternas. altera ad temporales Neutra

Praeses De-Gregory direxit

G.A. Sasso Taurini incid.

N. 4. Editio 1482, Metensis per Johannem Colini ord. Carmelitarnm. *Ammonitiones ad spiritualem vitam utiles*. Vol. in-4.

N. 5. Editio 1489, Lugdunensis[1] apud Trechsel Germanum. Parisiis. *Incipit liber primus fratris Thomæ de Kempis can. regular. de Imitatione Christi*, etc. In fine adest *Tractatus Gersonis de meditatione cordis*.

N. 6. Editio 1493, Lunæburgi, in-8. *Thomæ de Kempis de Imitatione Christi et de contemptu mundi, lib*. iv, *et Johan. Gerson de meditatione cordis*, Luce.

N. 7. Editio 1494, Nurembergensis, impensis et studio Pirkhaimeri prioris Carthus. *Opus de Imitatione Christi divi Thomæ de Kempis, quod falso apud vulgares Joh. Gersoni Parisiensi cancellario impingitur*.

N. 8. Editio 1494, Nurembergæ, in-fol. *D. Thomæ de Kempis ordinis Canonicorum regularium de Imitatione Kristi, lib*. iv. *Sermones et epistolæ* apud Hochfeder.

§ III. Codices ac editiones Gersoni Johanni Cancellario Ecclesiæ parisiensis adscripti.

N. 1. Codex 1460, San-Germanensis[2] vel Bretonius, dictus a donatore medico Lebreton, cujus specimina nobis præbuere Amort, Tab. XIII et Mabillonius Tab. XV, hanc inscriptionem præbens : *Incipit libellus de-*

1. In editinne Lugdunensi 1608 apud Cardon a nobis pluries citata, legitur *Hoc volumine continentnr Johannis Gersonis cancellarii Parisiensis, seu potius Thomæ a Kempis canonici regularis de Imitatione Christi libri* IIII. Equidem declaratio hæc fuit deprompta ab his, quæ monachus Gerson, frater Cancellarii, scripserat. Vide supra.

2. Codex eleganter membranis exaratus ut in Instrumento 1671 infra legitur. Vide N° 1554 biblioth. reg. parisiensis. Iste codex adhuc vivente Thoma Kempis fuit exaratus, neque ulla Gersonis dignitas enumeratur solaque littera E in O fuisse immutata adparet, ut Johanni Gersoni, tunc fama clariori, librum adsignarent.

votus et utilis magistri Johannis Gerson de Imitatione Christi et contemptu omnium vanitatum mundi.

In fine libri quarti subditur : *Explicit liber quartus et ultimus de sacramento Altaris*, anno Domini 1460, 13 Kal. Septembris. (Docum. III, N. 8, pag. LII.)

N. II. CODEX 1472, LESCHASSIER[1] vel GERSONIANUS, appellatus ex possessoris nomine, aut ex Gersonis effigie miniata in prima membrana, quam nobis urbaniter Parisiis ostendit D. Gence.

Incipit liber primus magistri Johannis Gerson cancellarii parisiensis de Imitatione Christi etc.

Quanquam hujus codicis ætas ut supra expressa fuerit, attamen ex adjecto Isidoris episcopi *de homine et ratione dialogo* a magistro Lupi Hispalensi emendato non ante 1491 in lucem venisse probatur.

N. III. CODEX 1477, REICHERSBERGENSIS monasterii. *De Imitatione Christi*, etc., *J. Gerson cancellarii parisiensis*, *libri* IV, ut ex catalogo codicum regis Bavariæ anno 1610 conscripto probatur.

N. IV. CODEX TAURINENSIS[2], in regia Athenæi bibliotheca adservatus, ibi legimus : *Incipit liber valde devotus compositus a magistro Johanne Gerson cancel-*

1. Codex membranaceus in 4° descriptus a J. de Launoy et pertinens ad Christophorum Lechassier in Computorum regia Camera magistrum. Notatu dignum puto Gerson fuisse Canonicum et Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis, ut ex ejus vita a suo germano priore Cœlestinorum conscripta an. 1423 adparet. Cur itaque historicus ac familiaris ille monachus non solum libellum de Imitatione Christi silentio prætermisit, sed in sua epistola ad Anselmum monachum fratris opera varia enumerans ne verbum quidem de hoc tam pretioso libello facit? Imo in illa quam contexit Gersonis cancellarii oratione scribit : *Alii autem tractatus qui sibi nonnunquam tribuuntur extant, ut est libellus de contemptu mundi, quem tamen constat a quodam Thoma Canonico regulari editum.* Vide Caietanum, et S. Léger *dissertation*, 1775, *Verceil et Paris*. Vid. L'Ecuy, *Vie de Gerson*, 1832 à Paris.

2. Codex chartaceus sub littera F. I. N° 21 servatus; ille solus fuit a Vernazza et Napione indicatus in dissertationibus.

lario parisiensi de Imitatione Xpti. Sequitur *Tractatus D. Bernardi de ædificanda domo conscientiæ.* Advertere oportet codicem esse incompletum, absque capitum designatione, veterique charactere in eo legitur: *Auctor hujus libri fuit Johannes Gersen abbas S. Stephani Vercellarum ex Canabaco.*

N. v. Codex Gregorianus[1], sæculi XV, continens 1° *Cordiale de quatuor novissimis* : ibi *Præmium, recordare novissima tua et in æternum non peccabis.* In cap. secundo *De morte* legimus... *Hinc dicitur in libello de comptentu mundi. Mors resecat; mors omne necat quod carne creatur.*

2° *Tractatus de arte moriendi*[2], in quo pluries citatur Cancellarii Parisiensis auctoritas, et in fine legimus: *Explicit tractatus de arte moriendi collectus per patrem Eberhardum Madack*[3] *professum ordinis prædicatorum monasterii Norimbergensis ref.*

Ambo tractatus eadem manu conscripti adparent; attamen Cancellarius Parisiensis silentio præteritur in *Cordiale de quatuor novissimis*, ubi plures sententiæ a libello de contemptu mundi fuere depromptæ, et in quo pluries auctores xii et xiii sæcul. memorantur.

Editiones XV sæculi sub nomine Gerson Cancellarii Ecclesiæ et Universitatis Parisiensis.

N. 1. Editio 1470, Antuerpiensis, ibi: *Incipit liber magistri Johannis Gerson de Imitatione Christi,* absque

1. Codex membranaceus bene servatus olim ad De Levis regis Sardiniæ antiquarium spectans, nunc nobis attinens.

2. In regia Parisiensi bibliotheca ostenditur Codex N° 3592, in quo post alia legitur *Incipit proemium de arte moriendi* : sed valde distat a nostro Codice circa lectiones.

3. Clariss. De Levis regius antiquarius Taurinensis in sua adnotatione ait, «Eberhardum esse auctorem; negamus sed collectorem.»

indicatione anni per Matheum Goes, quæ in catalogo D. Verdussen ad dictum annum adsignatur.

N. 2. Editio 1474, Lovaniensis in-4, in domo Johan. de Westphalia impressa. *Incipit liber magistri Johannis Gerson Cancellarii parisiensis de Imitatione Christi: Qui sequitur me non ambulat in tenebris sed habebit lumen vitæ.*

N. 3. Editio 1481, Parisiensis[1] in-8, apud Marnef. *Incipit liber primus Johannis Gerson Cancellarii Paris. Qui sequitur me*, etc. Post librum IV sequitur tractatus *de Meditatione cordis*[2]. Edit. gothico charactere excusa.

N. 4. Editio 1483, Veneta, in-4, per Loslein Alamanum, ibi: *Liber primus Johannis Gerson cancellarii parisiensis, De Imitatione Christi et contemptu mundi. Qui sequitur me non ambulat in tenebris sed habebit lumen vitæ.*

N. 5. Editio 1485, Veneta altera, in-8, apud Debennalis sub nomine Johannis Gerson, cum tractatu *de Meditatione cordis.*

N. 6. Editio 1487, Augustana, per Johan. Zainer Ulmensem, in-8, *de Imitatione Christi* in titulo J. Gersoni cancellario parisiensi tributa.

N. 7. Editio 1488, Mediolanensis[3], in-8, apud Pachel de Alemagna. *Incipit* 1° *Prœmium in meditationibus passionis Domini nostri Ihesu Xpti.* 2° *Liber primus Johannis Gerson cancellarii parisiensis, de Imitatione Xpti et de contemptu vanitatum mundi.* 3° *Incipit tractatus de Meditatione cordis Joannis Gerson.*

1. Eodem anno editio altera sub nomine Kempis prodiit Argentinæ.

2. A peritorum judicio circa ætatem tractatus de Meditatione Cordis, quem recentior amanuensis transcripsit in fine Codicis De-Advocatis, didicimus eum non esse anno 1481 anteriorem.

3. Editio semigothica rarior, quam obtinuimus ex bibliotheca nostri concivis D. Alciati, episcopi Casalensis.

VEN: GERSEN JOHANNES

ABBAS Vercellensis S. Stephani

Auctor tractatus plane Divini

De Imitatione Christi et Contemptu

Omnium vanitatum mundi

N. 8. Editio 1488, Lugdunensis[1], apud Dupré, circa annum 1488 ut adnotatur, ibi: *Libellus incipit de Imitatione Christi a Johanne Gerson doctore theologiæ nec non ecclesiæ parisiensis canonico editus.*

N. 9. Editio 1489, Parisiensis, in-4, per Higman. *Liber de Imitatione Christi a Johanne Gerson editus* etc.

N. 10. Editio 1492, vol. gothico charactere. *De Imitatione Christi cum tractatulo Johannis Gerson de Meditatione cordis.*

N. 11. Editio 1493, per Johannem de Luxembourg. *De Imitatione Christi. Joh. Gerson.*

N. 12. Editio 1496. Parisiis apud Mittelhum.

CAPUT TERTIUM.

Codices ac editiones exhibentes nomina Johannis Gersen, vel Gersem, a Canabaco Abbatis benedictini monasterii Sancti Stephani de Castro Vercellarum[2].

N. 1. CODEX ARONENSIS[3], ex monasterio S. Benedicti civitatis Aronæ ad Verbanum Lacum, dein ex Collegio Soc. Jesu. Vid. pag. XXXII et Amort Spec. pag. 184.

1. Adnotari fas elt eodem anno Argentorati omnia Gersonis Cancellarii opera tunc primum in lucem prodiisse tractatu de Imitatione Christi omisso. Quapropter merito adnotat clarissimus S. Léger in suo opusculo Vercellis 1775 edito: « *Gerson écrivait d'une manière méthodique et moins affective que celle de l'auteur de l'Imitation. Son frère qui en 1423 donna le catalogue des livres du Chancelier de l'Université de Paris, n'a pas fait mention de cet ouvrage qui lui faisait le plus d'honneur, et on peut ajouter que les œuvres de Gerson furent imprimées à Strasbourg en 1488 et 1494, à Bâle en 1489, sans faire mention du livre de l'Imitation de Jésus-Christ.* Vid. Nota sub N° 2 ad paragraphum secundum pag. XXIV superius.

2. *Vercellæ Ligurum civitas, haud procul a radicibus Alpium sita, potens, nunc raro est habitatore semiruta*, ait S. Hieronymus ad Innocentium. Duo erant Benedictinorum monasteria: alterum S. Stephani a S. Mauro an. 543, die 17 martii, dum Lutetiam peteret, institutum quodque sub ejus regula floruit, alterum S. Andreæ a Cardinali Guala De-Bicheriis post Gallicam et Anglicam legationes an. 1219 erectum. Vid. Gence, *Considerations*, pag. 26.

3. Codex iste membranaceus formæ quasi quadratæ servatur in Athenæi

Incipiunt capitula primi libri abbatis Johannis Gersen de Imitatione Christi et contemptu omnium vanitatum mundi, *cap.* I. Nomen *Gersen* ter inscribitur, dein *Explicit liber quartus et ultimus abbatis Johannis Gersen de Sacramento Altaris*, ut in hac Tab. IV.

Vanum puto hic integram referre Codicis descriptionem quam fideliter in Documento III, pag. LV et Documento V, pag. LIX habemus.

« Duo præclara monumenta Aronam exornant, ait Ferrarius Guidus. Alterum est templum in colle Aronensi exstructum; alterum est antiquissimus magnique pretii codex *Operis de Imitatione Christi*, *quod ab aliis Johanni Gersoni, vel Thomæ a Kempis, tribuitur.* »

« Ex hoc autem Ms. constat esse Johannis Gersen abbatis[1] Vercellensis, cui jampridem, post Belarminum Cardinalem, opus vindicarunt monachi S. Mauri libro Parisiis edito an. 1674 a Delfau. Unum ex exemplis hujus operis asservatum in monasterio Bobiensi, ipsum etiam præfert auctorem hunc Johannem Gersenium. » Vide Ferrarium Vol. 3. 1765.

Taurinensis bibliotheca, et legimus repertum fuisse 1604 Aronæ, illuc a P. Magginlo an. 1574 a Genua traditum, et a Mabillonio an. 1686 cum codd. Parmensi et Bobiensi allati ut in Instrumento 1687 testatur pag. LVIII.

Aronensis hujus Codicis historiam inquirentes urbanitate clarissimi marchionis Spinolæ Salis debemus ea quæ de familia Magginli detegere potuimus.

Notum est in prima codicis lignea tabula sequentia legi: *Il Cardinale Belarmino attribuisse il Codice a Gersen il cui nome è ripetuto in questo codice. Si è questa memoria o avertenza quì scritta alli 14 decembre del 1672, però si è trovato poi che questo manuscritto fu portato in Arona dà Genova dal P. Maggiolo della compagnia di Gesù.* Vid. Valgravii Dissertatio 1640.

Maggiolorum familia jam XIII sæculo nota erat, et sæcolo XV Laurentius philosophiæ professor in Athenæis Patavino, Ferrariensi ac Papiensi floruit, ipseque Pici Mirandulani fuit præceptor, obiit an. 1501, ut Olduinus refert in Athenæo Ligustrico. Multo verisimilius hunc spectasse codicem ad illustrem magistrum; nec plura deprehendi facultas nobis fuit.

1. Nec Gerson Cancellarius nec a Kempis unquam fuerunt titulo Abbatis decorati neque abusive inscripti, cum inscriptio in Cod. Aronensi sit maxime sana et pluries repetita. Vid. Valgravii Argument. Chronologicum 1686.

SPECIMEN COD: ARONENSIS.

Ex Lib. III Cap. 23

DÑe deus meus ne elõgeris Oro ɔtra malas
a me deus meus i auxª meu Cogitationes
respice qm̃ insurrexerũt i me cogitacões va-
rie et timores magni affligẽtes aiam meam
Quo ptrãsibo illesus quo pfrĩgam eas? Ego iqt
añ te ibo et gliosos tre hũiliabo apiam ianuas
carceris et archana secretoz reuelabo tª. Fac dñe
ut loqeris et fugiãt a facie tua oms cogitacões.
hec spes et unica ɔsolacio mea ad te i oi tribulatio-
ne mea ɔfugere tibi ɔfidere ex intimo inuocare et pa-
ciẽt ɔsolacõem tuã expectare : + oro p illuminatione mentis

Explicit liber quartus et ultimus abbatis Johannis
gersen. de sacramento Altaris : - -

Praeses De-Gregory
delineavit

G. A. Sasso Taurini
incidit

N. II. Codex Parmensis, a Becchini confisus Mabillonio [1], *De Imitatione Christi*, et in fine legitur *Explicit liber ultimus Sancti Johannis Gersem de sacramento altaris* (Documentum V, pag. lix.).

Indubium est Johannem Gersen Vercellensem abbatem inter Sanctos [2] in menologio Buccelini SS. ordinis benedictini fuisse inscriptum v Kalend. Xbris et popularem esse vico Canabaco, vulgo Cavaglià, in agro Vercellensi sito, inter suos conterraneos [3]: recognovimus insuper, compulsis baptisatorum libris ab anno 1595 vetustioribus illius paræciæ, constanter gentem Gersen, nunc corrupto nomine Garson, natis suis prænomen Johannis devotionis causa imposuisse.

N. III. Codex Bobiensis [4] monasterii a S. Columbano in Apenninis an. 613 erecti (Tab. v, p. xxxvi.).

In nomine Domini Amen — incipit libellus de Imitatione Xpti et contemptu omnium vanitatum mundi. Post tres priores libros legitur *Incipit liber Johannis Gersem quum quanta reverentia et devotione sacratissimum Dominicum corpus et sanguinem sit sumendum.*

Mabillonius fatetur in illo monasterio alterum se vidisse codicem Johannis Gersem referentem nomen.

Ex Instrumento 1687 a decemnovem viris sub-

1. *Itinerarium italicum*, Tom. 1. Dein per epistolam 9 januarii 1832 clarissimus Pezzana, regiæ bibliothecæ Parmensis custos, nobis affirmat hunc codicem non fuisse restitutum a Benedictinis S. Germani a Pratis.

2. Videatur *Liber venerati Johannis Gersen de Cabanaco ordinis S. Benedicti abbatis Vercellensis de Imitatione Christi. Impress. Bruxellæ* 1649.

3. Traditio popularis atque constans viget Gersen monachum Johannem natum fuisse in pago *de Campis* nunc ad familiam Rondolinam spectantem, quod ex litis actis 23 februarii 1548 coram ducali Vercellensi senatu comprobatur, unde somniari nos, Gence, criticus ille, amplius non arguat, uti in suo libro, *Nouvelles Considérations*, 1832, Paris.

4. Codex papyraceus N° 1555 bibliothecæ reg. Mss. Parisiensis. Vide Documentum N. V, pag. lx, et Tabulam speciminum, pag. xxxvi. Videatur dissertatio 1777 a D. S. Leger edita.

scripto constat scripturam esse ejusdem ætatis ac temporis, quo Aronensem codicem censuerunt exaratum.

Nobis videtur Codex Bobiensis vetustior et Ms. De Advocatis proximior juxta Trombelli regulas, eumque Codicem propter variantes lectiones pretiosissimum.

N. IV. CODEX PADO-LIRONIS[1], monasterii inter Padum et Lironem in agro Mantuano, quique anno 1419 fuit unitus, testante Lubin, congregationi Casinensium Stæ Justinæ de Padua, ut in fine codicis legimus: *Iste liber est monachorum congregationis Ste Justine de observantia, deputatus monasterio Sancti Benedicti de Padolirone, signatus numero* 951..414. probabiliter junctionis annus (Vid. Documentum III, N. 10.).

Specimen hujus Ms. videas Tab. v, N. 4 diligenter incisum ibique *Incipit liber Johannis Gersen primus de conteptu mundi et de imitatione Xpti* minio scripta.

Explicit liber quartus Johannis Gersen de Sacramento Eucharistie. Atramento conscripta verba dein veteri manu leguntur: *Iste liber est monachorum,* ut s.

N. V. CODEX ROMANUS[2], in Vaticana Mss. celeberrima bibliotheca a nobis visus anno 1812, sub titulo *Opuscula SS. Patrum*, ibi pag. 67: *Ex libro Johannis Gersen*[3] *in cap. XI. Non sis in celebrando nimis prolixus aut festinus.*

1. Codex in 12° habens primum et XII, folium membranaceum sub N° 1556 regiæ bibliothecæ Parisiensis scriptus ante annos ducentos ad minimum ex Instrumento 1671, N° x, adparet. In prima codicis membrana recentiori manu epitaphium Joh. Gersonis Parisiensis legitur a D. Gence editum pag. LXIX in descriptione historico-critica, sed in fine legimus etiam : *Celui qui a écrit cet épitaphe a pris Jean Gersen pour le docteur Jean Gerson.* Quod quidem judicium ex ipsa Codicis scriptura, ex nota in ultima pagina confirmatur : nam si anno 1414 vel juxta Lubin an. 1419 per Martinum V Papam monasterium Pado-Lironis fuit illi S. Justinæ unitum, ac liber *deputatus*, id est attributus, Indubie Codex ad XIV sæculum pertinere videtur. Vid. pag. LIV infra.

2. Codex chartaceus sub N° 135 jam ad Card. Baronium spectans, postea ad congregationem PP. S. Philippi Neri.

3. In omnibus Codd. Abbas Johannes Gersen non subscripsit uti amanuensis, sed suum solemni auctorum more in Mss. præfixerunt alumni nomen.

Sub fine XIV sæculi clarissimi bibliothecæ custodes Battaglini et Amati conscriptum istum judicarunt codicem, uti etiam in illo catalogo legitur.

N. VI. CODEX SLUSIANUS vel PARISIENSIS[1], a Gualtero Slusio, de quo in Documento N. IV infra relato, pag. LVII, Romam Parisiis missus anno 1674.

Incipit de Imitatione Christi et contemptu omnium vanitatum mundi. In fine legimus *Explicit liber quartus et ultimus de sacramento altaris Johannis Gersen.*

Notatu digna, quæ D. Gence asserit : *Codex iste visus ante annos ducentos exaratus*, de quo instrumentum in Chart. 88 B. N. 6, servatur in regia Parisiorum bibliotheca.

N. VII. CODEX ALLATIANUS[2] vel BISCIANUS, quia ultimo loco pertinebat ad D. Allatium, Cardinalis a Biscia Romæ prælatum domesticum; ibi : *Incipit tractatus Johannis de Canabaco*[3], *de Imitatione Xpti et de contemptu omnium vanitatum mundi, et dividitur in quatuor libros. Incipit liber primus, capitulum primum.* Vid. in Tab. v, N. I : Specimina Codicum reg. Biblioth. Parisiensis.

Iste codex fere 696 paginis constat, ibique triginta tres tractatus enumerantur, theologici vel ascetici a variis scribis exarati (Documentum III, N. 11.).

Non dissimulo folio 342 retro legi *Explicit opus Jo-*

1. Codex membranaceus in 12° sub N° 1558 regiæ Bibliothecæ Paris., quem Amort cum Padolironensi confudit immerito.

2. Codex N° 1560 membranis papyro permixtis in 16° reg. Par. biblioth.

3. Cognomentum de *Canabaco* interscriptum habetur supra lineam, sed tamen eadem manu eodemque minio; et familiæ nomen, cui monachi renunciabant in actu professionis, fuit omissum. Vid. Valgravius pag. 52.

Vicus Canabaci, Cabailaci vel Cabanaci varia orthographia scribebatur ab anno 1034, quo Ubertus quondam Manfredi filius donavit fundum monasterio S. Vincentii in Cabaliaca pro animæ suæ mercede. Anno 1509 legimus fratrem Angelum Tronzano fuisse receptum in ordinem prædicatorum per fratrem Johannem de Cabanaco, tunc temporis superiorem conventus S. Pauli Vercellis. Vide Delevis, *Anecdota sacra*, etc. Vercellensis historia T. 1 et 4.

hannis de Tambaco de consolatione theologiæ in xx *libros distinctum*, sed non hunc credimus pagum a D. Gence pro Rossbach acceptum cum Cabanaco nostro Vercellensi posse confundi, unde veritas obumbretur.

N. VIII. CODEX CAVENSIS, in monasterio benedictino SS. Trinitatis urbis Cavæ[1] repertus, sub Alexandro Papa VII in bibliotheca Aniciana adservatus Romæ, postmodum Parisiis a Mabillonio S. Germani a Pratis monasterio commendatus, uti ex Instrumento 1671 infra transcripto (Documentum III, N. 14.) adparet.

Imago Monachi nigri[2] crucem gestantis, quæ in prima littera vocis *Qui* videtur depicta, a Mabillonio in Tab. XV et Amort. pag. 184 omissa, nos fideliter in Specimine Tab. V, N. 2 incidi curavimus. *In nomine domini nostri Jhesu Xpti— Incipit libelus de imitatione Xpti et contemptu omnium* (a Tinea corrosum) *vanitatum mundi.*

In hoc codice habentur tres primi libri et quartus incompletus usque ad Capitulum XVIII et ultimum; amanuensis jam minio scripserat *Quod homo non sit curiosus scrutator*, dein duæ nitidæ cernuntur membranæ. Neapolim anno 1814 profecti de hoc codice quæsivimus, sed frustra. Postea casu in regia Parisiensi bibliotheca urbanitate D. Gerardi inventus anno 1827 fuit, inter Mss. S. Germanis a Pratis N. 1555 bis.

Judicent Palæographi de ætate hujus codicis uti et de aliis a nobis præbitis, quos omnes Codici nostro De-Advocatis censemus non esse anteponendos.

Non prætermittam Mabillonium adnotasse in hoc

1. Hoc monasterium ord. Cluniacensis fuit fundatum anno 980 a S. Alferio Salernitano. — Congregatio vero Eremitarum Montis Virginis an. 1119 a S. Willelmo Vercellensi prope Avellinum fuit erecta, ac floruit.

2. Monachi induebantur veste vel nigra vel fulva, uti ostenditur in Mausoleo Thomæ Galli in historia Vercellensi Tom 1. et sicuti D. Calmetus testatur in citato libro.

Specimina Codicum

N.º 1 ALLATII

de canabaco
Incipit tractatus Iohannis de imitacione xpi. et de contemptu omnium vanitatum mundi. et dividitur in quatuor libros
Incipit liber primus. Capitulum primum
Qui sequitur me non ambulat in tenebris dicit dominus. Hec sunt verba xpi quibus amonemur quatenus vitam eius et mores imitemur. si velimus veraciter illuminari et ab omni cecitate cordis liberari. Summum igitur studium nostrum sit in vita Jhesu meditari. Doctrina xpi omnes doctrinas sanctorum precellit. et qui spiritum haberet absconditum ibi manna inveniret. Sed contingit quod multi ex frequenti auditu evangelii parvum desiderium senciunt. quia spiritum Christi non habent. Et

N.º 2 CAVENSIS

In nomine domini nostri Jhesu xpi. Incipit libellus de imitatione xpi et contemptu omnium vanitatum mundi. c. p.
QVI SEQVITVR ME NON ambulat in tenebris dicit dominus. Hec sunt verba xpi quibus admonemur, quatenus vitam eius et mores imitemur, si volumus veraciter illuminari et ab omni cecitate cordis liberari. Summum igitur studium nostrum sit in vita Jhesu meditari. Doctrina eius omnes doctrinas

N.º 3 BOBIENSIS

In nomine domini amen. Incipit libellus de imitatione xpi et contemptu omnium vanitatum mundi. Capitulum primum
Qui sequitur me non ambulat in tenebris. dicit dominus. Hec sunt verba xpi. quibus admonemur. quatenus vitam eius et mores permittemur. si volumus veraciter illuminari. et ab omni cecitate cordis liberari. Summum igitur studium nostrum sit.
|| Incipit liber. Johannis gersem quam devota reverentia et devotione sacratissimum dominicum corpus et sanguinem sit sumendum.

N.º 4 PADO-LIRONIS

Incipit liber Iohannis gersen. primus. de contemptu mundi et de imitatione xpi. Capitulum primum:
Qui sequitur me non ambulat in tenebris dicit dominus. hec sunt verba xpi. quibus admonemur, quatenus eius vitam et mores imitemur, si volumus veraciter illuminari, et ab omni cecitate cordis liberari. Summum igitur studium nostrum, sit in vita

Explicit liber quartus iohannis gersen de sacramento eucharistie.

Vrée de Gregory direx. *Molin incid. Parisiis*

codice numeros romanos in serie capitulorum permixtos reperiri arabicis cifris. Dein ad indicandum capitulum xliii lib. iii scriptum esse 403, scilicet quadraginta et tria. Hæc computatio erat sæculi xiii propria ideoque in epitaphio Thomæ Galli pro 1246 legitur *Bis tres viginti currebant millæ ducenti anni*, *cum Thomas obiit venerabilis abbas*, quam inscriptionem Canonicus regul. De Gery inaccurate edidit.

N. ix. Codex an. 1441 Pollinganus[1], dictus *De Imitatione Christi a Johanne Ges.* Ipse Gence fatetur nomen *Gersen* vitiose *Gessen* proferri a vulgo germanico.

N. x. Codex an. 1463 Salzburgiensis[2], papyraceus monasterii S. Petri ordinis sancti Benedicti; ibi præmisso indiculo legitur *De Imitatione Christi Joh. Gers*[3], in fine *Explicit liber internæ consolationis per fratrem Benedictum an.* mcccclxiii, uti in Instrumento 1671 effusius describitur (Documentum III, N. 7.).

N. xi. Codex an. 1464 Florentinus primus, monasterii S. Benedicti a Valsechi[4] relatus. *Incipit Liber devotus et utilis compositus a D. Johanne Gersen Cancellario Parisiensi de Imitatione Christi.* In fine *Explicit liber quartus de Sacramento altaris expletus anno* mcccclxiv.

N. xii. Codex an. 1466 Florentinus[5] secundus, ejusdem monasterii. *Incipit*, ut supra.

N. xiii. Codex an. 1467 Schyrensis, monasterii bene-

1. Vid. Amort. Inform. pag. 146. Specimen Codicis nobis obtulit Tab. vi et vii in lib. *Moralis certitudo* 1725, Augustæ Vindelicorum.

2. Vid. Instrumentum 1671, N° vii, pag. liii.

3. Amanuenses Germanici non bene comperto nomine Gersen sic scripsere nolentes tractatum Gersoni, celebri Cancellario parisiensi, attribuere.

4. Vide Valsechi et Amort in Deductione critica pag. 259.

5. Vide Montfauconum in sua Bibliotheca bibliothecarum.

dictini *De Imitatione Christi Libri quatuor*, in quo deleta inscriptione adhuc adparenti *Johannis Gersen* nomen Thomæ de Kempis fuit superimpositum, ut asserit D. Gence, et an. MCCCCLXVII notatur.

N. XIV. CODEX an. 1467 VERONENSIS[1], ex monasterio S. Zenonis a Pipino, Italiæ rege, instaurato, continens opuscula varia et *Tractatus de Imitatione Christi et contemptu vanitatum mundi Magistri Johannis Gersen Cancellarii Parisiensis.* Constat ex inscriptione codicem Parisiis a Verona fuisse an. 1547 translatum.

N. XV. CODEX GUELPHERBYTANUS[2], absque anni nota. *Libri* IV. *de Imitatione Christi per Johannem Gersen Cancellarium Parisiensem.*

Clar. Gence debere intelligi Gersonis nomen advertit, quod erat argumentis demonstrandum.

Editiones abbatis Johannis Gersen Vercellensis monasterii benedictinorum nomen exhibentes.

N. 1. Editio Princeps absque anni nota, cujus specimen semigothicum præbet Amort pag. 184 *lib. Moral. Certitud.* ibi *Incomincia lo libro composto da un servo di Dio nominato Jovanni De-Gersenis, della vita di Cristo e dispregio di tutte le vanità del mondo.*

N. 2. Editio *Veneta* 1501 per J. B. Sessa, jam in bibliotheca monasterii S. Catherinæ benedictinorum Genuæ. *De Imitatione Christi Lib.* IV *Joanni Gersen Cancellar. Parisiensis.*

Post inscriptionem typographicam legisse se testatur Valgravius charactere fere deleto sequentia verba : *Hunc librum non compilavit Joannes Gerson sed D.*

1. Codex membranaceus valde correctus servatur in bibl. regia Parisiis sub N° 468 catalogi, *La Vallier* quondam possessoris.

2. Ducatus Brunsvicensis urbs Wolfenbuttel appellata.

Johannes ... Abbas Vercellensis, ut habetur usque hodie propria manu scriptus in eadem Abbatia.

Hæc quæ Valgravius et Caietanus testantur inquirentes, clarissimos viros marchionem De-Brignolis et senatorem equitem Solarium rogavimus ut de isto libro notitiam præberent. Urbaniter omnem curam ipsi impenderunt, sed frustra; nam bibliotheca S. Catherinæ januensis an. 1797 post monachorum barbaram expulsionem fuit devastata.

Attamen Valgravio historico est credendum eo magis, quod eadem editio a Petro Faita describitur [1], et jam demonstravimus typographum Sessa fuisse Vercellensem [2], hic ignorabat Codicis Aronensis existentiam, sed suis excursibus in patriam se ea detexisse testatur.

N. 3. Editio 1616 *Romana et Parisiensis* cum hoc titulo: *Venerabilis Viri Johannis Gessen*[3] *abbatis Ord. S. Benedicti de Imitatione Christi libri quatuor. A nonnullis ante hac Jo. Gersoni, ab aliis Thomæ a Kempis tributi, nunc vero a D. Constantino Caietano Casinensi abbate recensiti.* Vol. in-12. Parisiis 1616 apud Cramoisy.

N. 4. Editio 1621 *Parisiensis. Livres* IV *de l'imitation de Jesu Christ qu'aucuns attribuent a Gessen, d'autres a Gerson et d'autres a Thomas a Kempis,*

1. *Saggio dell' operetta dell' Imitazione di Cristo volgarmente attribuita a Tomaso de Kempis, con una dissertazione sopra l'autore della medesima sin ora sconosciuto.* 1763 *Vol.* 1. *in Brescia, colla nota manuscritta di cui nell' edizione del Sessa dicente, quest' opera non è di Giovanni Gerson mà di Giovanni Gersen abate di Vercelli.* Vid. Quatremaire pag. 211.

2. *Storia della Vercellese letteratura ed arti tom.* 4, *an.* 1824; et *Mémoire sur le véritable auteur*, 1827. Vid. Valgravii argumentum. Vol. in-8. 1650.

3. Codice Aronensi reperto an. 1604 a Rossignolio S. J. illico polemicæ dissertationes inter Benedictinos et Canonicos regulares suscitantur, et Caietano debemus juxta hunc codicem editionem primævam, quam Paulus V, sapiens ille Pontifex, non recusavit et auctori benevolus fuit.

traduit en français du latin[1] *par M. P. Presid. Michel de Marillac, depuis garde des sceaux.* V. in-8. Thierry.

N. 5. Editio 1630 *Parisiensis. Livres quatres de l'Imitation de J. Christ de Jean Gessen abbé de l'ordre de Saint Benoit, ci-devant attribué a Jean Gerson et Thomas de Kempis par M. P. President*[2] *Marillac. Dernière édition en-12. Cramoisy.*

N. 6. Editio 1631 *Parisiensis. Livres* IV *de l'Imitation de Jesu Christ qui quelques-uns attribuent a Jessen, d'autres a Gerson et d'autres a Thomas a Kempis fidelment traduits par M. R. G. A.* V. in-8. *par Calleville.*

N. 7. Editio 1643 *Parisiensis. De l'Imitation de Jesu Christ de Gersen Jean abbé de Verceil, traduit par Marillac avec des notes de Valgrave.* V. in-12. *Chez Leblé.*

N. 8. Editio 1649 *Bruxellæ. De Imitatione Christi venerabilis viri Johannis Gersen de Canabaco Ord. S. Benedicti abb. Vercellensis.* Carmine elegiaco Vol. in-16.

N. 9. Editio 1664 *Parisiensis. Johannis Gersen abatis Vercellensis Ordinis Sancti Benedicti Libri quatuor ex decem Mss. per Valgravium Franc.* V. in-24. Billaine.

N. 10. Editio 1674 *Lutetiæ Parisiorum. Johannis Gersen abbatis Sancti Stephani Vercellensis Ord. S. Benedicti de Imitatione Christi et contemptu omnium vanitatum mundi Lib.* IV per Franc. Delfau monachum ac Presbyter. Congr. S. Mauri, apud Billaine, in-8.

N. 11. Editio 1674 *Parisiis. Liber de Imitatione Christi, Johanni Gerseni, abbati Ord. S. Benedicti iterato adserti, maxime ex fide Mss. exemplarium quæ ejus nomen præferunt quæque nunc temporis visuntur in monasterio S. Germani a Pratis.* Editio secunda

1. Versio litteralis super Codicem Aronensem a Caietano editum.

2. En justitiæ Sacerdos denuo ad pretiosum tractatum navans operam! Mareschalcus frater invido Cardinali Richelieu morte plectitur. Vid. Barbier, Dissertation sur LX traductions.

auctior et emendatior per Franc. Delfau. Vol. in-8. apud Billain.

N. 12. Editio 1697 *Romana. De Contemptu mundi sive de Imitatione Christi Lib.* IV, auctore Joanne Gersen, abbate Vercellensi ordinis S. Benedicti, ex decem Mss. per Cardinalem de Aguierre. Vol. in-24 apud de Rubeis.

N. 13. Editio 1724 *Florentina*, ibi *Giovanni Gersen abbate di S. Benedetto, sostenuto autore dell' Imitazione di Cristo, con sua effigie dal Monaco Valsecchi.* Vol. in 8.

N. 14. Editio 1738 *Berolinensis* in lingua germanica, sub titulo *Johannis Gersen, abbatis Vercellensis Ord. S. Benedicti, de Imitatione Christi Libri* IV. Vol. in-32, apud Reynard.

N. 15. Editio 1810 *Romana. Dell' Imitazione di Christo, autore Giovanni Gersen abbate benedittino in Vercelli per Francesco Cancellieri.*

CONCLUSIO.

Opiniones jamdudum incertas de vero auctore pretiosissimi tractatus de Imitatione Christi ex præmissis refutavimus; liceat nobis concludere nunc, neque hanc mihi detrectet facultatem clarissimus Gence[1] allata recentiori polemica dissertatione.

1. Nouvelle considération sur l'auteur de l'Imitation, par J. B. Gence. 1832. Vol. in 8°. Paris, avec dédicace à M^r le marquis et M^e la marquise Fortia d'Urban; ibi pag. 52 : *Les prétentions en faveur du chanoine régulier Kempis pour lequel aucun titre d'auteur ne s'est encore trouvé depuis deux siècles d'inutiles recherches, seraient donc vainement réclamées par quelques séculiers ou laïcs d'Outre-Rhin, héritiers peut-être de débris ou extraits de manuscrits de Flandre ou d'Allemagne. Il en serait de même des laïcs Piémontais* (le P. président Napione et le président De-Grégory) *qui, au sujet d'un moine mitré*

Non advertit ipse in regia academia Taurinensi juris civilis et canonici Doctorem me fuisse anno 1792 renunciatum, unde et nobis fas est non solum Justinianeas, sed etiam Ecclesiasticas tractare quæstiones.

Non advertit ipse Judices Dei ministros a divo Paulo appellari, et civilibus legibus non modo sacras non improbari litteras, sed ut religiose sancteque colantur, a gentium Apostolo præcipi.

Eundem effugit Michaelem De Marillac [1] Ludovici XIII magnum cancellarium, Christophorum De-la Marre divionensem senatorem, Leschassier cameræ regiæ computorum Parisiensis consiliarium : omnes illos aliosque justitiæ ministros de Auctore devoti tractatus de Imitatione Christi compte ac luculenter pertractasse.

Capitibus relatis demonstravimus

1. Codices plurimos nullum auctoris nomen præ se ferre, et ab ipso Gence enumerari, de quorum primigenia vetustate nulla est quæstio, illorum scilicet Codd. Gerardi Montis, Pado-Lironis, Kirchheimii etc.

2. Cognovimus insuper non ante annum 1441 a Kempensibus in medium proferri codicem quemquam posse, cui Scribæ illius appositum fuerit nomen.

Neque annum ante 1460 ullum a Gersonianis afferri Manuscriptum posse, quod eorum Magistro Cancellario Parisiensi sit assignatum; quum Codex Tolosanus anni 1447, et pervetustus alter Genovefanus jam effigiem et nomen Divi Bernardi exhibeant.

3. Probavimus codices plurimos Romæ, Taurini, apud Germanos atque Parisiis adhuc servari, qui omnes

du XIII siècle, se croiraient plus instruits que ne l'ont été le cistercien Ughelli et le chanoine régulier Frova de Verceil, lesquels n'ont eu aucune connaissance des titres allégués depuis en faveur de l'abbé Gersen bénédictin.

1. De auctore libri de Imitatione Christi inquirens (ait Marillac an. 1629) primum et præcipuum esse Spiritum Sanctum quod scire .... sufficiat.

abbatis Johannis Gersen vel Gersem a Canabaco nomina vel effigiem præbeant.

Quapropter nobis nec temere, nec inconsulto fas sit concludere[1] ... Tractatum de Imitatione Christi nostratem Johannem Gersen, abbatem monasterii mauriniani Sancti Stephani de castro in Vercellarum antiquissima urbe, habere auctorem.

Quam quidem conclusionem jam in Historia Vercellensis litteraturæ et artium atque in posteriori polemica dissertatione pluribus probavimus exterioribus atque interioribus argumentis: quæque nunc, tum adinvento Manuscripto De-Advocatis sæculi XIII, tum a Viris claris palæographiæ peritis, et serie possessorum Codicis, illiusque familiæ nominibus, quæ prima ac infima codicis pagina leguntur, tandem Diario Josephi Advocatis 1349 in specimen accurate excuso confirmatur. Præses De-Gregory.

Codices ac Editiones in lectione varia et notis adhibitæ.

1. Codex Bobiensis regiæ biblioth. Paris.			N. 1555.
2. Codex Cavensis ejusdem biblioth. *bis*			N. 1555.
3. Codex Allatii	ibid.		N. 1560.
4. Codex Pado-Lironis	ibid.		N. 1556

1. Quid adhuc dici poterit de illa celeberrima sententia quam nobis servavit De Gery in sua dissertatione pag. 5 ibi : *En 1641 Gabriel Naudé avait été chargé d'examiner à Rome quelques Mss. que les Bénédictins produisaient en faveur de Gersen. Il avait cru y voir des faussetés et contrariétés; cela lui attira de vifs reproches de la part de D. Robert Quatremaire: alors Naudé le fit assigner en réparation d'honneur au Châtelet. L'affaire fut évoquée aux Requêtes du Palais; on plaida : enfin le 12 février 1652, la Cour ordonne la suppression des injures mutuelles, fait défense de faire imprimer l'Imitation sous le nom de Jean Gersen et permet de continuer de l'imprimer sous celui d'A Kempis. Les Bénédictins appelèrent à la Grande Chambre, mais cette affaire ne fut point suivie.* Hæc sententia adversatur judicio sacræ Congregationis jam relato pag. XXI et Valgravii aliorumque auctoritate pag. 152.

1. Editio 1488 Johannis Gerson Cancellarii Parisiensis, de contemptu Mundi Lib. IV, una cum tractatu de meditatione cordis. Vol. in-8. Mediolani, mens. Julii, impensis Leonardi Pachel de Alamania.

2. 1608. Joh. Gerson, Cancellarii Parisiensis seu potius Thomæ a Campis de Imitatione Christi Libri IIII. Lugduni, Cardon. Vol. in-12.

3. 1616. Johannis Gessen, abbatis Ordinis S. Benedicti, de Imitatione Christi Lib. IV, a Caietano juxta cod. *Aronensem*. Parisiis, Cramoisy. Vol. in-12.

4. 1658. Th. a Kempis de Imitatione Christi libri quatuor. Lugduni, Elzevir. 1ª edit., Ballandi. V. in-12.

5. 1664. Joh. Gersen abb. Vercellensis, Ord. S. Benedicti de Imitatione Christi lib. IV, ex decem Mss. auctore, et integritate restituti per Franc. Valgravium. Parisiis apud Billaine. Vol. in-32.

6. 1674. Joh. Gersen abb. S. Stephani Vercellensis Ord. S. Benedicti, De imitatione Christi Lib. IV, a Delfau juxta Cod. *Pado-Lironis* et alios in archivo monasterii mauriniani S. Germani a Pratis. Vol. in-8. Ed. secunda. Parisiis apud Billaine in Palatio regio.

7. 1697. De Imitatione Christi Libri quatuor, auctore Joh. Gersen abbate Vercellensi Ord. S. Benedicti. Vol. in-16. Romæ apud De-Rubeis.

8. 1761. L'Imitazione di Cristo in latino ed italiano giusta le più corrette edizioni del Cardinale Enriquez. Vol. 3 in-4. Torino, Stamperia reale.

9. 1826. De Imitatione Christi Libri quatuor ad pervetustum [1] exemplar Internarum consolationum

1. Alexander Barbier regiarum bibliothecarum custos et administrator sibi jam proponebat Manuscriptum Gersonianum nobis cum notis et variorum lectionibus typis donare, sed mors dissensit.

dictum nec non ad codices complures studio J. B. M. Gence. Vol. in-8. Parisiis, Typis Herhan.

10. 1831. Thomæ a Kempis de Imitatione Christi Lib. IV, ad fidem autographi anni 1441 per Rosweydum. Vol. in-12. Taurini, ex regia typographia.

DOCUMENTUM I.

Judicia Virorum Paleographiæ peritorum de ætate Ms. Codicis De-Advocatis.

N° I. 1830, 17 novembre, à Paris. Je ne doute pas que le manuscrit de l'Imitation dit *De-Advocatis*, que m'a communiqué M. le Président De-Gregory, ne soit de la fin du treizième siècle, ou au plus tard du commencement du quatorzième. Je le regarde comme infiniment précieux. Paris, 17 novembre 1830.

Charles Nodier, bibliothécaire à l'Arsenal.

II. 1831, 26 janvier, à Paris. Je soussigné, ayant examiné avec soin le Ms. *De-Advocatis* sur l'Imitation de Jésus-Christ, qui m'a été présenté par M. le Président De-Gregory, je déclare qu'il m'a paru ne pouvoir être que du XIIIe siècle, au plus tard du commencement du XIVe siècle, sauf la seconde partie *De Meditatione cordis*, qui est d'une époque postérieure, et cette opinion est fondée sur l'examen que j'ai fait d'autres manuscrits latins écrits en Italie. (Daté *ut supra.*) *Le chevalier Marcel, ancien directeur de l'Imprimerie impériale.*

III. 1831, 4 martii, Parisiis. Codicem Ms. continentem librum de Imitatione Christi, vulgo Thomæ a Kempis, vel Johanni Gersonio adscriptum, sub finem XIII sæcnli exaratum esse testantur characteres nitidissimi, qui proxime accedunt ad literam Bononiensem, vel saltem italicam hujus

ævi. Datum ut supra.

Sign. *Augustinus Theiner, Breslaviensis*, *I. U. Doctor.*

IV. 1831, 4 martii, Parisiis. Prior hujus codicis pars ad sæculum XIII mihi pertinere videtur; posterior vero pars, utpote quæ non charactere gothico, sed a manu italica exarata est, ad sæculum XVI pertinet. Datum ut supra.

Signatum *Ferdinandus Hauthal*, *Doctor Philosophicus.*

V. 1831, 23 mars, Paris, Chaussée d'Antin, rue de La Rochefoucauld, n° 12. Je certifie que ce matin, dans une conférence à laquelle j'ai assisté, entre M. le Président De-Grégory et M. Gence, pour examiner le manuscrit *De-Advocatis* de l'Imitation de Jésus-Christ, après une discussion approfondie et un long examen, M. Gence a reconnu que ce Ms., antérieur au Ms. de la *Cava*, et italien comme ce manuscrit, était du quinzième siècle. *Le Marquis de Fortia d'Urban.* Il a été reconnu de plus, que le Ms. *De-Advocatis* appartenant à M. De-Grègory n'étant qu'une copie, représentait nécessairement un manuscrit encore plus ancien. Signatum *Le M. de Fortia.*

VI. 1831, 2 juillet, à Paris. M. le Président De-Grégory m'a montré un petit volume sur parchemin contenant l'*Imitatio Christi*. L'écriture paraît être du XIVe siècle, sa forme cursive semble appartenir à l'Italie. A la suite de ce traité latin est un autre traité, aussi sur parchemin, dont l'écriture paraît être du commencement du XVIe siècle. Daté *ut supra*. ....*J. A. Buchon*, *ex-inspecteur des archives départementales et communales.*

VII. 1831, 26 settembre, Torino. Il sottoscritto crede, che il codice *De Imitatione Christi* detto *De-Advocatis* presentatogli dal signor cavaliere De-Gregory sia scritto al principio del secolo XIV, cioè prima della metà dello stesso secolo: in fede. Torino, ut supra ....*Intendente cavaliere Datta*, *Regio Professore di Paleografia.*

VIII. 1832, 26 giugno, Modena. Reale Academia di scienze, di lettere ed arti di Modena. Invitati noi sottoscritti a dare la nostra opinione intorno alla età del *Specimen codicis De-Advocatis* avendolo riscontrato con altre indubitate

scritture sembra potersi affermare, che l'età del codice in questione è senza dubbio anteriore al secolo XV, nè sarebbe forse distituita di fondamento, la congettura che retrotraesse anche d'un altro secolo una simile antichità. Modena ut supra. Signati : ..... *Lombardi*, *Parenti*, *D. Celestino Cavedoni*, *socii della prefata Academia.*

IX. 1832, 6 septembre, à Lyon. Moi soussigné, ancien directeur du Musée de Lyon, je suis d'avis, d'après la connaissance que j'ai acquise des écritures anciennes, que le *Codex de-Advocatis* en parchemin très-fin, possédé par M. De-Grégory Président, contient les quatre livres de l'Imitation de Jésus-Christ, dont l'écriture me paraît être du XIII au XIV siècle. Qu'ensuite se trouve dans le même Code un manuscrit de Gerson, intitulé *De Meditatione cordis*, d'une écriture postérieure d'environ deux cents ans. De plus, ayant vu un *fac simile* du célèbre Code d'Arone, il me semble postérieur par la forme de ses caractères à celui *De-Advocatis*. Donné à Lyon, ut supra. ... *Le chevalier Artaud, correspondant de l'Institut*, *Académie des Inscriptions.*

X. 1832, 14 septembris, Parisiis. Quum vir clarissimus Præses De-Gregory mihi Parisiis summa cum humanitate suos de *Christi Imitatione* apparatus monstraret, inter scrinia litteraria ejus vidi quemdam codicem qui *De-Advocatis* vulgo dicitur, cumque a me petivisset quid de hujus libri manu exarati ætate sentirem, re serio perpensa, respondi ad finem sæculi XIII aut ad initium sæculi XIV eumdem pertinere..... *Baro de Reiffenberg*, *Professor in Academia Lovaniensi. Unus e Galliæ Bibliophilis.*

XI. 1832, 30 settembre, Parigi. Avendo con diligenza esaminato il codice manoscritto in pergamena il quale contiene l'Imitazione di G. Cristo in latino. Mentre posso assicurare che il medesimo è sicuramente anteriore al secolo XV, credo di doverlo giudicare come aparteneate piutosto al secolo XIV che al XIII, e che sia perciò quel medesimo che apparisce essere stato donato nel 1349 dà Giuseppe Avvocati al fratello, come risulta dall' articolo del diario della detta famiglia, che mi è stato mostrato. Parigi, ut

supra..... *Giuseppe Molini, Bibliotecario di S. A. I. R. il Granduca di Toscana*.

XII. 1832, 4 decembre, Milano. Al solo confronto dei due *fac simili* (inviati dal Cav. De-Gregory) non esiterci a dare la preminenza d'anteriorità al codice *De-Advocatis* sull' *Aronese*. I caratteri quadrati e tendenti all' obliquo dalla sinistra, alla destra, la maggiore loro nitidessa, la maggiore semplicità delle abbreviature, ed il minore numero di nessi, sono le ragioni, per le quali questo codice mi sembra appartenere al secolo XIII od al principio del XIV. Quei caratteri sono di fatto pressochè conformi à quelli d'un *Stazio* codice rarissimo in pergamena, di forma stretta e lunga, che si conserva in questa I. R. Bibliotheca e che sicuramente appartiene all' epoca anzidetta. Quanto poi al codice *Aronense*, la sola ispezione di què suoi caratteri già tendenti al *gotico* basta per farlo giudicare di non poco inferiore al codice *De-Advocatis*. Quanto al trattato *De Meditatione Cordis* esso nella forma dé suoi caratteri, presenta una fisonomia ben poco antica, e quindi non esiterei a crederlo posteriore anche al secolo XV in ciò almeno che risguarda la scrittura. Trovo perciò probabilissimo che esso stato sia molto posteriormente aggiunto al codice *De-Advocatis* profittando delle pergamene che in questo rimasti erano in bianco.

Eccole, signore Cavaliere, la mia opinione sui due *fac simili*.... *Robustiano Gironi, Bibliotecario della Imperiale Reale Biblioteca di Berera.*

XIII. 1833. Cod. Imitationis Christi *De-Advocatis*, cujus hodie possessor est illustris Eques De-Gregory, scriptum esse judico ante finem sæculi decimi tertii, id quod et interna et externa argumenta evidenter probant. Parisiis, kalend. maiis 1833. *Frider. Dubner, Doctor philos.*

XIV. 1833. Codex *De-Advocatis* membranaceus continens Imitationem Jesu Christi sæculo XIII exeunte vel XIV inchoante scriptus esse mihi videtur. Parisiis, die VII mensis mai. 1833.

Theobaldus Fix.

XV. 1833. Libri De Imitatione Christi Codicem *De-Advocatis* pertinere ad exitum sæculi decimi tertii vel ad decimi quarti initium mihi videri, petente a me illustrissimo equite De-Gregory, his litteris testor. Dabam Parisiis die v a. Id. Junii 1833. Signatum *Ludov. De Sinner, Ph. Doctor.*

DOCUMENTUM II.

Ex Archivo Cathedralis Ecclesiæ Ypporediensis. De vita et obitu Canonici Hieronymi De-Advocatis.

Memorie autentiche estratte dall' Archivio del Reverendissimo Capitolo d'Ivrea.

1524, 19 maggio, *assegnazione della settimana al Canonico Girolamo Avogadro di Cesare Avogadro di Cerrione.*

1525, 2 decembre, *assegnazione di sua Prebenda.*

1529, 5 settembre, *optione per la morte Defeys dei signori di Piobesi.*

Idem, 4 decembre, *optione di Prebenda concorrente il Bernardino di Buronzio.*

1530, 4 novembre, *altra optione.*

1532, 21 maggio, *optione per la morte del canonico Bernardino di Buronzio.*

1542, 19 settembre, *altra optione.*

1549, 15 decembre, *elezione fatta dal capitolo d' Ivrea per la morte del canonico Gerolamo Avogadro di Cesare Avogadro di Cerrione.*

Altro non ho potuto ricavare ne rinvenire previa attenta e lunga ricerca in fede.

Ivrea 31 agosto 1831. Canonico Marco. ✠

DOCUMENTUM III.

Ex editione secunda Francisci Delfau: *Johannis Gerseni abbatis S. Stephani Vercellensis Ord. S. Benedicti De Imitatione Christi et contemptu omnium vanitatum mundi lib. IV. Parisiis,* 1674, *apud Billaine.*

Instrumentum 1671, *Parisiis,* 14 *Augusti, in quo Mss. Codices librorum de Imitatione Christi coram illustrissimo Archiepiscopo Parisiensi ventilati atque discussi indicantur.*

Anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo primo, die quarta decima mensis Augusti, cum ex mandato Illustrissimi D. D. Francisci De Harlay, Parisiensis Archiepiscopi, Nos infrascripti convenissemus in aula ipsius Archiepiscopali: idem Illustrissimus D. Archiepiscopus jussit nobis exhiberi plures codices manu descriptos in quibus continetur Opusculum de Imitatione Christi, dixitque se velle, ut supra, his suffragium quisque nostrum ferremus.

Primus codex oblatus est nobis membranaceus in cujus primo folio præmittitur hæc inscriptio: *Liber Monasterii Canonicorum Regularium in monte S. Agnetis Virginis et Martyris prope Suvollis.* Dein recentiori manu hæc addita leguntur: *Quem F. Joannes Latomus Professor ordinis regularium in Throno B. Mariæ prope Herentals, ejusdem ordinis generalis minister, facta visitatione monasterii B. Agnetis prope Suvollam, ejusdem monasterii ruinis ereptum, ne penitus interiret, Antuerpiam allatum, Joanni Bellero, amico veteri et fideli, D. D. anno salutis* 1577, *porro Joannes Bellerus P. P. Societatis Jesu in gratiam suorum filiorum, quos eadem societas religiosos fovet, lubens donavit kal. junii* 1590. Postea in proximo folio verso habetur indiculus eorum quæ in toto codice continentur hoc modo:

Qui sequitur me non ambulat in tenebris.

Regnum Dei intra vos est, dicit Dominus.
De Sacramento venite ad me omnes.
Audiam quid loquatur in me Domine Deus.
Et post alia ultimo loco:
Brevis admonitio ab exterioribus, etc.

In fine vero codicis post prædictam admonitionem leguntur hæc verba minio descripta.

Finitus et completus anno Domini MCCCCXLI, per manus fratris Thomæ Kemp in monte S. Agnet. prope Zuvoll.

In libris quatuor de Imitatione Christi, qui in isto codice exstant, primo loco deprehenduntur errata non pauca, ex quibus hæc sint in exempla.

1° Transpositio libri de Sacramento altaris, qui cum in omnibus aliis quartus sit, in hoc codice est tertius, tum in indiculo superius relato, tum in ipsa librorum serie, incipiens a folio verso post librum secundum.

2° Omissiones quædam insignes, ut in lib. I, cap. 13, fol. 11, post illum versum: *Principiis obsta sero medicina paratur*, omittitur sequens ad sensum necessarius[1], *Cum mala per longas invaluere moras.* Et in lib. II, cap. 11, folio 35, verso: *Raro invenitur tam spiritualis*, etc. omittitur verbum *invenitur*, quod in margine suppletum est manu recentiori.

3° Solœcismi nonnulli: ut in libro quarto (qui in aliis tertius), cap. 36, fol. 94, verso: *Quod si ad præsens tu videris succumbi* pro *succumbere*, et cap. 55, fol. 113, verso: *stips inutilis* pro *stirps inutilis*[2].

4° Lituræ quorumdam verborum, quæ fallente oculorum jactu extra ordinem scripta fuerant, ut in libro I, cap. 19, fol. 15, verso, *Exercitia et sanctorum suffragia* tria postrema verba minio deleta, quinta post linea leguntur post idem vocabulum *exercitia*, quod repetitum fefellit scri-

1. Docti illi Viri non observarunt distichum non fuisse integre a S. Bernardo relatum neque ab aliis, uti adnotavi pag. 29 nota 8.

2. Hæc probant Kempis materialiter transcripsisse easdem mendas, quæ in nostro Ms. reperiuntur, ut pag. 212 et 268 demonstravimus.

d.

bentis oculos: et libri II, cap. 8, fol. 31: *Potes cito perdere*, etiam hæc vox *perdere* quæ post tria vocabula subsequitur, minio deleta est.

Secundus Codex Monasterii *S. Udalrici* apud Augustam Vindelicorum, in quo præter multa habetur, *Liber primus de Imitatione Christi*, et in fine hujus libri hæc subduntur: *Et est finis hujus tractatus scripti in Concilio Basiliensi anno Domini MCCCCXXXVII. Et sic cum Dei adjutorio finitus est iste Tractatus per me Georgium de Gottingen tunc temporis capellan in Wiblingen.*

Tertius Codex *Weingartensis* papyraceus, uti et præcedens, ita incipit: *Qui sequitur me*, etc. Et in fine tertii libri de Imitatione: *Explicit liber internæ consolationis finitus anno Domini MCCCCXXXIII, secunda feria ante festum Assumptionis Beatæ Virginis Mariæ per me fratrem Conradum Obersperg, tunc temporis conventualem in Weingarten.*

Quartus Codex *Mellicensis* papyraceus, in quo habentur primo loco *Manuale D. Augustini, tum Regula vivendi in Monasteriis edita a B. Hieronymo.* Postea *libellus de reformatione hominis, qui in quatuor partes dividitur. Primus De Imitatione Christi et contemptu omnium vanitatum mundi.* Et post hos libros quatuor de Imitatione Christi, sequuntur varii tractatus Johannis Gerson, in his: *Considerationes* ejus XXV, *De Confessionibus audiendis*, in quarum considerationum fine legitur, pag. 120, in margine inferiori: *Explicit die Kiliani* 34, id est anno 1434. Quod probatur ex registro nobis oblato librorum ejusdem monasterii Mellicensis, scripto et absoluto anno 1517. Sic enim legitur in calce registri: *Scriptum et collectum per fratrem Stephanum Purckhardi, anno Domini* 1517. In eo autem registro recensetur primaria manu prædictus codex, qui proinde anno 1434 scriptus dici debet, non anno 1534 quo jam ante annos septemdecim registrum erat absolutum: nec anno 1334 propter opuscula Gersonis, quæ in eo continentur sub numero J. 78.

Quintus in eodem registro designatur etiam alius Codex

itidem nobis oblatus in papyro scriptus, in quo exstat primo loco: *Tractatus S. Augustini de visitatione infirmorum;* et post alia: *Liber primus de Imitatione Christi;* tum *Contemplatio S. Bernardi de Passione;* in cujus fine hæc subscriptio legitur: *Explicit contemplatio B. Bernardi de Passione Domini, finita anno XXI, in die S. Johannis Baptistæ,* id est anno MCCCCXXI, ob rationem superius expositam de tempore scripti registri, in quo inscribitur iste codex, sub numero D. 43.

Sextus Codex Monasterii S. Jacobi apud *Leodium*, papyraceus, præter alia continens: *Librum de Sacramento altaris*, incipientem ab his verbis: *Venite ad me omnes*, etc. In præcedente vero folio verso leguntur hæc verba recentiori manu adscripta: *Anno Domini MCCCCXVII*, xv *die mensis octobris indutus fuit habitum ordinis S. Benedicti in monasterio ædificato in honorem Sanctorum Apostolorum Jacobi et Andreæ.*

Septimus Codex *Salzburgensis*, itidem papyraceus, in quo varii Tractatus, quorum indiculus initio præmittitur, et in eo indiculo id legitur: *De Imitatione Christi Joh. Gers.* Et in fine libri tertii de Imitatione: *Explicit liber internæ consolationis per fratrem Benedictum die Sabbati ante festum omnium Sanctorum, anno MCCCCLXIII, et scriptus Saltzburg. monasterii S. Petri.*

Octavus Codex monasterii *S. Germani a Pratis*, eleganter in membranis exaratus hanc inscriptionem præfert: *Incipit libellus devotus et utilis magistri Johannis Gerson de Imitatione Christi et contemptu omnium vanitatum mundi.* Et in fine libri quarti subditur: *Explicit liber quartus et ultimus de Sacramento altaris, anno Domini* 1460, 13 *Kal. septembris.* Quibus verbis subjungitur testimonium Caroli Le-Breton, doctoris medici facultatis Parisiensis, concedentis hunc libellum Patribus benedictinis congregationis S. Mauri, anno 1652.

Nonus Codex *Gerardi-Montensis*, veteris jamque detritæ scripturæ in membranis, una cum litteris Notarii publici

Bruxellensis [1] testantis factum coram se juramentum a R. P. Almaert monacho ac bibliothecario monasterii S. Adriani dicti Gerardi-montis, visam scilicet a se ac lectam in istius codicis ultimo folio, quod ante annos aliquot incerto casu avulsum est, subscriptionem in hæc verba : *Hic liber conscriptus fuit a F. Ludovico de Monte, qui obiit ante annum millesimum quadringentesimum.*

Decimus Codex monasterii *S. Benedicti*[2] *de Padolirone*, in papyro præter primum folium membraneum[3], sic inscriptus : *Incipit liber Johannis Gersen primus de conteptu*[4] *mundi, et De Imitatione Christi.* In qua inscriptione sana est omnino scriptura in nomine proprio, et nulla falsi legitima suspicio apparet, neque in subscriptione, quæ in fine codicis primaria manu exarata est hoc modo : *Explicit liber quartus Johannis Gersen de Sacramento Eucharistie.* Codex videtur scriptus ante annos minimum ducentos.

Undecimus Codex *Allatianus*[5], in papyro, in quo præter alia habentur libri quatuor de Imitatione Christi, præferentes hunc titulum : *Incipit Tractatus Johannis de Canabaco de Imitatione Christi et de contemptu omnium vanitatum mundi, et dividitur in quatuor libros.* Cognomentum *de Canabaco* interscriptum habetur super lineam, sed tamen eadem manu eodemque minio. (Vid. Tab. v, pag. xxvi.)

Duodecimus Codex *Cavensis*, optimæ notæ, in mem-

1. Litteræ Notarii habentur in Regia Bibliotheca Parisiensi, et a D. Gence transcribuntur pag. xxxv. Avulsionem similem vid. pag. xxii.

2. Monasterium celeberrimum sub titulo S. Benedicti de Padolirone vulgo *Polirone* seu inter Padum et Larinnem ab avo Comitissæ Mathildis fundatum, in quo sepulta est anno 1115 prope Mantuam. Hæc abbatia unita fuit Congregationi Casinensi Sanctæ Justinæ de Padua, ut legitur in codicis nota ad an. 1419. Quod affirmat Lobin; vid. p. xxxiv et Tab. v, unde de illius Codicis antiquitate nulla remanet dubitatio. Vid. Valgravius et Quatremaire.

3. Illi docti Viri non observarunt folium 12 esse quoque membranaceum.

4. Abest abbreviationis indicatio et inscriptio minio est exarata nitidissimis characteribus, uti et in fine legimus atramento nigro subscriptionem repetitam.

5. Seu Biscianus, uti jam diximus pag. xxxv, qui Codex characteribus semigothicis adparet scriptus non a manu italica, uti in Tabula v.

branis vetustis eleganter scriptus, in cujus prima littera vocis *Qui* imago Monachi nigri[1] crucem gestantis initio repræsentatur. Cujus imaginis exprimendæ occasio nata videtur ex illis verbis, quæ Auctor ipse dicit in lib. III, cap. 56: *Suscepi de manu tua crucem, portabo eam usque ad mortem sicut imposuisti mihi: Vere vita boni Monachi crux est, sed dux Paradisi.* In hoc codice habentur quatuor libri[2] de Imitatione. (Vid. Tab. v, N. 2, pag. xxxvi.)

Pro *tertio decimo* exhibitum est nobis testimonium publici notarii oppidi Aronæ in ditione Mediolanensi[3], quo

1. Mabillonius et Amort in speciminibus omiserant monachi imaginem, neque scriptura fideliter respondet originali uti in nostra Tab. v, N. 2.

2. Non animadverterunt illi docti Viri capituli ultimi tantum legi titulum in hoc codice, uti demonstravimus pag. xxxvi.

3. Nondum Novariensis ditissima provincia concessa fuerat eo tempore Sabaudiæ Duci.

Testimonium Rectoris Domus Societatis Jesu in burgo Aronæ, 1668, die Lunæ vigesimo sexto mensis Martii. *In mei Notarii testiumque infrascriptorum præsentia, et in studio mei Notarii infrascripti. Comparuit admodum R. Pater Franciscus Paravicinus rector domus Societatis Jesu, alias abbatiæ SS. Gratiani et Felini burgo Aronæ, Diœcesis Mediolanensis, et exhibuit quemdam librum antiquum Manuscriptum in carta pergamena, petens litteras testimoniales dari super recognitione ejusdem ad perpetuam rei memoriam: Qui quidem liber a me dicto et infrascripto Notario præ manibus acceptus, visus et inspectus, conspicitur et legitur in primo folio, ubi decernitur tabella capitulorum ejusdem libri incipiens per litteras rubeas ultimi L. I. Deinde sequuntur hæc verba, videlicet:* Incipiunt capitula primi libri Abbatis Johannis Gersen sub numero viginti quinque, et primum capitulum sic incipit, videlicet: Qui sequitur me non ambulat in tenebris.

Et sic de secundo, tertio et quarto libro dicti Abbatis Johannis Gersen, in cujus fine leguntur hæc verba, videlicet:

Explicit liber quartus et ultimus Abbatis Johannis Gersen de Sacramento Altaris. *Qui liber est coopertus duabus tabulis ligneis more antiquo, et quæ recognitio fuit a me Notario infrascripto facta, sic requirente dicto admodum R. Patre Rectore Societatis Jesu Aronæ, præsentibus testibus D. Carolo Francisco Cauzrano præsbytero et D. Johanne Rampono Causidico, ambobus habitantibus Aronæ, notis.*

Ego Julius Franciscus Ramponus, publicus Apostolicus et Imperiali auctoritate Mediolanensis notarius, collator prædicti D. Causidici Johannis, habitator Aronæ, Ms. Librum et ut supra recognovi et attestor adesse scriptum ut supra; et in fidem. Signatum cum monogrammate Julius Franciscus Ram-

nobis facta fides est, exstare in bibliotheca collegii Aronensis societatis Jesu *quemdam librum antiquum manuscriptum in charta pergamena incipientem per litteras rubeas*, *videlicet* L. I. ac deinde sequi hæc verba : *Incipiunt capitula primi libri Abbatis Johannis Gersen*, *sub numero viginti quinque ;* et primum capitulum sic incipere : *Qui sequitur me non ambulat in tenebris.* Et post librum quartum : *Explicit liber quartus et ultimus Abbatis Johannis Gersen*, *de Sacramento altaris.* Lecta sunt etiam nobis Bernardini Rossignolii, Andreæ Majoli, Possevini, ac Bellarmini testimonia de isto codice Aronensi quem *perantiquum* Possevinius vocat.

Præterea ostensæ sunt etiam nobis variæ ejusdem opusculi editiones primariæ, sub nomine Sancti Bernardi una absque temporis nota, aliæ sub nomine Johannis Gerson, una etiam versionis gallicæ sub nomine Thomæ a Kempis facta anno 1494, in cujus fronte præfigitur monitum istud, *libellum* scilicet *de Imitatione a quibusdam eatenus attributum fuisse S. Bernardo aut magistro Johanni Gersoni.*

In quorum fidem communi consensu hoc instrumentum subsignavimus die quintadecima ejusdem mensis, anno prædicto.

Subscripserunt in originali A. Faure, Carolus Le Cointe congreg. Oratorii præsbyter, De-Vion d'Herouval, De-Valois, Baluse, Cotelier.

Franciscus miseratione divina et sanctæ Sedis Apostolicæ gratia archiepiscopus Parisiensis, ea omnia quæ in superiori instrumento exposita sunt, bona fide, cum maturo ac diligenti examine de nostra auctoritate et in præsentia nostra facta esse testamur. Datum Parisiis, anno, mense et die quibus supra. *Franciscus*, *Archiep. Paris.*

ponus. *Nos I. C. Johannes Mandegatius Prætor et Commissarius oppidi Aronæ et Obinentiorum*, *etc.*, *fidem facimus et attestamur Jurisconsultum D. Julium Franciscum Ramponum esse publicum et legalem Notarium ejusque instrumenti et scripturis publicis plenam adhiberi fidem in judicio et extra. In quorum fidem*, *etc. Ex officio Prætorio Aronæ*, *die Lunæ* 26 *mensis Martii* 1668 *Signatum I. Mandegatius*, *et sigillatum et inferius signatum.* Paulus Camillus.

De mandato illustrissimi ac religiosissimi Domini D. Archiepiscopi ✠ *Morange.*

Ego infrascriptus cum ab illustrissimo D. Archiepiscopo, una cum viris clarissimis delectus fuissem ad examinandos prædictos Codd. Mss. nec hora indicata adesse potuissem, visis et accurate perspectis iisdem codicibus, testor ea omnia ut in præmisso instrumento exposita sunt, ita se habere. *Du-Fresne Du-Cange.*

DOCUMENTUM IV.

Ex libro Francisci Delfau: *De Imitatione Christi Johanni Gerseni Abbati Ord. S. Benedicti iterato adserti maxime ex fide Mss. exemplarium quæ ejus nomen præferunt; quæque nunc temporis visuntur in Monasterio S. Germani a Pratis. Editio secunda auctior et emendatior. Parisiis, apud Lud. Billaine.* 1674.

1674, die prima Augusti, Romæ. Testimonium Clar. V. J. G. Slusii. *Ego infrascriptus fidem facio quod Codex manuscriptus in quo continentur quatuor libri de Imitatione Christi, et in quorum fine minio scriptum habetur*, Explicit liber de Sacramento altaris Johannis Gersen, *Romæ a me pecunia emptus sit, et datus Patri Antonio Durban, procuratori generali congregationis Sancti Mauri ordinis Sancti Benedicti, mittendus Parisios R. P. Lucæ Dacherio prædictæ congregationis monacho.*

Datum Romæ die prima Augusti anno 1674. *Subsignavit in originali:*

Johannes Gualterus brevium secretorum S^mi^ D. N. D. Clementis divina Providentia P. P. X. secretarius et prælatus domesticus.

Testimonium clarissimorum Virorum qui Codicem a

prædicto D. I. G. Slusio nobis concessum ac Gerseni inscriptum[1] videtur.

Nos infrascripti fidem facimus, visum a nobis Codicem papyraceum ab annis minimum ducentis manu exaratum, in quo habentur quatuor libri de Imitatione Christi, cum hoc titulo : De Imitatione Christi et contemptu omnium vanitatum primum capitulum. *Et cum hac subscriptione in fine libri quarti :* Explicit liber quartus et ultimus de Sacramento Altaris Johannis Gersen. *Quam quidem subscriptionem primaria manu appositam, omnino sanam et integram esse testamur uti etiam nobis constitit litteris testimonialibus illustrissimi viri Johannis Gualteri Slusii brevium secretorum S. D. N. Clementis Papæ X, secretarii et prælati domestici, a quo hic Codex Patribus congregationis S. Mauri commodatus est. Datum Lutetiæ Parisiorum, X Kal. septemb. anni MDCLXXIV.*

Subsignaverunt in originali :

Carolus Le Cointe præsb. Congr. Oratorii, Du-Fresne Du-Cange, De-Vion d'Herouval, Hadrianus Valesius, De-Launoy, Stephanus Baluse, Cotelier.

DOCUMENTUM V.

Depromptum a Chart. 88. *B.* 7. *ex scriptis S. Germani a Pratis, N.* 147. *in regia Mss. bibliotheca parisiensi.*

Instrumentum 1687, 28 *Julij, Parisiis, a novemdecim doctis viris subscriptum circa ætatem Mss. Aronensis, Parmensis et Bobiensis, qui a Mabillonio ab Italia fuerunt translati.*

Nos infrascripti testamur visos, inspectos ac diligenter examinatos a nobis fuisse tres codices manuscriptos, in quibus quatuor de Imitatione Christi libri vulgati continentur.

1. Codex Parisiensis dictus, qui adhuc servatur in Mss. bibliotheca regia Parisiis sub N° 1558. Hoc manuscriptum cum Mantuano confudit Amort in sua Deductione critica, pag. 73. Vid. præf. pag. xxxv.

Primus *est codex domus probationis Aronæ societatis Jesu*[1], *ut initio libri manu recentiori adscriptum legitur; in membranis exaratus, in cujus primo folio hic titulus minio pictus habetur:*

Incipiunt capitula primi libri Abbatis Johannis Gesen, de Imitatione Christi et contemptu omnium vanitatum mundi, cap. I.

Item initio libri secundi: Incipit tabula libri secundi abbatis Johannis Gesen de interna conversatione, cap. I.

Deinde post librum secundum: Incipit tabula tertii libri Abbatis Johannis Gesen de interna Christi locutione ad animam fidelem.

Hi omnes tituli minio descripti sunt usque ad argumentum capitulorum. Titulus autem quartus ex atramento sic præfert: Incipiunt capitula quarti libri Abbatis Johannis Gessen cum quanta reverentia Christus est suscipiendus, cap. I.

Postremo in fine libri ex minio: Explicit liber quartus et ultimus Abbatis Johannis Gersen, de Sacramento altaris[2].

Post hæc sequuntur in eodem codice: Augustinus ad Cornelium de contemptu mundi. Epistola B. Bernardi ad parentes suos. Ambrosius de moribus et honesta vita; *ac demum* Bernardi aliud fragmentum.

Quæ omnia eadem manu, eodemque charactere absque ulla diversitate scripturæ exarata sunt eleganter. Quæ scriptura nobis videtur non inferior Annis Trecentis.

Secundus Codex est S. Johannis Evang. Parmæ in minima forma, in quo libri quatuor de Imitatione Christi: præmittitur Regula S. Benedicti, *in cujus fine hæc leguntur:* Sanctissimi Benedicti explicit Regula discretione præcipua et sermone loculenta, die octavo Augusti 1466. *Deinde post unum foliolum sequitur:* De Imitatione Christi et contemptu omnium vanitatum mundi, caput I. *In fine vero libri quarti:* Explicit liber quartus et ultimus Sancti Johannis Gersem, de Sacramento altaris. Amen.

1. Olim Abbatia SS. Gratiniani et Felini in arcem Aronæ monasterii Benedictini ad ripam occiduam Lacus majoris. Vid. Lobin. p. 30.

2. Vid. Specimen hujus Codicis accurate excusum in Tab. IV, pag. XXXII.

Tertius *denique Codex nobis exhibitus est Monasterii Sancti Columbani de Bobio signatus numero* 554[1] *sub hoc titulo:* In nomine Domini. Amen. Incipit libellus de Imitatione Christi et contemptu omnium vanitatum mundi. Capitulum primum. *Et post tres priores libros:* Incipit liber Johannis Gersem cum quanta reverentia et devotione Sacratissimum Dominicum corpus et sanguinem sit sumendum.

Et in fine libri quarti: Explicit Deo laus et beatissimæ Mariæ Virgini. *Extremo loco habetur brevis tractatus pius, incipiens ab his verbis absque titulo:* Quoniam, carissime, in hujus miserabilis vitæ fugientis ærumpnosa via sumus, etc.

Quo in codice etsi nulla temporis apposita est nota, scriptura tamen[2] *videtur esse ejusdem ætatis ac temporis quo scriptum fuisse censuimus Codicem Aronensem.* In quorum omnium fidem præsens instrumentum scripsimus die 28 mensis julii anno millesimo sexcentesimo octogesimo septimo apud Luteciam Parisiorum in Monasterio Sancti Germani a Pratis, signarunt

A. Faure.
De Sainte Bauve.
De Vion d'Herouval.
Cousin.
Du-Fresne Du-Cange.
Eusebius Renaudot.
E. Baluse.
J. Hardoin, S. J.
B. D. Herbelot.
Cl. Chastelain, Canonic. S. M. Parisiensis.

F. Natal. Alexander, Doctor Facultatis Paris.
L. Ellies Du-Pin.
François De-Launay.
Caille-Dufourny.
Emericus Bigot.
Charles Bulteau.
F. Casimirus Oudin.
Clément.
S. Chamillard, S. J.

1. Iste codex nunc signatus N° 555 scriptus fuit in charta bombycina vel cutanea quæ, juxta Montfaucon, Maffei et Trombellium, jam a IX in Oriente et a sæculo XII in nostra Italia usui fuit.

2. *Ut ex lineolis super litteram I adjectis aliisque indiciis colligitur, ad sæculum decimum quartum accedit. In quorum fidem et....* Recognovimus hæc eadem manu exarata sed lineolis deleta in originali Instrumento, quia probabiliter non omnibus doctis illis Viris ratio arridebat, sed nulla fraus, nullus astus dignoscitur in isto Instrumento, quod in Regia Mss. bibliotheca diligenter asservatur, uti D. Gence suspicatus est pag. LXXIII.

Contra Instrumentum 1687 concludit D. Gence, pag. LXXIII, hisce verbis: *Huic autem judicio Eruditorum Paris. de scriptura Cod. Aronæ annis trecentis inferiore non visa, opponere liceàt sententiam quam postera ætate plerique tulere ex Gallia, ex Belgio, ex Germania, eruditi viri qui sequuntur, Dacier, Lespine, Petit-Radel, Daunon, Raynouard, Lemaire*, etc., *qui* (ut asseritur) *assignarunt Ms. a decimo quarto ævo decedente ad progrediens ævum quindecimum.* Hoc quidem judicium Codicis Aronensis ad annum 1425, ætatem protraheret, quo tempore Gerson cancellarius nondum eo anno requiebat ut pacificum hunc scriberet libellum. At quomodo isti docti Viri inspectis quatuor incultis ac vitiosis speciminibus a D. Gence editis, poterant judicare, et opponi consessui tam Doctorum, qui plures Italos, Gèrmanicos, Gallicosque Mss. tunc sub oculis habebant? Specimen Ms. Aronensis, Tab. IV, quod peritissimus artifex confecit Taurini, anno elapso, codice ipso expresso, qui servatur in illa regia Bibliotheca, comparet Lector cum Genceanis speciminibus in editione positis: dein judicet.

IN METROPOLITANA[1] VERCELLENSI.

EXEMPLAR

ACTUS CAPITULARIS

DIEI XXIV MAJI MDCCCXXXIII.

Ibique.... Dominus Canonicus Theologus Verga Thesaurarius retulit, ac refert, se litteras accepisse Parisiis datas ab Illustrissimo Præside, et Equite De-Gregory Vercellensi, in quibus se paratum dicit ad offerendum huic Ecclesiæ et Capitulo Codicem, *de Imitatione Christi*, quem manuscriptum *De-Advocatis* Ipse possidet, ut, obtento Capituli assensu, in Archivis hujus Metropolitanæ una cum antiquissimis Eusebianis monumentis in perpetuum asservetur.

Illustrissimi ac Reverendissimi DD. Canonici eidem D° Canonico Theologo Verga commiserunt et committunt, ut Illmo Viro comiter respondeat ejusmodi Codicis donum Capitulo futurum esse pergratum, totiusque Corporis grati animi sensus et obsequium erga Præsidem exprimat atque testificetur.

Canonicus Pizio, J. U. Doctor
et Syndicus Capitularis.

1. Ecclesia Vercellensis a Divo Barnaba fundata, primum episcopum D. Eusebium anno 337 recognovit hisque in Concilio Alexandrino se episcopum Vercellarum civitatis Galliæ signavit. Eodem tempore Vercellæ Ligurum urbs primatum inter cæteras retinebat, postea primatum obtinuit Mediolanum. An. 1817 rege Victorio Emanuele postulante, Pii VII gratia, primatum fuit recognitum et Joseph De-Grimaldis Eusebianæ Ecclesiæ Archiepiscopus fuit designatus. Videatur *Istoria Vercellese* Tom. IV. A. N.

TABULA PRÆFATIONIS.

TABULÆ ÆRI INCISÆ.

CODEX.

CODEX DE-ADVOCATIS

SÆCULI XIII.

Incipit libellus [1] de imitatione Christi [2] et contemptu mundi omniumque ejus vanitatum :

CAPITULUM PRIMUM.

I. Qui sequitur me non ambulat in tenebris [3] dicit Dominus. Hæc sunt verba Christi, quibus admonemur quatenus vitam ejus, et mores imitemur, si volumus [4] veraciter illuminari, et ab omni cæcitate cordis [5] liberari.

Summum igitur studium nostrum, sit in vita Jesu meditari.

II. Doctrina Ejus [6] omnes doctrinas Sanctorum præ-

N. B. In Ms. De-Advocatis desunt numeri ad discernendos articulos. Nos veteri orthographia codicis in primæva ad centum exemplaria editione retenta, illam in hac secunda, lectoris gratia, emendamus.

1. Codices perantiqui fere omnes sic inscribunt librum primum, ut secernatur a secundo *de interna conversatione* : a libro tertio *de interna consolatione.* Jam demonstravimus in Historia Vercellensi tractatum *de Imitatione Kristi* fuisse promulgatum apud varias nationes, quia ab anno 1228 Athenæum Vercellis floruit, et eo collegia Provincialium, Francorum, Normannorum, Anglorum, Hispanorum, Teutonumque fuerunt ab urbe Patavina translata. Vid. Tiraboschi Tom. VI. Durandi, *Della condizione del Vercellese*, et alii.

2. *Xpti*, ita etiam in editione 1488.

3. Joan. VIII, 12, ibi : « Ego sum lux mundi : *qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* » Hæc postrema verba non legimus in cod. Cavrusi et Bobiensi ; aliter in edit. 1488, 1608, et posterioribus.

4. *Velimus* ediderunt Gence, Rosweydus et Elzevirius, non ita Caietanus.

5. « Cæcitate cordis eorum. » Marc. III, 5. — « Propter cæcitatem cordis ipsorum. » Ephes. IV, 18.

6. *Jesu Christi* scripsit Gence. Ita non legitur in cod. Mellicensi et Cavensi, qui cum nostro Ms. concordant.

cellit, et qui spiritum[1] haberet absconditum ibi manna[2] inveniret.

Sed contingit quod multi ex frequenti auditu Evangelii[3] parvum desiderium sentiunt, quia spiritum Christi non habent[4].

Qui autem vult plene et sapide verba Christi intelligere, oportet ut totam vitam suam illi studeat conformare.

III. Quid prodest tibi alta de Trinitate disputare[5], si careas humilitate unde displiceas Trinitati?

Vere alta verba non faciunt sanctum et justum sed virtuosa vita efficit Deo carum.

Opto magis sentire compunctionem quam scire[6] definitionem.

Si scires totam[7] Bibliam[8], et omnium philosophorum[9] dicta quid totum prodesset, sine charitate[10] et gratia?

Vanitas vanitatum et omnia vanitas[11] præter amare Deum et illi soli servire.

Ista est summa sapientia per contemptum mundi tendere ad regna cælestia.

1. *Spiritum ejus* in aliquot editionibus; vel *Christi* in aliis codicibus, ut in codice Mellicensi et Somalii editione. Non sic in Cav. et Bobiensi.

2. « Vincenti dabo manna absconditum » Apoc. II, 17.

3. In perantiquis MSS. sæculi XIII litera j frequentissimi fuit usus una cum vocali. Vide infra.

4. « Si quis autem spiritum Christi non habet. » Rom. VIII, 9.

5. Istæ disputationes adhuc erant propriæ sæculi XIII.

6. *Ejus definitionem* scripsit Gence, sed cod. Cavensis concordat cum nostro Ms.

7. « Lectiones sanctas libenter audire. » Cap. IV Regul. S. Benedicti.

8. *Bibliam exterius.* Ita Gence. Abest adverbium in editione Caietani, atque in codicibus Aronensi et Cavensi, aliisque editionibus.

9. Animadvertendum est in MSS. perantiquis non reperiri literas majusculas, nisi raro, ut Gence et alii.

10. *Dei* addiderunt glossatores. « Non intratur in veritatem nisi per charitatem. » Augustinus contra Faustum, lib. XXXII, 18.

11. « Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, et omnia vanitas. » Ecclesiastes I, 2.

IV. Vanitas igitur est divitias perituras quærere, et in illis sperare [1].

Vanitas quoque est honores ambire, et in altum[2] se extollere [3].

Vanitas est carnis desideria [4] sequi, et illud desiderare unde postmodum [5] graviter oportet puniri[6].

Vanitas est longam vitam optare, et de bona vita modicum [7] curare [8].

Vanitas est præsentem vitam solum attendere, et quæ futura sunt non prævidere [9].

Vanitas est diligere quod cum omni celeritate transit[10], et illuc[11] non festinare ubi sempiternum manet gaudium[12].

V. [13]Stude ergo cor tuum ab amore visibilium abstrahere, et ad invisibilia te transferre. Nam sequentes

1. « Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis; et hoc ergo vanitas. » Eccl. v, 9; ibid. II, 1, et 4 ad 12.

2. *Altum statum* legitur in pluribus codicibus atque in editionibus Caietani, et Elzevirii; sed nostram lectionem secutus est Gence in editione 1826, auctoritate cod. Mellicensis, Cavensis et Weingart, ac ipse Leonardus Pachel in edit. Mediolanensi 1488.

3. *Ut gravius ruas* in cod. Bob. « De carcere... quis egrediatur ad regnum... hoc vanitas, et afflictio spiritus. » Eccl. IV, 14, 16; ibid. X, 5, 6, 7.

4. « Desideria carnis non perficietis. » Paulus ad Galat. v, 16.

5. *Post mortem*, ita legimus in edit. Zainer, *graviter pœniteri* in codic. Mellicensi et Allatiano.

6. *Graviter puniatur* in cod. Cav. « Quis deliciis affluet, ut ego?.. Sed et hoc vanitas est. » Ec. II, 25; ib. XI, 10.

7. *Parum curare* scripsit Gence cum Elzevirio et aliis. « Virtutem cole: sic enim, licet juvenis moriaris, secure discesseris. Ita Chrysostomus Homil. 22, in Hebræos.

8. « Si quispiam vixerit multos annos... et anima illius non utatur bonis... frustra venit, et pergit ad tenebras. » Eccl. VI, 3, 4.

9. « Si annis multis vixerit homo et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum, qui, cum venerint, vanitatis arguentur præterita. » Ecclesiastes XI, 8.

10. » Vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole. » Eccles. II, 11.

11. *Illic* scripsit Bollandus in editione Elzeviriana 1658, quod est solœcismus etiam in alias editiones illapsus excepta tamen edit. 1488.

12. » Memento Creatoris tui, antequam... spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Vanitas vanitatum et omnia vanitas. » Eccl. XII, 1, 7, 8.

13. *Memento illius frequenter proverbii: quia non satiatur oculus visu,*

suam sensualitatem, maculant conscientiam, et perdunt Dei gratiam [1].

De humili scire[2] sui ipsius.

CAPITULUM II um.

1. Omnis homo naturaliter scire desiderat [3]. Sed scientia sine timore Dei [4] quid importat?

Melior est profecto Rusticus humilis, qui Deo ser vit, quam superbus Philosophus qui se neglecto, cursum cæli considerat [5].

Qui bene se ipsum cognoscit sibi ipsi vilescit, nec laudibus delectatur humanis [6].

Si scirem omnia quæ in mundo sunt, et non essem in charitate, quid me iuvaret coram Deo, qui me judicaturus est ex facto [7]?

nec auris impletur auditu. Hæc a glossatoribus adjecta et a libro Ecclesiastæ 1, 8, deprompta, sicut et plurimæ aliæ sententiæ quæ leguntur in editione Genceana.

1. N. B. Antea quam ad secundum capitulum procedam, notatu dignum puto, vocabula *Xptus* et *Yhesu* redolere orthographiam sæculi XIII, ut in aetia ab an. 1264 ad 1314 jam in Præfatione demonstratum.

2. *Sentire* scripsit Gence cum Elzevirio et aliis, sed plures codices, ut Cavensis, nobiscum conveniunt, et Delfao in edit. 1674; quanquam noster amanuensis scripserat *sentire* in indice postea redacto.

3. « Investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole. » Eccl. 1, 13. « Omnes homines natura scire desiderant. » Arist. Metaph. lib. 1. cap. 1, interprete Card. Bessarione. Opp. tom. II. pag. 1269, edit. Lugd. 1581.

4. Juxta cod. Cav. et Aron. Caietanus omisit vocabulum *Dei*, uti notat Rosweyd. « Timor domini, scientiæ religiositas. » Ecclesiasticus 1, 17.

5. « Melior est homo ... deficiens sensu in timore, quam qui abundat sensu, et transgreditur legem Altissimi. » Eccl. XIX, 21. « Fidelis homo... inhærendo tibi, cui serviunt omnia, dubitare stultum est, quin utique melior sit, quam mensor cæli, et numerator siderum et pensor elementorum, et negligens tui. » Aug. Conf. lib. V, c. 4.

6. « Sextus humilitatis gradus est, si omni vilitate et extremitate contentus sit monachus. » Cap. VII Regul. S. Benedicti.

7. « Si noverim mysteria omnia, et omnem scientiam... charitatem autem non habuero, nihil sum ». 1 Paulus ad Corinthios XIII, 22.

II. Quiesce a nimio[1] discendi desiderio, quia ibi magna incitatur distractio et deceptio.

Scientes volunt libenter docti videri[2] et sapientes dici[3].

Multa sunt, quæ scire animæ parum vel nihil prodest[4]. Et valde insipiens est, qui aliquibus[5] magis[6] intendit, quam his quæ saluti suæ deserviunt.

Multa verba non satiant animam, sed bona vita refrigerat mentem, et pura conscientia[7] magnam ad Deum præstat confidentiam.

III. Quanto plus et melius scis, tanto gravius judicaberis inde nisi sancte[8] vixeris.

Noli ergo extolli de ulla arte vel scientia, sed potius time de data tibi notitia.

Si tibi videtur quod multa scias[9] et satis bene intelligas, scito tamen quia sunt multo plura quæ nescis[10].

Noli sapere altum[11], sed ignorantiam tuam magis fatere.

1. *Sciendi desiderio quia magna ibi invenitur distractio* legitur in edit. Genceana, Elzeviriana, Caietanea, etc. Nos lectionem nostram aptiorem ducimus. Nam distractio magis in cupiditate inordinata discendi quam in scientia ipsa contrahitur, in actione plus quam in meditatione. Præceptor voluit alumnus remotus a nimio discendi studio.

2. Vox *docti* omisit Gence, ut alii.

3. Addit cod. Bob. *honore sublimari, quia nimirum nesciunt se occultare.* « Noli velle videri sapiens. » Ecclesiasta VII, 5. — « Scientia inflat, charitas vero ædificat ». Paulus I ad Cor. VIII, 1.

4. *Prosunt* ediderunt Gence, Elzevirius, Caietanus, Valgravius, sed nobis conveniunt Delfau, Valart et editor Lugdunensis anno 1608, qui solœcismum omnes emendarunt.

5. *Aliis* scripserunt Valart, Enriquez, sed nostram lectionem secuti sunt Gence, Elzevirius, Caietanus, Valgravius et editio Romana 1697.

6. Omiserunt plures editores adverbium *magis*, quod respondet particulæ *quam*.

7. « In conscientia pura. » I Paulus ad Tim. III, 9.

8. *Nisi sanctius* Gence et editor 1488. Quorsum hoc comparativum?

9. *Scis et satis bene intelligis* legimus in edit. Genceana et Elzeviriana.

10. Addit cod. Bob.: *Scito insuper quod multi sunt qui faciunt que tu scis, quod longe melius et utilius est.*

11. « Noli altum sapere. » Rom. XI, 20.

Quid te vis alicui præferre, cum[1] plures doctiores te inveniantur, et magis in lege periti.

Si vis aliquid utiliter scire, et discere, ama nesciri[2], et pro nihilo reputari.

IV. Hæc est altissima et utilissima lectio[3], sui ipsius vera cognitio, et despectio[4].

De se ipso nihil tenere[5], et de aliis semper bene et alte sentire magna sapientia est, et perfectio.

Si videres aliquem[6] aperte peccare, vel aliqua gravia perpetrare, non deberes te[7] meliorem exstimare.

Omnes fragiles sumus, sed tu neminem fragiliorem te ipso tenebis.

De doctrina veritatis.

CAPITULUM III^um.

I. Felix quem Veritas per se ipsam[8] docet[9], non

1. *Quum* semper legitur in pluribus editionibus, sed cod. Cavensis et Pachel de anno 1488, cum nostro Ms. etiam in orthographia et interpunctione concordant.

2. *Ama nesciri*. S. Bern. Serm. III, in Nativ. Dom. n. 3. Hoc præceptum secutus est auctor tractatus de Imitatione juxta Regul. S. Benedicti cap. VII De humilitate.

3. *Verissima lectio* in cod. Cavensi, sed in aliquibus codicibus scripserunt *eruditio* vel *scientia*. Agitur hoc loco de præceptore qui lectiones sodalibus suis præbet.

4. *Hæc est vera philosophia cujus studio jugiter insudare et invigilare debes, de se ipso* etc. Ita in cod. Bob.

5. *Nihil tenere* ait Gence esse italicum vetus præceptum: *tenersi da nulla, di nessun conto*, quod probat auctorem libri nostratem fuisse, non Gallicum nec Teutonicum.

6. *Alium* scripserunt Gence et Elzevirius, sed Valgravius, Delfau et editores 1488, 1608, secuti sunt nostram lectionem: nam diversa est pronominum significatio hoc loco.

7. « *Non debes te tamen meliorem æstimare, quia nescis quamdiu possis in bono stare.* » Sic legitur in edit. Genceana et aliis, sed non est hæc ratio sufficiens, unde quis non se meliorem æstimet. Hæc posteriora a glossatoribus videntur adjecta.

8. *Per se docet*, ita Gence, Elzevirius, Valgravius et alii, sed Delfau correxit *per se ipsam*, juxta perantiquos codices et constructionem Italicam « *la verità per se' stessa insegna* etc. ».

9. »Beatus homo, quem tu erudieris, Domine». Ps. XCIII, 12.

per figuras et voces transeuntes, sed sicuti se habet [1].

Nostra opinio, et noster sensus sæpe nos fallit, et modicum videt.

Quid prodest magna cavillatio de occultis, et obscuris rebus de quibus nec arguemur in iudicio, quia ignoravimus [2]?

Grandis insipientia quod neglectis utilibus, et necessariis, ultro intendimus curiosis, et damnosis. Oculos habentes, non videmus [3].

II. Et quid [4] nobis de generibus et speciebus, cui æternum Verbum loquitur a multis opinionibus expeditur.

Ex uno Verbo omnia [5], et unum loquuntur omnia et hoc est Principium quod et loquitur nobis [6]. Nemo sine illo intelligit, aut recte judicat.

Cui omnia [7] unum sunt, et qui omnia ad unum trahit, et omnia in uno videt, potest stabilis esse, et in Deo pacificus permanere.

1. « Ore ad os loquor ei... non per ænigmata, et figuras. » Num. XII, 8.

2. Agitur hic de disputationibus inter religiosos circa merita sanctorum, uti in capitulo LVIII libri 3, cujus titulus : De altioribus rebus et occultis judiciis Dei non scrutandis.

3. « Habentes oculos, non videtis. » Jerem. V, 21.

4. *Quid curæ nobis de generibus et speciebus* : in editionibus Genceana, Elzeviriana et aliis; sed nobis conveniunt codex Cavensis, Caietanus et editor romanus 1597. Disputationes de generibus vel speciebus, et aliæ similes ex Aristotelis philosophis depromptæ erant in usu circa annum 1220, tempore quo florebat Academia Vercellensis atque in pretioso archivo Metropolitanæ ecclesiæ S. Eusebii, Vercellis, servantur codices illius ævi, quorum tituli : 1° Introductio Porphyrii in categorias, et Augustini tractatus de physica. 2° Liber dialecticæ categoriæ Aristotelis ab Augustino de græco in latinum translatæ. Vid. cap. 43 lib. III infra. Vid. Historiæ Vercellensis documenta, t. 3. Insuper in polemica dissertatione, 1827 Parisiis edita, jam demonstravimus præceptorem voluisse distinctiones Porphyrii ex libris prædicabilium depromptas refutare.

5. « Omnia per ipsum facta sunt. » Joan. I, 3.

6. « Dicebant ei : Tu quis es? Dixit eis Jesus : Principium, qui et loquor vobis. » Joan. VIII, 25.

7. *Cui* et *qui* omisit scriba in Ms.

O veritas[1] Deus, fac me unum tecum in charitate perpetua[2].

Tædet mihi sæpe multa legere[3], et audire in te totum est, quod volo et desidero.

Taceant omnes Doctores, sileant universæ creaturæ in conspectu tuo, tu mihi loquere solus.

III. Quanto magis aliquis[4] unitus, et interius implicatus[5] fuerit, tanto plura et altiora sine labore intelligit quia desuper lumen intelligentiæ accipit.

Purus simplex et stabilis spiritus in multis operibus non dissipatur, quia omnia ad Dei honorem operatur, et in se otiose[6] ab omni propria exquisitione esse nititur.

Quis[7] te magis impedit, et molestat quam tua immortificata cordis affectio[8]?

Bonus et devotus homo, opera sua intus prius disponit, quæ foris agere debet, nec illa trahunt[9] ad desideria vitiosæ inclinationis, sed ipse inflectat ea ad arbitrium rectæ intentionis[10] rationis.

Quis habet fortius certamen, quam qui nititur vincere se ipsum?

Et hoc deberet esse negotium nostrum, vincere

1. « Ego sum Veritas. » Joan. XIV, 6.

2. « In charitate perpetua dilexi te. » Jerem. XXXI, 3.

3. *Multa legere et audire:* hæc conveniunt cum lectione præcedenti, ubi præceptor tirones suos amovet a nimio *discendi desiderio*.

4. *Sibi unitus:* ita Gence, Enriquez; legimus *tibi* in cod. Bobiensi.

5. *Simplificatus* in aliis codicibus, vocabul. XIII sæculi juxta Du Cange.

6. *Otiosus* scripserunt Gence, Elzevirius, Caietanus, et alii; in cod. Cavensi vocabulum *otiose* fuit omissum.

7. *Quid:* ita correxit grammaticus Valart juxta cod. Bobiensem.

8. *Affectio cordis? Amor ejus inordinatus pena est sibi.* Hæc in cod. Bobiensi adjecta a glossatore.

9. *Trahunt eum* in pluribus editionibus: notandum est quod sensus videtur esse continuatus.

10. *Rectæ rationis* Gence, Elzevirius et alii; attamen si particula copulativa adjungitur, sensus clarior erit juxta auctoris mentem.

silicet se ipsum, et quotidie se fortiorem ipso fieri, atque in melius[1] proficere.

IV. Omnis perfectio in hac vita quamdam imperfectionem sibi habet annexam. Et omnis speculatio nostra quadam caligine non caret.

Humilis tui[2] cognitio certior via est ad Deum, quam profundæ scientiæ inquisitio.

Non est culpanda scientia, aut quælibet[3] rei notitia quæ bona est, in se considerata, et a Deo ordinata, sed præferenda est, semper bona conscientia, et[4] vita, quia student magis plures scire quam bene vivere, ideo sæpe errant, et nullum vel modicum fructum ferunt.

V. O, si tantam adhiberent diligentiam[5] ad extirpanda vitia, et virtutes inserendas, sicuti[6] movendi quæstiones, non fierent tanta mala et scandala in populo nec tanta dissolutio in cænobiis[7].

Certe adveniente die judicii, non quæretur a

1. *Melius proficere* legitur in cod. Arouensi a Caietano edito, absque voce *aliquid*. Gence non arrisit hæc lectio, et adjecit particulam *aliquid*, ut Elzevirius etiam et Delfau addiderunt.

2. *Humilis sui* scripsit Gence, sed omnes editiones a nobis visæ et ipsemet Elzevirius, conveniunt cum nostro Ms.

3. *Aut quælibet simplex* ediderunt Gence, Elzevirius, Valgravius, etc. Attamen Caietanus et editio 1697 cum nobis conveniunt.

4. *Et virtuosa vita* scripsere Gence, Elzevirius, Enriquez, et alii; sed frustra fecisse nobis videntur, nam oratio est continuata.

5. *Dilligentiam.* Proh! quam frequens est literarum duplicium usus in nostro Ms.! Hæc et alia ad sæculum XIII referuntur.

6. *Ad movendas* ediderunt Gence, Elzevirius, et alii.

7. S. Benedicti ætate, monachorum quatuor erant genera :

1° *Cænobitarum*,

2° *Anachoretarum*, id est Eremitarum,

3° *Sarabaitarum*,

4° *Gyrovagorum*. Vide cap. I. Regulæ S. Benedicti.

nobis quid legimus, sed quid fecimus nec quam bene diximus[1], sed quam religiose viximus.

Dic mihi, ubi sunt modo illi omnes Domini[2], et Magistri[3] quos bene nosti dum adhuc bene viverent, et in studiis florerent?

Jam eorum præbendas[4] alii possident, et nescio utrum de eis recogitent[5]. In vita sua aliquid[6] videbantur et modo de illis tacetur.

VI. O quam cito transit gloria mundi. Utinam vita eorum scientiæ[7] concordasset eorum, tunc bene legissent et studuissent.

Quam multi pereunt per vanam scientiam in hoc sæculo[8], qui parum curant de Dei servitio. Et quia magis diligunt[9] magni esse quam humiles, ideo evanuerunt[10] in cogitationibus suis[11].

1. In codicibus Aron. et Mantuano scripserunt *didicimus*, quia in toto capite magis a *discendi* studio magister avertit suos alumnos, quam a scientia.

2. Vox *domini* deest in aliquibus Mss. sed refertur ad *Doctores theologiæ*, in ecclesia Vercellensi a beato Alberto episcopo institutos circa annum 1186. Quod quidem Innocentius III postea per concilium Lateranense in aliis ecclesiis institui decrevit.

3. « Ausculta, ô fili, præcepta *Magistri*. » S. Bened. in prologo suæ Regul.

4. *Præbendas* vocabulum XIII sæculi. Vide Du Cange. Earum origo post separationem Commendarum a Præbenda monachis assignata, uti ex cap. 56, *De mensa abbatis* deducit Calmetus.

5. *Recogitant* Gence, Elzevirius; sed solœcismum emendarunt Caietanus, Delfau, Valart, juxta cod. Bob.

6. *Aliquid esse videbantur* scripsere Gence, Elzevirius, sed nobis conveniunt cod. Bob., Cav., Caietanus, editiones 1488-1608, et aliæ.

7. *Scientiæ ipsorum;* in edit. Genceana, Elzevir., non sic in cod. Cav.

8. *In sæculo*, ita Gence et Elzevirius, sed cod. Cav. editio 1488, et aliæ conveniunt nobiscum.

9. *Eligunt magni esse* dixit Gence, Elzevirius: sed possumus *diligere* non *eligere* magnitudinem, atque dignitates.

10. *Evanescunt* Gence et alii. « Evanuerunt in cogitationibus suis. » Paulus ad Rom. 1, 21.

11. *Vere magnus est, qui magnam habet charitatem* addiderunt Gence, Elzevirius, Delfau, Enriquez et alii; sed Caietanus, editor Rom. 1697, omiserunt ea, tanquam a glossatoribus excogitata, sequentes lectionem codicum Bobiensis atque Cavensis.

Vere magnus est qui in se parvus est et pro nihilo omne culmen honoris ducit.

Vere prudens est qui omnia terrena arbitratur uti stercora [1] ut Christum lucrifaciat [2].

Et vere bene doctus est qui Dei voluntatem facit [3] et suam voluntatem relinquit [4].

De prudentia in agendis.

CAPITULUM 4um.

I. Non est credendum omni verbo [5] nec instinctui sed caute et longanimiter, res est secundum Deum ponderanda.

Proh dolor sæpe malum facilius quam bonum de alio creditur et dicitur ita infirmi sumus [6].

Sed perfecti viri non facile credunt omni enarranti, quia sciunt humanam fragilitatem [7] imo infirmitatem ad malum proclivem [8] et in verbis satis labilem [9].

II. Magna sapientia est [10] non esse præcipitem in agendis, nec pertinaciter in sensibus stare [11].

1. *Ut stercora* scripsit Gence, sed noster auctor voluit effugere repetitionem.

2. « Arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. » Philip. III, 8.

3. « Monachi nil habent proprium, nec corpora sua nec voluntates. » Cap. 33 Regul. S. Benedicti.

4. « Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est. » Matth. VII, 21.

5. « Non omni verbo credas. » Eccl. XIX, 16. « Sit homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum. » Jacobus Ep. I, 19.

6. « Diliges amicum tuum sicut te ipsum. » Levit. XIX, 17, 18. Joan. cap. XIII, 34.

7. Nec Gence, nec alii memorant *fragilitatem*, quod opportune noster auctor *infirmitati* adjunxit.

8. « Sensus, et cogitatio humani cordis, in malum prona sunt ab adolescentia sua. » Gen. VIII, 21.

9. « Beatus vir, qui non est lapsus verbo. » Eccl. XIV, 1; XIX, 16.

10. Verbum *est* omiserunt Gence, et Elzevirius; sed non ita Caietanus, Valgravios, et editores 1488, 1608, 1697, juxta cod. Bob. et Cav.

11. *In propriis stare sensibus*, ita Gence et alii.

Ad hanc etiam non pertinet quibuslibet hominum verbis credere nec audita vel credita mox ad aliorum aures effundere [1].

III. Cum sapiente et sententioso [2] viro consilium habe [3], et quære potius a [4] melioribus instrui, quam tuas adinventiones sequi [5].

Bona vita facit hominem sapientem secundum Deum, et expertum in multis [6].

Quanto quis in se humilior fuerit, et Deo subjectior, tanto in omnibus erit sapientior et pacatior.

De lectione scripturarum.

CAPITULUM 5um.

I. Veritas est in Scripturis sanctis quærenda, non eloquenda [7].

Omnis Scriptura sacra eo spiritu debet legi, quo facta est [8].

Quærere debemus potius utilitatem in Scripturis, quam subtilitatem [9] sermonis.

1. « Audisti verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te. » Eccl. XIX, 10.

2. *Conscientioso* ait Gence, Enriquez et alii, sed quadrare melius videtur vox *sententioso*, minus barbara.

3. « Cum sapientibus et prudentibus tracta. » Eccl. IX, 21. « Consilium a sapiente semper perquire. » Tob. IV, 19.

4. *A meliore* scripsere Gence, Elzevir., et alii. Non sic in cod. Allatii.

5. « In cœnobiis degentes Abbatem sibi præesse desiderent. » Cap. 6. Regulæ S. Benedicti.

6. « Vir in multis expertus. » Ecclesiasticus XXXIV, 9.

7. *Non eloquentia*, ita Gence, Elzevirius, et alii.

8. « Quo spiritu Scripturæ factæ sunt, eo spiritu legi desiderant: ipso etiam intelligendæ sunt. » Auctor Tract. de Vita solit. seu Epist. ad Fratres de Monte Dei, cap. 10, in fin. inter opera D. Bernardi.

9. *Sublimitatem* solus Gence edidit, et variis argumentis lectionem suam defendit contra Elzevirium et cod. Bob., Allat. et Cav.; *non in eloquentia*, ita cod. Allatianus.

Ita libenter devotos et simplices libros legere debemus, sicut altos et profundos.

Non te defendat[1] auctoritas Scribentis utrum parvæ vel magnæ litteraturæ fuerit, sed amor puræ veritatis te trahat ad legendum.

Non quæras quis hoc dixerit[2], sed quid dicatur attende[3].

II. Homines transeunt[4], sed veritas Domini manet in æternum[5].

Sine personarum acceptione variis modis nobis loquitur Deus[6].

Curiositas nostra sæpe nos impedit in lectione Scripturarum, cum volumus intelligere et discutere ubi simpliciter est transeundum.

Si vis profectum[7] haurire lege humiliter, simpliciter, et fideliter nec unquam velis habere nomen scientiæ.

Interoga libenter, et audi tacens Sanctorum

1. *Non te offendat*, ita Gence, et alii; solus Delfan scripsit *non te afficiat sed deffendat*; idem est ac *protegat*, *juvet*, juxta cod. Allatii.

2. En hic alterum argumentum humilitatis nostri Monachi præcipientis alumnis *ne querant quis dixerit*, etc.

3. Jam in Historia Vercellensi anno 1824, et in Dissertatione Parisiensi, 1827, demonstravimus, quod auctor pretiosi tractatus volebat ignorari, juxta Regulam S. Benedicti, cap. VII De humilitate. Hanc equidem regulam secutus est monachus præceptor, in capitul. II libri I, docens ibi, *si vis aliquid utiliter scire et discere*, *ama nesciri et pro nichilo reputari*. In cap. VII, lib. III, ibi se *ipsum*, *nichil reputet et in veritate despiciat*. In cap. VIII, *ad nichilum me redigi*. Tandem in cap. XLIX sic concludit magister: *Nunc ergo te inclina humiliter sub omnium manibus*, *nec sit curæ quis hoc dixerit vel jusserit*. Hæc omnia non convenirent Gersoni nec Kempis, quia ambo subscripserunt manuscripta, quæ dain eorum nomine edita fuere.

4. « In imagine pertransit homo. » Psalm. XXXVIII, 7.

5. « Veritas Domini manet in æternum. » Psalm. CXVI, 2. Luc. XXI, 33.

6. « Multifariam, multisque modis Deus loquens », etc. Hebr. I, 1. « Non est personarum acceptio apud Deum. » Col. III, 25, et alibi.

7. Caietanus juxta cod. Aronensem adjacit *sive perfectum haurire*, uti Gence etiam adnotavit.

verba[1], nec displiceant tibi parabolæ Seniorum[2] sine causa enim non proferuntur.

De inordinatis affectibus.

CAPITULUM 6um.

I. Quandocumque homo inordinate aliquid appetit statim in se inquietus fit.

Superbus et avarus nunquam quiescunt[3]. Pauper[4] et humilis spiritu in multitudine pacis[5] conversatur.

Homo qui necdum in se perfecte mortuus est, cito tentatur et vincitur in parvis et vilibus rebus.

Infirmus in spiritu, et quodammodo adhuc carnalis ad sensibilia inclinatus, difficulter potest se a terrenis desideriis ex toto extrahere[6].

Et ideo sæpe habet tristitiam cum se subtrahit. Leviter etiam dedignatur[7], si quis ei resistit.

II. Si autem prosecutus fuerit quod concupiscitur[8], statim ex reatu conscientiæ gravatur, quia secutus est

1. « Audi tacens, simul et quærens. » Eccl. XXXII, 12.

2. « Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, et in proverbiis eorum conversare. » Ecclesiasticus VIII, 9.

3. « Nunquam quiescunt, quia semper desiderant aliquid amplius. Avarus aliis congregat et in bonis illius alius luxuriabitur. » Ecclesiastic. XIV, 4.

4. « Abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monasticæ, ut contra eam nec summus pontifex licentiam indulgeat. » Ita Innocentius III. Videatur Calmet.

5. « Mansueti autem hæreditabunt terram et delectabuntur in multitudine pacis. » Psalm. XXXVI, 11.

6. *Abstrahere* legitur in editione Genceana et aliis.

7. *Indignantur*, ita Gence, Enriquez, etc., sed cum nostra lectione cod. Cav. Allatii aliique concordant et quidem accuratius.

8. *Concupiscit* Gence, Enriquez, Caietanus, codex ipse Cavensis, et alii; sed nostra lectio magis convenit orationi.

passionem suam, quæ nihil[1] juvat ad pacem, quam quæsivit.

Resistendo igitur passionibus invenitur vera pax cordis non autem serviendo eis.

Non est ergo pax[2] in corde hominis carnalis, non in homine in exterioribus dedito, sed in fervido spirituali[3].

De vana spe et elatione fugienda[4].

CAPITULUM 7um.

1. Vanus est qui spem suam ponit in hominibus[5] aut in creaturis.

Non pudeat te aliis[6] servire amore[7] Domini nostri Jesu Christi[8], et pauperem in hoc sæculo videri.

Non stes super teipsum[9], sed in Deo spem tuam constitue[10].

Fac quod in te est, et Deus aderit bonæ voluntati tuæ[11].

1. *Nichil, nichilo, michi.* In orthographia italica sæculi XIII, uti in membranis illius ætatis legitur, quod jam adnotavimus in capitulo primo. Certum est, vitiosam hanc orthographiam denotare codicis vetustatem.

2. « Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu. » Philip. IV, 7.

3. *In fervido et spirituali*, ita Gencc; at conjunctio abest in cod. Cav., Bob., Allat., in edit. 1488 et in aliis.

4. « Elationem fugere, seniores venerari, juniores diligere, » hæc habentur in cap. IV Regulæ S. Benedicti.

5. « Maledictus homo, qui confidit in homine. » Jerem. XVI, 5.

6. Jam adnotavimus literas *ij* conjunctim fuisse usus frequentioris sæc. XIII. ut in cod. Cav. Bob. Allat.

7. *Amore Yesu Christi* simpliciter edidit Gencc et alii cum illo. Sed magis reverens magisque benevola est nostra dictio.

8. « Nos autem servos vestros per Jesum. » II Cor. IV, 5.

9. « Evidentissimum reprobatorum signum superbia est, at contra humilitas electorum. » S. Gregorius lib. 34 Moral.

10. « Habe fiduciam in Domino, et ne innitaris prudentiæ tuæ. » Prov. III, 5.

11. « Fac quod in te est, age quod potes, et non deficiet tibi auxilium de sancto. » In serm. ad Fratres in eremo, sub nom. S. August. Serm. 27.

Non confidas in tua scientia, vel cujuscumque astutia viventis, sed magis in Dei gratia, qui humiles adjuvat, et de se præsumentes humiliat[1].

II. Non glorieris in divitiis[2] si adsint[3], nec in amicis quia potentes sunt, sed in Deo[4] qui omnia præstat, et se ipsum super omnia dare desiderat.

Non te extollas de magnitudine[5] vel pulchritudine[6] corporis, quæ modica[7] etiam infirmitate corrumpitur et fædatur.

Non placeas tibi ipsi, de humilitate[8] aut ingenio ne displiceas Deo, cujus est totum quidquid boni[9] naturaliter habemus[10].

III. Non te reputes aliis meliorem, ne forte coram Deo deterior habearis qui scit quid est in homine[11].

Non superbias de operibus bonis, quia aliter sunt judicia Dei quam hominum[12], cui sæpe displicet, quod hominibus placet.

1. « Dens superbis resistit, bumilibus autem dat gratiam. » Jacob. IV, 6.

2. « Non glorietur dives in divitiis suis. » Jerem. IX, 23.

3. *Si adsunt*, ita Gence, Elzevirius et alii. Attamen nostra lectio videtur magis latinæ orationi consentanea.

4. « Qui gloriatur, in Domino glorietur. » I Cor. I, 31.

5. « Non me jactabo de genere, id est de alienis bonis. » Hieronymus, Epist. ad Heliod.

6. « Fallax gratia et vana est pulchritudo. » Proverb. XXXI, 30.

7. *Modica infirmitate corrumpitur et defædatur*, ita Gence, et alii.

8. *De habilitate* scripserunt Gence, Enriquez. Non ita in Cod. Bubiensi. Nos censemus lectionem Ms. meliorem, quia agitur infra de conservanda humilitate; dein advertere oportet quod habilitas et ingenium idem sonant.

9. En paraphrasim, ab Jerem. cap. IX, 23 et 24 depromptam ibi : « Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis : sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire, et nosse me, quia ego sum Dominus, quia facio misericordiam, et judicium, et justitiam in terra. »

10. *Naturaliter habueris*, ita Gence, et alii, sed melius est *habemus*.

11. « Ipse enim sciebat, quid esset in homine. » Joan. II, 25.

12. « Non præsumo.. aliter enim sunt judicia Dei, aliter hominum. » Agathon de Vitis Patrum, pag. 608. « Nemo habet de suo, nisi mendacium, et peccatum. » Conc. Araus. II, can. 22, S. Aug. Tract. 5. in Joann.

Si aliquid boni habueris, crede de aliis meliora, ut humilitatem conserves.

Non nocet[1] ut te hominibus supponas, nocet autem plurimum, si vel uni[2] te præponas[3].

Jugis pax cum humili, in corde autem superbi zelus et indignatio frequens.

De cavenda nimia familiaritate.

CAPITULUM VIII^um.

1. Non omni homini reveles cor tuum[4], sed cum sapiente, et timente Deum age causam tuam[5].

Cum juvenibus et extraneis rarus esto[6], cum divitibus noli blandiri[7], et coram magnatis[8] non libenter appareas[9].

Cum humilibus et simplicibus, cum devotis et

1. *Non nocet si omnibus te supponas;* ita Gence, Elzevirius, Valgravius, sed nobis conveniunt cod. Aronensis et editio Romana 1697.

2. « Non est periculum, quantumcunque te humilies... Est autem grande malum, horrendumque periculum... si vel uni in tua cogitatione te præferas. » S. Bern. Serm. XXXI, in Cant. 7.

3. « Tertius humilitatis gradus est, ut quis pro Dei amore, omni obedientia se subdat majori. » Ex cap. VII Regulæ S. Benedicti.

N. B. In codice Cavensi graviter erravit amanuensis; nam post inscriptionem tituli, cap. VII, legimus *non omni homini reveles etc.*: et contra sub cap. VIII, ea quæ ad capitulum anterius spectabant.

4. « Non omni homini cor tuum manifestes. » Eccles. VIII, 22.

5. « Sicut scriptum est, sapiens verbis innotescit paucis. » Cap. VII Regulæ. Ibi S. Benedictus sæpe immutat verba sacræ scripturæ, sensum retinendo, uti mos erat.

6. « Causam tuam tracta cum amico tuo, et secretum extraneo ne reveles Prov. XXV, 9.

7. *Blandire;* ita Rosweyd. ac Bollandus ex codice Thomæo; sed emendavit Gence, quippe cum sic habeant veterrimi codices, ut ipse fatetur.

8. *Magnatibus* apud Gence, Elzevirium et alios, cod. Cavensi excepto, qui nobis convenit. Vere *magnates*, *magnatium* reperitur in Lexico Forcellini, sed Du Cange adnotat *magnatus*, et citat Alcuinum ad annum 953; insuper editio 1488 concordat cum nostra lectione.

9. « Ne gloriosus appareas coram Rege, et in loco Magnorum ne steteris. » Prov. XXV, 6.

morigeratis sociare[1], et quæ ædificationis sunt[2], pertracta.

Non sis familiaris alicui mulieri, sed in communi[3] omnes bonas mulieres Deo commenda[4].

Soli Deo et Angelis ejus opta familiaris esse[5], et hominum notitiam devita.

II. Charitas est habenda ad omnes, sed familiaritas non expedit.

Quandoque accidit ut persona ignota ex bona fama lucescit[6], tum præsentia oculos intuentium offuscat.

Putamus aliis[7] placere ex convictione nostra, et incipimus magis displicere morum improbitate in nobis considerata.

De obedientia[8] *et subjectione.*

CAPITULUM IX^um^.

I. Valde magnum est in obedientia stare, sub Præ-

1. « Cum viro sancto assiduus esto. » Eccl. XXXVII, 15.

2. « Et quæ ædificationis sunt, sectémur. » Rom. XIV, 19.

3. *In comuni;* id est generaliter ora pro omnibus mulieribus, quod Gence non bene compertuit, ut ipsemet fatetur : ægre non ferat me advertere in ecclesia Vercellensi a S. Eusebio episcopo et martyre an. 350 mulierum monasteria fuisse instituta. Vid. Historiam Vercellensem, tom. I, edit. Taurini 1820 et 1824.

4. Loquitur hoc loco de amanda castitate, ut in cap. IV Regul. S. Benedicti; ibi Calmetus in suo commentario refert leges contra monachos qui familiares essent cum sanctimonialibus.

5. « Nostra autem conversatio in cœlis est. » Philip. III, 20.

6. *Lucescat cujus tamen:* Ita Gence, Enriquez, Elzevirius et alii, cod. Cavensi excepto. Omnes non intellexerunt auctoris lectionem: nam adverbium *tum* idem sonat ac *quando*, scilicet, *eo momento*, *eo tempore* quo præsentia personæ magni nominis offuscat oculos; quod sæpe evenit etiam hodie.

7. *Aliquando aliis placere ex conjunctione nostra* scripserunt Gence et alii, non ita edit. 1488 et cod. Bobiensis; sed *convictio* idem sonat ac *conversatio*. Ideo *jucundissima convictio* idem resonat ac vitæ consuetudo.

8. « Fili, fac ut per obedientiæ laborem ad eum redeas a quo per inobedientiæ desidiam recesseras. » Ita S. Benedictus in Prologo.

lato[1] se vivere, et sui juris non esse. Multo tutius est stare in subjectione, quam in prælatura.

Multi sunt sub obedientia magis ex necessitate[2], quam ex charitate, et illi pœnam habent, et leviter murmurant, nec libertatem mentis acquirent, nisi ex toto corde propter Deum se subjiciant[3].

Curre hic[4] vel ibi non invenies requiem[5], nisi in humili subjectione sub Prælati regimine[6].

Imaginatio locorum, et mutatio multos fefellit.

II. Verum est quod unusquisque libenter agit pro sensu suo et inclinatur ad eos magis qui secum sentiunt.

Sed si Christus[7] est inter nos, tunc necesse est, ut relinquamus etiam nostrum sentire propter bonum pacis.

Quis est ita sapiens, qui omnia plene scire possit[8]?

Ergo noli nimis in sensu tuo confidere, sed velis etiam[9] aliorum sensum audire[10].

1. *Sub prælato vivere:* ita in pluribus editionibus; sed non immerito noster auctor adjecit *se vivere*. Monasteriorum præpositi vocabantur prælati vel abbates jam ab anno 836, uti Du Cange testatur in suo Glossario.

2. « Si major fuerit congregatio constituantur Decani. » Ita in cap. 21 Regulæ S. Benedicti. Unde post abbates et priores sunt Decani vel Præpositi electi, secundum vitæ meritum et sapientiæ doctrinam : vide Calmetum cap. 65 de Præposito monasterii.

3. « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem. » Philip. II, 8. « Erat subditus illis. » Luc. II, 51.

4. *Huc vel illuc* scripsere Gence, Delfau et alii; sed cum nostra lectione, præter cod. Cavens. et Bobiens., conveniunt Elzevirius, Valgravius, editiones 1488, 1697. Caietanus vero juxta cod. Arouensem scripsit: *Curre alio vel ibi.*

5. *Quietem* in pluribus codicibus et in editione Genceana, non ita in codicibus Cavensi et Bobiensi.

6. « Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum. » I Petr. II, 13.

7. *Sed si Deus est inter nos, necesse est, ut relinquamus etiam quandoque* etc., ita Gence et alii; nostra lectio clarior videtur.

8. *Scire potest* Gence et alii scripserunt; sed Delfau apte correxit errorem juxta cod. Bobiensem.

9. *Etiam libenter* addiderunt Gence, Enriquez, Rosweyd. et Caietanus, quod supervacuum.

10. « Omnes ad consilium vocari diximus : quia sæpe juniori Dominus revelat quod melius est. » Cap. III Reg. S. Benedicti.

Si bonum est tuum sentire, et hoc ipsum propter Deum dimittis, et alium [1] sequeris, magis inde proficies.

III. Audivi enim sæpe, securius esse audire, et accipere consilium quam dare [2].

Potest enim [3] contingere ut bonum sit uniuscujusque sentire, sed nolle aliis acquiescere, cum id ratio aut causa postulat, signum est superbiæ aut pertinaciæ [4].

De [5] superfluitate verborum [6].

CAPITULUM X^um.

I. Caveas tumultum hominum, quantum potes [7]. Multum nam impedit tractatus sæcularium gestorum, etiamsi simplici intentione proferantur [8].

Cito enim inquinamur vanitate et captivamur.

Vellem me pluries tacuisse, et inter homines non fuisse [9].

1. *Aliud sequeris, magis exinde proficies*: ita Gence, sed Elzevirius et Enriquez scribunt *alium*.

2. « Omnia fac cum consilio, et post factum non pœnitebis. » Regula S. Bened. cap. III.

3. *Potest etiam* in pluribus editionibus: non sic editt. 1488, 1608.

4. *Signum superbiæ et pertinaciæ* Gence et alii; attamen vitium superbiæ ab illo pertinaciæ distat; ideo vocabulum *aut* adbibuerunt Caietan. et editor Rom. 1697, ut disjunctionem exprimerent. In cod. Cavensi legimus uti in nostro Ms. *aut pertinatiæ*, quod orthographiam italam sæculi XIII demonstrat.

5. *De cavenda superfluitate verborum*; ita Gence et alii, sed inutiliter.

6. « Verba vana aut risui apta non loqui. » Cap. 4 Regul. S. Benedicti.

7. *Quantum potes, multum enim.* Hæc est interpunctio Genceana, quæ nobis videtur minus clara.

8. De amore Christi pro solitudine, vide Matth. IV, 1; XIV, 13; Marc. VI, 31; Luc. IX, 10; Joan. VI, 3; et alibi. « Christus semper secessit deorsum in locum desertum. »

9. « Scurrilitates vero vel verba otiosa et risum moventia æterna clausura in omnibus locis damnamus. » Cap. VI Reg. S. Benedicti. — « Nonus humilitatis gradus si linguam ad loquendum prohibeat monachus, quia vir linguosus non dirigetur super terram. » Ibid. cap. VII. — « Omni tempore et loco fratres studeant silentio, in quo pendet monasticæ disciplinæ pars eximia. » Cap. VI Regul. S. Mauri.

Sed quare tam frequenter[1] loquimur, et invicem fabulamur, cum tamen sine læsione conscientiæ raro ad silentium redimus[2]?

Ideo tam frequenter loquimur, quia per multas[3] locutiones ad invicem consolari quærimus, et cor diversis cogitationibus fatigatum optamus relevare, et multum libenter[4], de his quæ diligimus, seu cupimus, vel quæ nobis sentimus contraria, libet loqui et cogitare[5].

II. Sed proh dolor sæpe inaniter, et frustra[6]. Nam hæc exterior consolatio interioris et divinæ consolationis non modicum detrimentum est.

Ideo vigilandum est[7] et orandum[8] ne tempus otiose transeat[9].

Si loqui licet et expedit, quæ ædificabilia sunt[10] loquere.

Malus usus et negligentia profectus nostri multum facit ad incustodiam oris nostri[11].

1. *Tam libenter* adhibuit Gence pro *frequenter;* codex Cavensis *solemniter*, quæ non idem sonant.

2. « In multiloquio non deerit peccatum. » Prov. x, 19. — « Qui multis utitur verbis, lædet animam suam. » Eccl. xx, 8.

3. *Per mutuas* in pluribus editionibus, quod reapse pleonasmum constituit cum adverbio *invicem*.

4. *Et multum libenter de his, quæ multum diligimus, vel cupimus;* ita Gence, Enriquez et alii; oratio tamen est continuata et nostra lectio clarior apparet.

5. « Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios. » Proverb. xxix, 12.

6. *Frustra, nam hæc* Gence edidit, non sic cod. Cavensis, Elsevirius et alii, qui cognoverunt sensum non esse continuum; ideoque punctum posuere.

7. *Vigilandum est et nobis orandum sæpe, ne tempus nobis misericorditer impensum ad salvandas animas otiosse transeat. Si loqui* etc. Hæc in cod. Bobiensi addidit Glossator.

8. « Vigilate et orate. » Matth. xxvi, 41, et alibi.

9. « Fili, conserva tempus. » Ecclesiasticus, iv, 23.

10. « Omnis sermo malus ex ore vestro non prodeat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. » Ephes. iv, 29.

11. « In multiloquio non effugies peccatum; mors et vita in manibus linguæ. Nam loqui et docere magistrum condecet, tacere et audire discipulo convenit. » Cap. vi Regulæ S. Benedicti.

Juvat tamen non parum ad profectum spiritualem devota spiritualium rerum collatio, maxime ubi pares animo et spiritu in Deo sibi sociantur[1].

De pace quærenda[2] et zelo proficiendi.

CAPITULUM XI[um].

I. Multam possumus pacem habere[3], si volumus nos cum aliorum dictis et factis quæ ad nostram curam non spectant non occupare.

Quomodo potest ille in pace diu permanere, qui alienis curis se intermiscet, qui occasiones forinsecus quærit, qui parum vel raro se intrinsecus colligit?

Beati simplices, quoniam multam pacem habebunt[4].

II. Quare quidam Sanctorum tam perfecti et contemplativi fuerunt? quia mortificari omnino[5] ab omnibus terrenis desideriis[6] studuerunt, et ideo totis medullis cordis Deo inhærere, atque sibi libere vacare potuerunt.

1. Vide notam cap. LVI lib. III, ubi demonstratur auctorem tractatus esse monachum cœnobitam; nam, uti in hoc capitulo, et in sequentibus 13, 17, 18, 19, 20 et 25, semper loquitur ipse tanquam magister novitiorum.

2. *De pace acquirenda*; ita Genco, Elzevirius et alii, cod. Cavensi excepto. Attamen ex lectione totius capituli dignoscimus quod hic agitur *de quærenda pace*, ut inde acquiratur.

3. *Possumus pacem habere, si non vellemus*; ita scripsere Genco et alii; aptior videtur nostra lectio.

4. Juxta S. Matthæum, cap. V. Dein ex Veteri Testamento, ubi: «Qui ambulat simpliciter, salvus erit.» Prov. XXVIII, 18. — «Mansueti delectabuntur in multitudine pacis.» Psalm. XXXVI, 11. — «Homo simplex et rectus ac timens Deum et recedens a malo.» Job. I, 8.

5. *Quia omnino se ipsos mortificare* edit. Genoensa, Elzeviriana, etc.; sed ea vox videtur superflua. Adde quod *mortificari* est verbum sæculi XIII. Vide Du Cange.

6. Literæ *ij* videntur conjunctim in Mss. perantiquis. Ita Vernazza in epist. 1783 ad Clar. Simonem Caleritanum: ita semper ostenditur in editione 1488 Mediolanensi atque in cod. Cavensi.

Nos nimium propriis occupamur passionibus, et de transitoriis nimis sollicitamur.

Raro nam[1] vitium unum perfecte vincimus, et ad quotidianum profectum non attendimus[2], ideo frigidi et tepidi remanemus.

III. Si essemus nobismetipsis perfecte[3] intenti, et exterius minime implicati, tunc possemus etiam divina sapere, et de cælesti contemplatione aliquid experiri.

Totum et maximum impedimentum est, quia non sumus a passionibus, et concupiscentiis liberi, nec perfectam viam Sanctorum[4] conamur ingredi.

Quando etiam modicum adversitatis occurrit, nimis cito dejicimur[5], et ad humanas consolationes convertimur.

IV. Si niteremur sicut viri fortes stare in prœlio[6], profecto auxilium Domini super nos videremus de cælo[7].

Ipse nam certantes, et de sua gratia sperantes paratus est adjuvare, qui nobis certandi occasiones procurat, ut vincamus[8].

Si tantum in istis exterioribus observantiis pro-

1. *Raro etiam* legitur in pluribus editionibus et in ipsa Genceana 1826.

2. *Non accendimus*; ita Gence, Elzevirius et alii; sed convenientius dixeris *attendere ad profectum*, uti legimus in cod. Cavensi.

3. *Nobis ipsis perfecte mortui*, *et interius minime implicati*; ita Elzevirius et alii; sed Gence scripsit *in terrenis*. Omnes erravisse constat ex ipsa lectione codicis nostri vetustissimi, quem ad autographum proxime accedere adparet.

4. « Sanctorum viam. » Paulus ad Hebr. IX, 8, et alibi.

5. *Deicimur, non viriliter agimus non fortiter resistimus, sed molles sumus et delicati, et ad humanas consolationes* etc.; ita in cod. Bob.

6. *In prælio, viriliter agere, fortiter dimicare, profecto.* Hæc in cod. Bob.

7. « Fortes viros ad prœlium. » Jerem. XLI, 16. — « Confidenter state, et videbitis auxilium Domini super vos. » II Paralip. XX, 17.

8. « Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. » I Cor. X, 13.

fectum religionis ponimus, cito finem habebit devotio nostra.

Sed ad radicem securim ponamus [1], ut [2] purgati a passionibus pacificam mentem possideamus.

v. Si omni anno unum vitium extirparemus, cito viri perfecti efficeremur.

Sed modo contrario sæpe sentimus [3] ut meliores, et puriores in initio conversionis nos fuisse inveniamus quam post multos annos professionis.

Fervor et profectus noster quotidie deberet crescere, sed nunc pro magno videtur si quis primi fervoris partem possit [4] retinere.

Si modicam violentiam [5] faceremus in principio, tunc omnia possemus facere cum levitate et gaudio.

vi. Grave est assueta dimittere, et [6] gravius est contra propriam voluntatem ire.

Sed si non vincis parva et levia, quando superabis difficiliora [7]?

Resiste in principio inclinationi tuæ, et malam [8]

1. « Jam securis ad radicem arborum posita est. » Matth. III, 10.

2. *Ut liberati*: hæc est lectio propria Gence; nam ipse Elzevirius edidit *purgati*, uti legitur in pluribus codicibus, et in editione Rom. 1697.

3. Corruptio optimi pessima; ideo S. Augustinus ait: » Ex quo Deo servire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores quam qui in monasteriis profecerunt, ita non sum expertus pejores quam qui in monasteriis ceciderunt. » Vid. Epist. 78.

4. *Partem posset*; ita Gence et Elzevirius, at cæteri omnes concordant cum nostra lectione; vide etiam capitulum XVIII hujus libri.

5. *Violentiam nobis faceremus in principio, tunc postea cuncta* etc. scripsere Gence, Elzevirius et alii.

6. *Sed gravius*; ita Enriquez et alii: *gravius est autem* scripsit Gence ipse solus.

7. « Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis. » Galat. V, 24.

8. *Malam dedisce consuetudinem* scripserunt Gence, Elzevirius, Delfau et alii; sola editio Lugdunensis 1608 cum nostra lectione convenit. In codicibus Cavensi, Bobiensi et in edit. 1488 legitur *desiste*, quod idem est ac *desere consuetudinem*, uti legitur in nostro Ms.

desere consuetudinem, ne forte paulatim ad majorem te ducat difficultatem.

O si adverteres quantam tibi pacem et aliis lætitiam faceres, temetipsum bene habendo, puto quod sollicitior esses[1] ad spiritualem profectum[2].

De utilitate adversitatis.

CAPITULUM XII^{um}.

1. Bonum nobis est, quod aliquando habeamus[3] aliquas gravitates[4] et contrarietates, quia sæpe hominem ad cor revocant, quatenus se in exilio esse cognoscat, nec spem suam in aliqua mundi re ponat.

Bonum est quod patiamur quandoque contradictiones[5], et male et imperfecte de nobis sentiatur, etiamsi bene agimus, et intendimus.

Ista sæpe juvant ad humilitatem, et a vana gloria nos defendunt.

Tunc enim melius interiorem testem Deum quærimus[6], quando foris vilipendimur ab hominibus, et non bene de nobis creditur.

1. In nostro codice amanuensis scripsit *omnes* pro *esses*, quod mirum est, nam aliunde plurimæ adsunt correctiones, post collationem factam.

2. Ad pacem habendam præceptum nobis dat Lactantius hisce verbis: « Homo voluptates fugiet ut malum; opes contemnet, quia fragiles sunt; si habuerit, dilargietur, ut miseros servet: honores non appetet, quia sunt breves et caduci: injuriam nulli faciet, si fuerit passus non retribuet; et diripientem sua non persequetur. » Cap. 34, in Epitome.

3. *Habemus* in edit. Taurinensi 1761 juxta Enriquez.

4. In nostro codice amanuensis vocabulum *adversitates* adjecit, sed delevit post collationem cum suo originali manuscripto.

5. *Contradictores, et quod male;* ita Gence, Caietanus aliique, sed Elzevirios, Rosweydus et Mss. Augustanus et Cavensis scripserunt *contradictiones*.

6. « Ecce enim in cælo testis meus, et conscius meus in excelsis. » Job. XVI, 20.

11. Ideo deberet se homo [1] totaliter firmare, et non esset ei necesse multas consolationes quærere.

Quando homo bonæ voluntatis [2] tribulatur vel tentatur aut malis cogitationibus affligitur, tunc Deum magis sibi necessarium intelligit, sine [3] quo nihil omnino se posse testatur [4].

Gemit [5] et orat pro miseriis quas patitur.

Tunc tædet eum diutius vivere, mortem optat venire, ut possit dissolvi, et esse cum Christo [6].

Tunc etiam bene advertit [7] securitatem et plenam pacem in mundo non posse stare [8].

De resistendis tentationibus [9].

CAPITULUM 13[um 10].

1. Quamdiu in mundo vivimus sine tribulatione

1. *Homo in Deo taliter firmare, ut non esset ei necesse multas humanas consolationes quærere;* ita Enriquez, Elzevirius; sed legimus *totaliter* in cod. Cavensi, Bobiensi, in edit. Caietani, Valgravii, Delfau et Gence; edit. autem 1488 et 1608 perfecte concordant cum nostro codice, nam omiserunt adjectivum *humanas*, inutile hoc in loco.

2. » Hominibus bonæ voluntatis. » Luc. II, 14.

3. *Sine quo nihil boni se posse deprehendit;* ita Gence, Elzevirius et alii. Attamen nostra lectio melior apparet.

4. « Sine me nihil potestis facere. » Joan. XV, 5.

5. *Tunc etiam tristatur, gemit* etc. Gence, Elzevirius et alii addiderunt; quæ omnia superflua videntur, nam ille qui *gemit* etiam *tristatur.*

6. « Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo. » Phil. I, 23.

7. *Securitatem perfectam* in editionibus Genceana, Elzeviriana, Caietana aliisque; liceat nobis observare *perfectam* haberi securitatem ab illo qui *plena* pace fruatur.

8. *Non posse constare;* ita Gence et alii; sed *stare* et *durare* idem sonant in sensu auctoris.

9. « Non notum est (ait Gence) unde Chifflet sumpserit *reprimendis*, quod Delfau correxit *resistendo*, et in editione 1608 mutatur in *sustinendis.* » Istæ et tot aliæ dissimiles lectiones probant glossatorum licentiam in addendo vel detrahendo huic pretioso tractatui, quem noster codex ad primum revocat fontem.

10. Literis numeralibus arabicis usus hic est amanuensis. Illi numeri a Leonardo Pisano commendati in suo *Abaco* anni 1202, jam apud Italos in usu fuerunt a sæculo XI, uti ex operibus Guidi de Arezzo constat. Videatur Trombelli cap. XX De arte diplomatica, t. I. 1780.

et tentatione esse non possumus. Unde in Job scriptum est : Tentatio est vita hominis super terram [1].

Ideo unusquisque sollicitus esse deberet circa tentationes suas, et vigilare in orationibus [2], ne Diabolus inveniret locum decipiendi, qui nunquam dormitat, sed circuit quærens quem devoret [3].

Nemo tam sanctus et perfectus est, qui non habeat aliquando tentationes, et plene eis carere non possimus.

II. Sunt tamen tentationes hominibus [4] valde utiles, licet molestæ sint et graves, quia in his homo humiliatur, purgatur et eruditur.

Omnes Sancti per multas tribulationes et tentationes [5] transierunt et profecerunt, et qui tentationes sustinere nequiverunt, reprobi facti sunt [6], et defecerunt.

Non est aliquis ordo tam sanctus, et locus tam secretus, ubi non sint tentationes, et adversitates [7].

III. Non est homo securus a tentationibus totaliter, quam diu vixerit, quia in nobis est unde tentamur [8].

1. « Militia est vita hominis super terram. » Job. VII, 1. *Tentatio* est vita hominis in terram juxta versionem LXX Interp.

2. « Estote itaque prudentes et vigilate in orationibus. » 1 Petr. IV, 7.

3. « Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret. » 1 Epistola Petr. V, 8.

4. *Homini sæpe valde utiles* ediderunt Gence, Valgravius, Elzevirius et alii, contra lectionem cod. Cavensis. Quorsus adverbium *sæpe*? dum reapse legimus in Actis Apost. : « Quod per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. » Cap. XIV, 21.

5. *Temptationes* juxta veterem orthographiam legimus in cod. Cavensi, Bobiensi aliisque.

6. « Reprobi facti sunt. » Ecclesiasticus IX, 11.

7. *Tentationes vel adversitates* scripsere Gence et alii, sed particula conjunctiva magis est propria, quia auctor dein docet quod, una tentatione vel tribulatione recedente, alia supervenit.

8. *Unde tentamur ex quo*. Editores non intellexerunt sensum auctoris existimantes sensum esse indivisum; interpunctio nostri codicis clariorem reddit orationem.

Ex quo in concupiscentia nati sumus [1], una tribulatione vel tentatione recedente alia supervenit, et semper aliquid ad patiendum [2] habemus [3]. Nam bonum felicitatis [4] perdidimus.

Multi quærunt tentationes fugere, et gravius incidunt in eas.

Per solam fugam non possumus vincere, sed per patientiam et veram humilitatem, omnibus hostibus efficimur fortiores.

IV. Qui tantummodo exterius declinat, nec radicem evellit, parum proficiet, imo citius ad eum tentationes redient, et pejus sævient [5].

Paulatim, et per patientiam cum longanimitate [6] Deo juvante melius superabis, quam cum duritia et importunitate propria.

Sæpe [7] accipe consilium in tentatione, et cum tentato noli duriter agere, sed consolationes ingere, sicut tibi optares fieri.

V. Initium omnium malarum tentationum inconstantia animi est [8], et parva ad Deum confidentia, quia [9]

1. « Unusquisque tentatur a concupiscentia sua. » Jac. I, 14. — « Unde bella, et lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris. » Ibid. IV, I. — « Quia de carnis peccato propagati, in nobis ipsis etiam gerimus, unde certamina toleramus. » S. Gregor. Homilia. 16 in Evang. Dom. I Quadrag.

2. « Præmonitos vos esse volo, neminem super terram absque tentatione victurum, ut, cui forte tollitur aliqua, alteram securus exspectet. » S. Bernard. Serm. V in Psalm. Qui habitat, num. 3.

3. *Habebimus* Gence, Elzevirius, Enriquez, etc., sed cod. Cavensis, Caietanus et editor romanus 1697 nobis conveniunt.

4. *Felicitatis nostræ* scribit Gence, ast codex Cavensis pronomen omittit.

5. *Pejus sentiet* Gence, Enriquez, Elzevirius, Caietanus et alii, sed proprium est passionum, ut magis ac magis, uti ardens febris, sæviant.

6. « In omni patientia, et longanimitate. » Coloss. I, 11.

7. *Sæpius* loco *sæpe* scripserunt Gence, Elzevirius et alii.

8. *Inconstantia animi et parva.* In edit. Genceana et aliis, solus Delfau adjecit verbum *est*, ut clariorem redderet sensum allocutionis, sicut in cod. Bobiensi legitur.

9. *Quia;* principium alterius periodi in edit. Genceana; judicet lector de sensu magis fluente nostri codicis et Cavensis.

sicut navis sine gubernaculo hinc inde a fluctibus impellitur, ita homo remissus, et suum propositum deserens varie tentatur.

Ignis probat ferrum[1], et tentatio hominem justum[2].

Nescimus sæpe quid possumus[3], sed tentatio aperit quid sumus.

Vigilandum[4] tum præcipue circa initium tentationis, quia tunc facilius hostis vincitur[5], si ostium mentis nullatenus intrare sinitur[6], sed extra limen statim ut pulsaverit illi obviatur[7]. Unde quidam dixit,

Principiis obsta, sero medicina paratur[8].

Nam primo occurrit menti simplex cogitatio, deinde fortis imaginatio, postea delectatio, et motus pravus, et assensio, sicque[9] paulatim hostis malignus ex toto ingreditur, dum illi non resistitur in principio.

Et quanto diutius ad resistendum quis torpuerit, tanto in se quotidie debilior fit, et hostis contra eum potentior.

VI. Quidam in principio conversionis suæ graviores

1. « Ignis probat ferrum durum. » Ecclesiasticus XXXI, 31.

2. « Homines justos (probat) tentatio tribulationis. » Eccl. XXVII, 6.

3. *Et nos multa posse credimus, unde temptatio aperit quid sumus et vires demonstrat nostras; vigilandum* etc.; ita in cod. Bobiensi.

4. *Vigilandum est tamen*. Sic apud Gence et alios, nostra tamen lectio magis concinna apparet et cum cod. Cavensi omnino concordat.

5. *Vincitur cum sibi in nobis nullus datur aditus et caput ejus conterritur. Si hostium* etc., in illo cod. Bob.

6. « Nolite locum dare Diabolo. » D. Paulus ad Ephes. IV, 27.

7. *Facile de eo victoria obtinetur, unde* etc., in cod. Bobiensi.

8. *Cum mala per longas invaluere moras*, nos legimus in cod. Cavensi et Bobiensi, in edit. 1488 et 1608, in illa Delfau et Enriquez, sed Gence, Elzeviriana aliique, distichum hoc ab Ovidio De remedio amoris, vers. 91, depromptum, non integre referunt, exemplum S. Bernardi sequentes.

9. *Sicque paulatim* non est principium alterius periodi, uti Gence, Enriquez putarunt, sed est hic sensus continuatus, uti in cod. Bobiensi, ac in edit. 1608 legitur.

tentationes patiuntur, quidam in fine, quidam quasi per totam vitam suam male habent.

Nonnulli satis leviter tentantur, secundum divinæ ordinationis sapientiam et æquitatem, quæ statum, et hominum merita pensat, et cuncta ad electorum suorum salutem præordinat[1].

VII. Ideo non debemus desperare, cum[2] tentamur, sed eo ferventius Deum exorare, quatenus dignetur in omni tribulatione nostra nos adjuvare, qui utique, secundum dictum S. Pauli, etiam faciet[3] cum tentatione proventum, ut possimus sustinere.

Humiliemus ergo animas nostras sub manu Dei[4] in omni tentatione et tribulatione, quia humiles spiritu[5] salvabit, et exultabit[6].

VIII. In tentationibus et tribulationibus probatur homo quantum profecit, et ibi majus meritum existit, et virtus melius patescit.

Nec magnum est, si homo devotus sit, et fervidus, cum gravitatem non sentit, sed si tempore ad-

1. « Omnia cooperantur in bonum iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. » Rom. VIII, 28. — « Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. » Actus Apostolorum XIII, 48.

2. *Quum*; ita Gence: opportunum duco animadvertere in nostro codice sicut in Cavensi semper poni *Cum*, idque consentaneum veteri Romanorum mori, qui ejusmodi scribendi rationem tenebant.

3. *Qui utique, secundum dictum Pauli, talem faciet cum* scripsit Gence contra S. Pauli auctoritatem ubi: Sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. » Epistola I Cor. X, 13.

4. « Humiliamini igitur sub potenti manu Dei. » I Petr. V, 6.

5. « Humiles spiritu salvabit. » Psalm. XXXIII, 19. — « Cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ, exsultabit Jacob et lætabitur Israel. » Psalm. XIII, 7; LII, 7.

6. *Exaltabit*; ita fere in omnibus editionibus, auctoritate Divi Lucæ, cap. I, 58. Sed nos putamus lectionem codicis esse depromptam ex SS. Evangeliis, ex Matthæo, XVIII, 13; ibi: « Amen dico vobis, si invenerit ovem, gaudet super eam, magis quam supra nonaginta novem quæ non erraverunt; » ex Luca, cap. XV, 10, ibi: « Deus et angeli exsultant de peccatore pœnitentiam agente. »

versitatis patienter se sustinet, spes magni profectus erit.

Quidam a magnis tentationibus custodiuntur, et in quotidianis tam sæpe[1] vincuntur, ut humiliati, nunquam de se ipsis in magnis confidant, qui in tam modicis infirmantur.

De temerario judicio vitando.

CAPITULUM 14um.

I. Ad te ipsum oculos reflecte et aliorum facta caveas judicare[2].

In judicando alios homo frustra laborat, sæpius errat, et leviter peccat. Se ipsum vero judicando et discutiendo semper fructuose laborat.

Sicut nobis res cordi est, sic de ea frequenter judicamus[3]. Nam verum[4] judicium propter privatum amorem[5] faciliter perdimus.

Si Deus semper esset pura intentio desiderii nostri, non tam faciliter turbaremur pro resistentia sensus nostri.

II. Sed semper[6] aliquid ab intra latet, vel etiam ab extra concurrit, quod nos etiam pariter trahit.

Multi occulte se ipsos quærunt in rebus, quas agunt, et nesciunt.

1. *Et in parvis quotidianis sæpe vincuntur* ediderunt Gence, Enriques, Elzevirius et alii. Vocabulum *parvis* adjectum fuit a glossatoribus: Valgravius scripsit *et a parvis*, quæ quidem melior est lectio, quæque concordat cum cod. Cavensi.

2. « Nolite judicare ut non judicemini. » Matth. VII, 1; Rom. II, 1; Corinth. XI, 32.

3. « Judicium verum judicate. » Zacharia. VII, 9.

4. *Rectum* in cod. Salzburg. Sed Gence non distat a nostra lectione.

5. Caveamus igitur ab amore effreno alicujus personæ, ne cæci simus in judicando. N. A.

6. *Sed sæpe* legitur in edit. Genceana et aliis, quod adverbium immutaret lectionem cod. Cavensis.

Videntur etiam in bona pace stare, quum[1] res pro eorum velle fiunt.

Propter diversitatem sensuum, et opinionum satis frequenter oriuntur dissensiones inter amicos et cives, inter religiosos et devotos[2].

III. Antiqua consuetudo difficulter relinquitur et ultra proprium videre nemo libenter ducitur.

Si rationi tuæ magis inniteris vel industriæ, quam virtuti subiectivæ[3] Jesu Christi, raro et tarde eris homo illuminatus, quia Deus vult nos sibi perfecte subjici, et omnem rationem per inflammatum amorem transcendere.

De operibus ex charitate[4] factis.

CAPITULUM 15um.

I. Pro nulla re mundi, et pro nullius hominis dilectione aliquod malum est faciendum. Sed pro utilitate indigentis bonum opus[5] aliquando intermit-

1. *Quando res pro eorum velle fiunt et sentire. Si autem aliter fit, quam cupiunt, cito moventur et tristes fiunt.* Hæc omnia apposita fuerunt a glossatoribus in posterioribus codicibus; nam noster amanuensis dum adjecit verbum *velle* quod omiserat, etiam et alia adjecisset, si in suo Ms. originali ea invenisset.

2. « Cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire; » ita ex capite IV Regulæ S. Benedicti.

Auctoris monitum hic refertur ad dissensiones ortas sæculo XIII propter doctrinas *Evangelii æterni.* Videantur Fleury tom. XII; Affò, Johannis Parmensis de vita et gestis. Reynaldi Annales eccl. Tiraboschi tom. I Historiæ Ital., et noster libellus anni 1827: *Mémoire sur le véritable auteur de l'Imitation*, pag. 80.

3. « Secundum operationem, qua etiam posset subjicere sibi omnia. » Philip. III, 21. — « Omnia subjecta sunt ei. » I Cor. XV, 27.

4. *Caritate* absque *h* etiam legimus in cod. Cavensi juxta veterem orthographiam. — « Charitate non derelinquere: » cap. IV. — « Charitatem fraternitatis casto impendant amore: » cap. LXXII Reg. S. Benedicti. — « Oportet nos scire quid Deo, quid homini debeamus : Deo scilicet religionem, homini charitatem: » ita Lactantius cap. 34 in Epitome. En argumentum ad conciones sacras proprium et perutile!

5. *Sed pro utilitate tamen indigentis opus bonum libere aliquando intermittendum est, aut etiam pro* etc; ita Genee, Elzevirius, Valgravius; sed juxta nos cod. Cavensis, Caietanus, Delfau, edit. 1488, 1608 et 1697.

tendum aut quandoque pro meliori mutandum. Hoc nam facto opus bonum non destruitur, sed in melius commutatur.

Sine charitate opus externum non [1] prodest quemquam [2]. Quicquid autem ex charitate agitur quantumcumque etiam parvum sit, et despectum totum efficitur fructuosum. Magis si quidem Deus pensat ex quanto quis agit, quam [3] quantum quis facit.

II. Multum quis facit [4], qui multum diligit [5]. Multum facit qui rem bene facit. Bene facit, qui magis communitati, quam suæ voluntati servit [6].

Sæpe videtur esse charitas, et est magis carnalitas, quia [7] carnalis inclinatio, propria voluntas, spes retributionis, affectus voluntatis [8] raro abesse volunt.

III. Qui veram et perfectam charitatem habet, in nulla re se ipsum quærit [9], sed Dei solummodo gloriam in omnibus fieri desiderat.

Nulli etiam invidet [10], quia nullum privatum

1. *Nihil prodest* in multis editionibus. *Opus extremum* in cod. Cav.

2. « Si linguis hominum loquar, et angelorum... si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam; si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam... si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. » I Cor. XIII, 1. 2. 3.

3. *Quam opus quod facit* edidit Enriquez ipse solus; at Gence omisit vocabulum *quis*: nobis convenit edit. 1488, ac cod. Cavensis lectio.

4. *Multum facit*; ibi Gence prætermisit vocabulum *quis*, nam repetitio ipsi non arridebat.

5. « Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. » Evangelista Lucas, VII, 47.

6. « Infirmorum cura ante omnia et super omnia habenda est, ut sicut revera Christo ita eis serviatur, quia ipse dixit, Infirmus fui, et visitasti me. » Cap. 36 Regulæ S. Benedicti.

7. *Quia naturalis inclinatio*: ita Gence, Elzevirius, Valgravius, Delfau, sed nobiscum conveniunt cod. Cavensis, Bobiensis, Caietanus ac editores 1488, 1608, 1697.

8. *Affectus commoditatis* legimus fere in omnibus codicibus.

9. « Charitas non quærit quæ sua sunt. » I Cor. XIII, 5, 13. — « Omnia vestra in charitate fiant. » XVI, 14.

10. « Charitas non æmulatur. » Ibid. 4.

gaudium amat, nec in se ipso vult gaudere, sed in Deo super omnia optat bona beatificari.

Nemini aliquid boni attribuit, sed totaliter ad Deum refert[1] tota, unde omnia procedunt. In quo finaliter omnes Sancti fruibiliter quiescunt.

O qui scintillam haberet veræ charitatis[2], perfecte omnia terrena sentiret[3] plena vanitatis[4].

De sufferentia defectuum aliorum.

CAPITULUM 16[um].

I. Quæ rarissime homo in se vel in aliis emendare non valet, debet patienter sustinere, donec Deus aliter ordinet[5].

Cogita quod sic forte melius est pro tua probatione et patientia[6], sine qua non sunt multum ponderanda merita nostra.

Debes tamen pro talibus impedimentis supplicare, ut tibi dignetur Deus subvenire[7], ut possis benigne portare.

II. Si quis semel vel bis admonitus non acquiescit,

1. *Refert a quo fontaliter omnia* in edit. Genceana, Elzevir. et aliis, cod. Cav. excepto et cod. Bob., ubi legimus *totaliter*, barbarismum effugiendo.

2. « Charitas nunquam excidit. » I Cor. XIII, 8. « Charitas non est ambitiosa. » Ibid. XIII, 5.

3. *Charitatis, profecto omnia terrena sentiret esse plena vanitatis* Enriquez; *plena fore vanitatis*; ita Gence, Elzevirius et alii.

4. « Cuncta subjacent vanitati. » Eccl. III, 19. « Finis præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. » Tim. I, 5. « Carissimi, obsecro vos tanquam advenas, et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis quæ militant adversus animam. » I Petr. II, 11.

5. « Injuriam non facere, sed et factam patienter sufferre. » Ex cap. IV Regulæ S. Benedicti.

« Infirmitates suas sive corporum, sive morum patientissime tolerent; » ita in cap. LXXII ejusdem Regulæ.

6. « Melior est patiens viro forti. » Proverb. XVI, 32.

7. *Subvenire et possis*; ita Gence et alii, excepto Cavensi cod. qui nobis adhæret.

noli cum eo contendere, sed totum Deo committe, ut fiat voluntas sua, et honor in omnibus servis suis, qui scit bene, malum [1] in bonum convertere [2].

Stude patiens esse in tolerando aliorum defectus, et qualescumque infirmitates, quia et tu multa habes, quæ ab aliis oportet tolerari.

Si non potes te talem facere qualem vis, quomodo poteris alium habere ad beneplacitum tuum?

Libenter [3] videmus alios perfectos, sed tamen proprios non emendamus defectus.

III. Volumus quod alii districte corrigantur, et nos ipsi corrigi nolumus [4], aut negari quod petimus.

Alios restringi per statuta volumus, et ipsi nullatenus patimur amplius cohiberi.

Sic ergo patet, quam raro proximum, sicut [5] nos ipsos pensamus.

Si omnes essent perfecti quid tunc haberemus ab aliis pro Deo pati?

IV. Nunc autem Deus sic ordinavit, ut discamus alter alterius onera portare [6], quia nemo sine defectu [7], nemo sine onere [8], nemo sibi sufficiens [9], nemo sibi

1. *Bene mala* ediderunt Gence, Enriquez, Elzevirius; non ita Caietanus, Delfau, Valgravius et alii qui conveniunt nobis.

2. « Vos cogitastis de me malum : sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me. » Gen. L, 20.

3. *Habemus alios perfectos ;* ita scripsere Gence, Enriquez, Elzevirius; at Delfau et Caietanus ediderunt *volumus*, uti legimus in cod. Cavensi.

4. *Et ipsi corrigi nolumus. Displicet larga aliorum licentia, et tamen nobis nolumus negari, quod* etc. Gence, Enriquez et alii qui secuti sunt glossatorum commentaria, inter quæ illa cod. Bobiensis excellunt. Enim vero hæc non aderant in cod. Cavensi, sed recentiori charactere videntur marginaliter adjuncta. Quæ omnia D. Gence non adnotavit.

5. *Nos ipsos amamus* cod. Cav. «Dilige proximum tanquam te ipsum; » ex Cap. 4 Reg. S. Benedicti.

6. « Alter alterius onera portate. » Beatus Paulus ad Gal. VI, 2.

7. « Nemo bonus, nisi unus Deus. » Marc. X, 18.

8. « Unusquisque onus suum portabit. » Gal. VI, 5.

9. « Ne dicas, sufficiens mihi sum. » Eccl. XI, 26.

satis sapiens [1], sed oportet invicem portare, invicem consolari [2], pariter adjuvare, et ammonere [3].

Quantas [4] autem virtutes quisque fecerit, melius patet occasione adversitatis [5]. Occasiones namque hominem fragilem non faciunt, sed qualis sit, ostendunt.

De monastica vita [6].

CAPITULUM 17um.

1. Oportet ut discas te ipsum in multis frangere, si vis pacem et concordiam cum aliis tenere.

Non est parvum in monasteriis, vel in congregatione habitare, et in illis [7] sine querela conversari [8], et usque ad mortem fidelis [9] perseverare.

Beatus qui ibidem bene vixit, et feliciter consummavit [10].

Si vis debite stare et proficere, teneas te

1. « Ne sis sapiens apud temetipsum. » Prov. III, 7.

2. « Supportantes invicem. » Colos. III, 13. — « Consolamini invicem. » I Pauli ad Thess. V, 11.

3. *Adjuvare, instruere et admonere;* sic Elzevirius, Gence, Enriquez et alii. Non est hic locus *instructionis ad invicem*, dum magister loquitur ad novitios, ideoque cod. Cavensis concordat cum nostro Ms.

4. *Quantæ autem virtutis quisque fuerit* ediderunt Gence et alii, solus Delfau scripsit *quisque sit*, sed cod. Cavensis nobis arridet.

5. *Prosperitas tegit vicia, adversitas detegit illa ; multi videntur quieti ac pacifici, dum nihil habent adversi ; quod si aliquantulum tangantur, impatientes apparent. Occasiones namque adversitatis* etc. ; ita glossator in cod. Bobiensi.

6. *De religiosa vita* inscripsit Gence ipse solus, fortasse ut suum Gersonem concellarium parisiensem, non Gersen benedictinum abbatem crederent auctorem istius prætiosi tractatus.

7. *Et inibi* Gence et Elzevirius : *ibi* alii editores, at sensus congruentior *in illis monasteriis conversari.*

8. » Conversatus sine querela. » Philip. III, 6.

6. « Esto fidelis usque ad mortem. » Joannes, Apoc. II, 10.

10. « Quærens Dominus in multitudine populi sui operarium suum, inquire pacem et sequere eam. » S. Benedictus in prologo.

tanquam exulem et peregrinum[1] super terram[2].

Oportet te stultum fieri propter Xptum[3], si vis religiosam ducere vitam.

II. Habitus et tonsura[4] modicum faciunt[5], sed mutatio morum et integra mortificatio passionum verum faciunt religiosum[6].

Qui aliud quærit, quam pure Deum, et animæ suæ salutem, non inveniet nisi tribulationem et dolorem[7].

Non potest etiam diu stare pacificus, qui non nititur esse minimus, et omnibus subjectus[8].

Ad serviendum venisti, non ad regendum[9], ad paciendum et laborandum scias te vocatum, non ad otiandum, vel fabulandum[10].

1. « Confitentes quia peregrini, et hospites sunt super terram. » Paulus ad Hebr. XI, 15.

2. « Nil præsumet monachus habere proprium, omnia necessaria a patre monasterii speret. » Cap. 33 Regulæ S. Benedicti.

3. « Nos stulti propter Christum. » Epist. 1 Pauli ad Cor. IV, 10.

4. « Mentiri Deo per tonsuram noscuntur. » Cap. 1 Regulæ S. Benedicti.

5. *Modicum confert*; sic Gence et Elzevirius, sed Enriquez, Delfau, edit. 1488, 1608, *modicum conferunt*, tum Caietanus, Valgravius, edit. 1697 scripsere *modicum faciunt sive conferunt*; solus Cavensis cod. nostro omnino consonat.

6. Non tonsura facit monachum, non horrida vestis,
Sed virtus animi, perpetuusque rigor,
Mens humilis, mundi contemptus, vita devota,
Sanctaque sobrietas: hæc faciunt Monachum.

S. Anselm. carm. de contemptu mundi ad monachos. Exinde proverbium prodiit: « Habitus non facit monachum, » in concilio Tridentino et alibi adhibitum; videatur sectio XIV cap. 6 de Reformatione.

7. « Tribulationem et dolorem inveni. » Ps. CXIV, 3.

8. *Subjectus. Ambitio penam habet semper unitam et ambientium crux amara. Quid quæris posse? Ad serviendum*, ita in codice Bobiensi. « Qui major est in vobis, fiat sicut minor. » Luc. XX, 26; XXII, 26. Marc. X, 43. — « Subjecti estote omni humanæ creaturæ. » 1 Petr. II, 13.

9. « Dominatio interdicitur; indicitur ministratio. » S. Bernard. Consid. lib. 2, cap. 6, num. 11.

10. « Videant ne forte inveniatur frater acediosus qui vacat otio aut fabulis, et non est intentus lectioni. » Capitulum 48 Regulæ Sancti Benedicti.

Hic ergo probantur homines [1] sicut aurum [2] in fornace [3].

Hic nemo potest stare nisi ex toto corde se voluerit propter Deum humiliare.

De exemplo[4] *Sanctorum Patrum.*

CAPITULUM 18um.

1. Intuere Sanctorum Patrum vivida exempla, in quibus vera perfectio fulsit[5], et videbis quam modicum sit, et vere nihil, quod nos agimus.

Heu quid est vita nostra, si illis fuerit comparata[6].

Sancti et amici Christi Domino servierunt in fame et siti, in frigore et nuditate, in labore et fatigatione, in vigiliis et jejuniis, in orationibus et sanctis meditationibus [7], in persecutionibus et opprobriis multis[8].

1. *Hic ergo id est in monastica vita* adnotat ipsemet Gence; attamen noluit titulum capitulo fideliter inscribere ne contra suum Gersonem præberet argumentum. Vide etiam cap. 63 Regulæ S. Benedicti, ibi: « Probate spiritus, si ex Deo sunt. »

2. « Tanquam aurum in fornace probavit illos. » Sap. III, 6.

3. Hæc similitudo et aliæ multæ quæ in tractatu de Imitatione leguntur, depromptæ fuerunt ex regula S. Benedicti, uti Meslerius, Cancellieri et Gravessonius existimant. Vide cap. I dictæ Regulæ, ibi: «Probati (novitii) experientia magistri sicut aurum in fornace» etc.

4. *De exemplis patrum;* ita Gence, subdens quod vocabulum *sanctorum* adjectum fuit in cod. Gerard, et Cavensi: attamen Elzevirius, Enriquez, Caietanus et editor 1488 secuti sunt nostram lectionem.

5. *Refulsit et religio, et videbis, quam modicum sit et pene nihil quod;* sic legitur in multis editionibus, at nos existimamus lectionem nostram magis esse auctoris propriam, nam in vera perfectione et religio inest, quæ vox non legitur in cod. Cavensi.

6. « Juxta regulam Patrum vivere semper studes. » Ita S. Fulgentius.

7. « Ad perfectionem qui tendit sunt doctrinæ SS. Patrum instituta, et vitæ eorum, atque Regula S. Patris nostri Basilii. » Vid. cap. 73 Regulæ S. Benedicti.

8. « In fame, et siti, et nuditate, et omni penuria. » Deut. XXVIII, 48. — « In labore, et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore, et nuditate. » II Cor. XI, 27. — « In contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. » Ibid. Paulus ad Corinthios, XII, 10.

II. O quam multas, et graves tribulationes passi sunt Apostoli, Martyres et Confessores, Virgines et reliqui omnes, qui Christi vestigia voluerunt sequi [1].

Nam animas suas in hoc mundo oderunt, ut in vitam æternam eas possiderent [2].

O quam strictam et abdicatam vitam sancti Patres in eremo duxerunt, quam longas, et graves tentationes pertulerunt: quam frequenter ab inimico vexati sunt, quam [3] graves, et fervidas orationes Deo obtulerunt, quam rigidas abstinentias peregerunt, quam magnum zelum, et fervorem ad spiritualem [4] profectum habuerunt, quam forte bellum adversus edomationem vitiorum gesserunt, quam puram, et rectam intentionem ad Deum tenuerunt, per diem laborabant, et noctibus orationi diutinæ [5] vacabant: quamquam laborando ab oratione mentali minime cessarent.

III. Omne tempus utiliter expendebant, omnis hora ad vacandum Deo brevis videbatur. Et præ magna dulcedine contemplationis, etiam oblivioni tradebatur necessitas corporalis refectionis.

1. « Alii distenti sunt. Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula, et carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti... in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terræ. » Hebr. XI, 35, et seqq.

2. « Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. » Joan. XII, 25, et alibi.

3. *Quam crebras et fervidas*: ita legitur in fere omnibus editionibus, attamen *graves* hoc loco per *constantes, vel molestas orationes*, intelligitur.

4. D. Paulus ad Hebræos, cap. XI, 37. — Describit Eremitas ibi: « Alii in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis et in cavernis terræ..., » ut supra diximus.

5. Agitur hic de Regula Benedictina: seu de labore diurno et de psalmodia nocturna: uti in aliis capitulis et speciatim in capit. XVII hujus libri ibi: « Magister ait, ad laborandum venisti in monasterium non ad otiandum etc. »

Omnibus divitiis, dignitatibus [1], honoribus, amicis et cognatis renuntiabant. Nihil de mundo habere cupiebant : vix necessaria vitæ sumebant, corpori servire etiam in necessitate dolebant [2].

Pauperes igitur erant rebus terrenis, sed divites valde in gratia, et virtutibus.

Foris egebant, sed intus gratia, et consolatione divina reficiebantur.

IV. Mundo [3] erant alieni, sed Deo proximi, ac familiares amici.

Sibi ipsis videbantur tanquam nihili, et huic mundo despecti, sed erant in oculis Dei prætiosi, et delecti.

In vera humilitate stabant, in simplici obedientia vivebant, in charitate et patientia ambulabant [4], et ideo quotidie [5] proficiebant, et magnam apud Deum obtinebant gratiam.

Dati sunt in exemplum omnibus Religiosis et plus provocare nos debent ad bene proficiendum, quam tepidorum numerus ad relaxandum.

V. O, quantus fervor omnium Religiosorum in principio suæ sanctæ institutionis fuit; o, quanta devotio orationis, quanta æmulatio virtutis, quam magna di-

1. Gauderius magnus dux Ariperti regis Longobardorum fundavit anno 658 monasterium Locediense in agro Vercellensi ibique requievit in Domino. Videatur *Storia della Vercellese letteratura. Quadro secondo.*

2. Vide Regulam S. Benedicti capit. XXXIX de mensura ciborum, et capit. XL de mensura potus.

3. « Et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo. » Joan. XVII, 14.

4. « Ambulate in dilectione. » Ephes. V, 2. — « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. » Rom. V, 5.

5. *Quotidie in spiritu proficiebant.* Sic Gence et alii, sed ad quid vocabula *in spiritu?* Agitur hoc loco de proficiendo in virtute.

sciplina viguit, quanta reverentia et obedientia sub regula[1] in omnibus floruit.

Testantur adhuc vestigia derelicta, quod vere viri sancti et perfecti fuerunt, qui tam strenue militantes, mundum suppeditaverunt.

Jam[2] magnus utique putatur, si quis transgressor non fuerit, si quis quod accepit cum patientia tolerare potuerit.

VI. O, tepor[3] et negligentia status nostri, quod tam cito declinamus a pristino fervore et jam tædet vivere præ lassitudine et tepore[4].

Utinam in te penitus non dormiret[5] profectus virtutum, qui multa sæpius exempla vidisti devotorum.

De exercitiis boni Religiosi.

CAPITULUM 19um.

I. Vita boni Religiosi omnibus virtutibus pollere debet, ut sit talis interius qualis ab hominibus videtur exterius.

1. *Sub regula magistri in omnibus effloruit.* Ita Gence, Enriquez et alii, sed in perantiquo codice Cavensi abest vocabulum *magistri*, nam in Regula S. Benedicti hæc dignitas non legitur. Vid. capit. LXXI: « Ut obedientes sint sibi invicem fratres. » — Videatur Regulæ magistri commentarium illius S. Benedicti, cujus ignotus est auctor, juxta Mabillonium. — Dux Cosmus Mediceus, ille magnus, interrogatus cur assidue Reg. S. Benedicti versaret in manibus; « ut a prudentibus, dixit, S. Patris præscriptionibus ad populos meæ fidei concreditos valde accommodata media capiam. » S. Gregorius in Dialog. lib. 2, titulum *magni Magistri* solo D. Benedicto tribuit uti digniori.

2. *Jam magnus putatur,* omisso vocabulo *utique*, in edit. Genceana.

3. *Ah teporis et negligentiæ* ediderunt Gence, Elzeviriana; *hoc est temporis et negligentiæ* in edit. 1608, sed Caietanus, Valgravius, et Delfau concordant cum nostra lectione. In capitulo XI jam Magister increpavit monachos ob teporem et negligentiam status. Vide Regul. S. Benedicti.

4. *Torpore* scripsit Gence, spretis aliis editionibus.

5. *Non dormitet* ediderunt Gence, et Elzeviriana, contra alias lectiones quæ nobis cohærent uno cum cod. Cav.

Et multo plus [1] debet esse intus, quam quod cernitur foris, quia inspector noster est Deus [2] quem summopere revereri debemus ubicumque fuerimus, et tamquam Angeli in conspectu ejus mundi incedere [3].

Omni die renovare debemus propositum nostrum, et ad fervorem nos excitare, quasi hodie primum ad conversionem venissemus ac dicere: Adjuva [4] me Deus [5] in bono proposito et sancto servitio tuo, et da mihi nunc hodie perfecte incipere, quia nihil est, quod hactenus feci.

II. Secundum [6] propositum nostrum est cursus profectus nostri, et multa diligentia opus est bene proficere volenti.

Quod si fortiter proponens sæpe deficit, quid [7] faciet ille qui raro aut minus fixe aliquid proponit?

Variis tamen modis contingit desertio propositi nostri. Et levis omissio exercitiorum vix sine aliquo dispendio transit.

Justorum propositum in gratia potius Dei, quam in propria [8] patientia pendet. In quo et semper confidunt quidquid arripiunt.

1. *Et merito multo plus* : ita Gence et alii: sed inutiliter, nam ex Regula S. Benedicti capit. IV colligitur quod monachus pro certo scire debet in omni loco Deum se respicere. In cod. Cavensi legitur *Merito plus debet* etc.

2. «Qui inspector est cordis.» Prov. XXIV, 12.—«Æstimet se homo de cœlo semper a Deo respici omni hora et facta sua in omni loco ab aspectu divinitatis videri et ab angelis Deo omni hora renunciari,» cap. VII Regulæ S. Benedicti.

3. «Si mundus et rectus incesserit.» Job. VIII, 6.

4. *Adjuva me Domine Deus* in nonnullis codicibus, ut in Cav. et Bob.

5. «Adjuva nos Domine Deus.» 2 Paralipomenon, XIV, 11.

6. *Secundum propositum nostrum cursus profectus nostri.* Ita Gence, Elzevirius et alii, solus Delfau scripsit *secundum propositum nostrum extendit* etc. Ibi verbum expressit ut clariorem redderet sensum.

7. *Quid ille qui raro* scripsit Gence, omittens verbum.

8. *In propria sapientia*, ita Gence, Elzevirius et alii, attamen nostra lectio magis auctoris menti consona videtur; nam hoc loco agitur de evitanda levi omissione exercitiorum, quod a *patientia* plus quam a *sapientia* pendet.

Nam homo proponit, sed Deus disponit[1] nec est in homine via ejus[2].

III. Si pietatis causa[3], aut fraternæ utilitatis proposito, quandoque consuetum omittitur exercitium, facile postea poterit recuperari. Si autem tædio animi, vel negligentia faciliter relinquitur, satis culpabile est et nocivum sentitur.

Conemur quantum possumus, adhuc leviter deficiemus in multis[4].

Semper tamen aliquid certi proponendum est[5], et proponenda sunt illa præcipue quæ amplius nos impediunt.

Exteriora nostra et interiora pariter nobis scrutanda sunt, et ordinanda, quia utraque expediunt ad proprium profectum[6].

IV. Si non continue te vales colligere, saltem interdum, et ad minus[7] semel in die, mane videlicet aut vespere.

Mane propone, vespere discute mores tuos[8], qualis hodie fuisti in verbo, opere et cogitatione, quia in his forsan Deum sæpius offendisti et proximum.

1. « Cor hominis disponit viam suam : sed Domini est dirigere gressus ejus. » Prov. XVI, 9.

2. « Non est hominis via ejus. » Jeremias, X, 23.

3. Vide cap. XXXVI de infirmis fratribus, Regul. S. Benedicti.

4. « Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet. » Eccles. VII, 21.

5. *Est et contra illa* scripsere Gence, Enriquez, Elzevirius, attamen Caietanus et edit. 1697 magis accedunt ad nostram lectionem, quæ clarior efficitur a lectione codicum Cavens. et Bob. ibi, *et illa precipue* etc.

6. *Ad profectum*, omisso adjectivo *proprium* : ita Gence, et alii.

7. *Ad minus bis in die, mane videlicet et vespere* : Ita Gence ut emendaret editiones in quibus adest contradictio, usm adhibito vocabulo *semel in die*, posterior conjunctio *et* loco *aut* sensum auctoris invertit, sed editio 1488 et cod. Bob., Cav. concordant cum nostra lectione.

8. « Mane... venturæ diei tu tibi indicito canonem : vespere diei præteritæ rationem exige. » Auctor Epist. ad Fratr. de Monte Dei cap X, n. 29. int. Opp. S. Bernardi vol. 2.

Accinge[1] te sicut vir fortis contra diabolicas nequitias[2], fræna gulam[3] et omnem carnis inclinationem facilius frænabis.

Numquam sis ex toto otiosus[4], sed aut legens, aut scribens, aut orans, aut meditans, aut aliquid utilitatis pro communi laborans.

Corporalia[5] tamen exercitia discrete sunt agenda, nec omnibus æqualiter assumenda.

v. Quæ communia non sunt, non sunt foris ostendenda, nam in secreto tutius exercentur privata.

Cavendum tamen ne piger sis ad communia[6], et ad singularia promptior. Sed expletis integre et fideliter debitis, et injunctis, si[7] jam ultra tempus vacat, redde te tibi, prout tua devotio desiderat.

Non possunt omnes habere exercitium unum, sed aliud isti, aliud illi magis deservit, et pro temporis[8] congruentia diversa placent exercitia, quia alia in festis, alia in feriatis magis sapiunt diebus, aliis indigemus tempore tentationis, et aliis tempore pacis

1. *Sicut vir contra :* ita cod. Cavensis et Bobiensis; ita Geoce, Enriquez et alii. Attamen adjectivum *fortis* non immerito fuit adhibitum.

2. « Accinge, sicut vir, lumbos tuos. » Job. XXXVIII, 3. — « Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli. » Ephes. VI, 2.

3. « Non esse multum edacem, castitatem amare. Non adulterari, corpus castigare, jejunium amare. » In cap. IV Regul. S. Benedicti.

4. « Otiositas est inimica animæ; ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, » c. XLVIII Regulæ S. Benedicti. En argumentum, quod demonstrat auctorem tractatus de imitatione Christi fuisse Monachum benedictinum.

5. Sæculo VII ab Oriente monachi fuerunt in Europam vocati ut neglectos a Vandalis agros colerent. Vid. Robertson, Caroli V Historiam.

6. « Fratres sic sibi invicem serviant ut nullus excusetur a coquinæ officio. » Cap. 35 Regulæ S. Benedicti.

7. *Si jam ultra vacat :* omiserunt vocabulum *tempus* in pluribus editionibus. Horarum distributio certa erat in monasteriis, et dum alii ad culturam agrorum vacabant, alii ad psallendum stabant. Non omnes habebant unum exercitium et fertilitas agrorum tam in Italia, quam in Gallia a Benedictinis fuit adaucta, uti historia ipsa docet.

8. *Etiam pro temporis* legimus in pluribus codicibus et editionibus.

et quietis. Alia, cum tristamur, libet cogitare, et alia, cum læti in Domino fuerimus[1].

VI. Circa principalia festa renovanda sunt bona exercitia, et Sanctorum suffragia ferventius imploranda.

De festo in festum proponere debemus quasi tunc de sæculo migraturi, et ad æternum festum perventuri[2].

Ideoque sollicite nos præparare debemus in devotis temporibus, et devotius conversari, atque omnem observantiam strictius custodire, tanquam in brevi laboris nostri præmium a Deo percepturi.

VII. Et si dilatum fuerit, credamus nos minus bene paratos, atque indignos tantæ[3] gloriæ, quæ revelabitur in nobis[4] tempore præfinito et studeamus nos melius ad exitum præparare.

Beatus servus, ait Evangelista Lucas, quem, cum venerit Dominus, invenerit vigilantem. Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum[5].

1. Hæc doctrina deprompta est a Regula benedictina, cap. I, de generibus monachorum; cap. XXI, de Decania monasterii; cap. XXXI, de Cellerario; cap. XXXV, de septimanariis coquinæ; cap. XXXVIII, de hebdomadario lectore; cap. XLVIII, de opere manuum quotidiano; cap. LVI, de artificibus monasterii; cap. LXII, de sacerdotibus monasterii; cap. LXIV, de ordinando Abbate; cap. LXV, de Præposito monasterii; cap. LXVI, de ostiario, etc.

2. Monachi vel longe ab oratorio laborabant, vel erant artifices, vel sacerdotes; uti in cap. L, LVII et LXII Regulæ S. Benedicti, ideoque non nisi de *festo in festum* missam audiebant et mortis meditatione versabantur. Vide infra capitulum II lib. IV.

3. *Bene præparatos atque indignos tantæ adhuc gloriæ:* ita Gence, Enriquez, etc. Sed ad quid hoc adverbium?

4. « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. » Paulus ad Rom. VIII, 18.

5. « Beatus ille servus, quem, cum venerit dominus, invenerit ita facientem (i. e. vigilantem). Vere dico vobis, quoniam supra omnia, quæ possidet, constituet illum. » Luc. XII, 37, 43. — « Beatus ille servus, quem, cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. » Matth. XXIV, 46, 47.

De amore solitudinis et silentii.

CAPITULUM 20um.

I. Quære aptum tempus vacandi tibi, de beneficiis Dei frequenter cogita[1].

Relinque curiosa[2], tales potius perlege materias, quæ compunctionem magis præstent quam occupationem.

Si te subtraxeris a superfluis locutionibus et curiosis[3] circuitionibus nec non a novitatibus et rumoribus audiendis, invenies tempus sufficiens et aptum bonis meditationibus insistendis.

Maximi Sanctorum humana consortia ubi poterant vitabant et Deo in secreto[4] vivere eligebant[5].

II. Dixit quidam: Quoties[6] inter homines fui, minor homo redii. Hoc sæpius experimur, quando diu confabulamur.

Facilius[7] est enim tacere quam in verbo non excedere[8].

Facilius est domi latere quam foris se posse sufficienter custodire.

1. « Si a bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem debet taceri, quanto magis a malis verbis propter pœnam peccati debet cessari? » Cap. VI Regolæ S. Benedicti.

2. *Relinque curiosa. Tales perlege materias.* Ita Gence, Elzevirius, et alii qui in punctatione erraverunt. In cod. Bobiensi legimus *tales perlege libros.* In cod. Cavensi: *Tales autem perlege materias.*

3. *Et otiosis* scripsere Gence, Enriquez, et alii. — Sed auctor se refert ad præcedens præceptum; codexque Cavensis nobis cohæret.

4. *In secreto servire* edidit Enriquez, et cum illo Elzevirius; attamen ipse Gence, edit. 1488 et codices Cavensis ac Bobiensis nobis conveniunt.

5. (Tobias) « fugiebat consortia omnium... pergebat in Jerusalem ad Templum Domini. » Tob. I, 5. 6.

6. En orthographia italica sæculi XIII, quam in cod. Cavensi ac Bobiensi etiam legimus.

7. *Facilius est omnino tacere.* Ita Gence, et alii.

8. « Os suum a malo vel pravo eloquio custodire. » Ita in capit. IV Regulæ S. Benedicti.

Qui igitur intendit ad interiora et spiritualia pervenire, oportet eum cum Jesu a turba declinare[1].

Nemo secure apparet[2] nisi qui libenter latet[3].

Nemo secure præcipit[4] nisi qui obedire didicit.

Nemo secure gaudet nisi[5] qui testimonium bonæ conscientiæ habet[6].

III. Semper tamen Sanctorum securitas plena timoris Dei extitit[7]. Nec eo minus solliciti et humiles in se fuerunt, quia magnis virtutibus et gratia emicuerunt.

Pravorum autem securitas ex superbia et præsumptione oritur et in fine in desperationem[8] sui vertitur[9].

Nunquam promittas tibi securitatem in hac vita, quamvis bonus videaris Cœnobita, aut bonus[10] Eremita[11].

1. « Jesus declinavit a turba. » Joannes, v, 13.

2. « Ascendit in montem solus orare. » Matth. XIV, 25; XXII, 36; XIV, 23.

3. Hoc loco glossatores addiderunt sequentia: *Nemo secure loquitur, nisi qui libenter tacet.* (Hæc sententia attamen non legitur in edit. Lugdunensi 1608). *Nemo secure præest, nisi qui libenter subest:* ita Gence, Elsevirius, et alii etiam adjecerunt. Attamen hæ duæ sententiæ non adsunt in editione Mediolanensi 1488. Judicet lector an non hæc a glossatoribus fuerint adjecta: nam in codice Cavensi secunda sententia tantum fuit scripta; in cod. Bob. ambæ fuerunt prætermissæ sicut et in nostro Ms.

4. *Nisi qui bene obedire* scripsere Gence, et alii. *Libenter obedire* legimus in cod. Bob.

5. *Nisi bonæ conscientiæ in se testimonium habeat.* Ita Enriquez et alii, attamen nostra lectio concordat cum edit. 1488.

6. « Gloria nostra hæc est: testimonium conscientiæ nostræ. » Beatus Paulus, 2 Cor. I, 12.

7. « Cum metu, et tremore vestram salutem operamini. » Phil. II, 12.

8. *In deceptionem sui ipsius:* in pluribus editionibus sic legitur, non ita in cod. Cavensi qui cum nostro concordat.

9. « Sunt impii, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant: sed et hoc vanissimum judico. » Ecclesiasticus, VIII, 14.

10. *Aut devotus Eremita:* ita Gence, sed ad quid hæc distinctio? Nonne Cœnobitæ sunt et devoti? ipsi monasteriale militant sub regula vel abbate. Alii vivunt uti Anachoretæ. Caput 1 de generibus Monachorum in Regula S. Benedicti. Vide supra, cap. XVIII.

11. « Sunt justi, atque sapientes, et opera eorum in manu Dei: et tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit. » Eccl. IX, 1.

IV. Sæpe meliores in existimatione hominum magis periclitati sunt propter nimiam suam confidentiam.

Unde multum [1] utilius est, ut non penitus tentationibus careant, sed sæpius impugnentur ne nimium securi sint, ne forte in superbiam eleventur, ne etiam ad exteriores consolationes licentius declinent.

O, qui nunquam transitoriam lætitiam quæreret, qui nunquam cum mundo se occuparet, quam bonam conscientiam servaret [2].

O, qui omnem vanam sollicitudinem amputaret, et duntaxat salutaria ac divina cogitaret, et totam spem suam in Domino constitueret [3], quam magnam pacem et quietem possideret.

V. Nemo dignus est cælesti consolatione, nisi diligenter se exercuerit in sancta compunctione [4].

Si vis corde tenus compungi, intra cubiculum [5] tuum [6], et exclude tumultus mundi. Sicut scriptum est, in cubilibus vestris compungimini [7].

In cella invenies, quod de foris sæpius amittes [8].

Cella continuata dulcescit et male custodita tædium generat.

1. *Unde multis :* ita in variis editionibus legitur. *Unde multo melius est non penitus temptationibus careant :* sic legimus in Cavensi codice.

2. Periodum antecedentem omiserat amanuensis in codice De Advocatis, sed legitur in margine adjecta, summa cum diligentia collatione adhibita.

3. « Ponant in Deo spem suam. » Psal. LXXVII, 7.

4. « Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. » Psal. CXLV, 5.

5. *Cubile tuum* scripsit Gence, sed improprie, uti in dictionario Forcellini legitur, nam hic agitur de cella monastica in cœnobiis.

6. « Intra in cubicula tua. Claude ostia tua. » Isaia, XXVI, 20.

7. « In cubilibus vestris compungimini. » Psal. IV, 5.

8. « Gyrovagi monachi qui tota vita sua ternis aut quaternis diebus per diversorum cellas hospitantur. » Capitulum I Regulæ. Ibi Sanctus Benedictus cellam pro monasterio accipit.

Si in principio conversationis tuæ[1] bene eam incolueris, et custodieris, erit postea tibi amica dilecta, et gratissimum solatium.

VI. In silentio[2] et quiete proficit anima devota, et discit abscondita Scripturarum[3].

Ibi invenit fluenta lacrymarum, quibus singulis noctibus se lavet[4] et mundet, ut Conditori suo tanto familiarior fiat, quanto longius ab omni sæculari tumultu degit.

Qui ergo se substrahit[5] a notis et amicis, approximabit illi Deus cum Angelis sanctis.

Melius est latere et sui curam agere[6], quam se neglecto signa facere.

Laudabile est homini religioso raro foras ire, fugere videri et nolle homines videre[7].

VII. Quid vis videre, quod non licet habere? Transit mundus, et concupiscentia ejus[8].

1. *Conversionis tuæ* ediderunt Gence, Caietanus, Elzevirius, Delfau, et alii, sed agitur de *conversatione* novitii in cella sua; idcirco in capit. LXXIII Regulæ S. Benedicti legimus: « Regulam autem hanc descripsimus, ut eam observantes in monasteriis aliquatenus vel honestatem morum aut initium conversationis nos demonstremus habere. »

2. « Obmutui et humiliatus sum et silui. » Cap. VI Regulæ S. Benedicti.

3. « Occulta Proverbiorum exquiret et in absconditis parabolarum conversabitur. » Eccl. XXXIX, 3.

4. « Lavabo per singulas noctes lectum meum; lacrymis meis stratum meum rigabo. » Ps. VI, 7.

5. *Se abstrahit:* ita Gence aliique, attamen Forcellinus verbum *se substrahere* approbat.

6. « Permisit ad amicos ire et curam sui agere. » Acta Apost. XXVII, 3.

7. *Nolle etiam homines videre:* ita in omnibus fere editionibus. A glossatore monacho hæc adjuncta fuere in cod. Bobiensi: *Homines videre. Heu me quid dicam? Etenim multi sunt religiossi quos delectat exire, qui exeundi occasiones quærunt et non solum cum viris sed et cum mulieribus longa habent parlamenta, magnas faciunt familiaritates. Quid vobis miseri cum mulieribus? An forciores estis Sansone, sanctiores et sapientiores Salomone, innocentiores Adamo? Hos omnes femina decepit, et in peccatum tradidit. Quenam inde securitas erit? Credite mihi, non est tuta via vestra, ut cum mulieribus sit conversatio vestra: Quid vis* etc. Nonne hæc sunt magistri novitiorum præcepta?

8. « Mundus transit et concupiscentia ejus. » I Joan. II, 17.

Trahunt desideria sensualitatis[1] ad spatiandum. Sed cum hora transierit, quid nisi gravitatem conscientiæ, et cordis dispersionem portat[2]?

Lætus exitus tristem sæpe reditum parit et læta vigilia serotina triste mane facit.

Sic omne carnale gaudium blande intrat, sed in fine mordet[3] et perimit[4].

VIII. Quid potes videre alicubi, quod diu potest sub solem[5] permanere[6]?

Credis te forsitan satiari, sed non poteris pertingere.

Si cuncta videres præsentia, quid esset, nisi visio vana[7]?

Leva oculos tuos ad Deum in excelsis[8], et ora pro peccatis tuis[9], et negligentiis.

Dimitte vana vanis, tu autem intende illis, quæ tibi præcepit Deus[10].

Claude super te ostium tuum[11], et voca ad te Je-

1. Ex Regula S. Benedicti cap. XXIX, Si debeant iterum recipi fratres exeuntes de monasterio.

2. *Reportas*: sic Gence, Enriquez, et alii; *importas* in edit. 1488; nos tamen existimamus hic sensum esse clariorem.

3. « Ingreditur blande, sed in novissimo mordebit, ut coluber. » Prov. XXIII, 31, 32.

4. *Quid potes alibi videre quod hic non videas? Ecce cælum et terra, et omnia elementa; nam ex istis omnia sunt facta. Quid potest alicubi* etc.: sic Gence. Noster amanuensis jam scripserat *quid potest alibi*, postea delevit, quia ab auctore emendata fuit lectio.

5. *Sub sole*: ita Gence et alii; nos putamus esse nostram dictionem magis propriam, alioquin cum cod. Bobiensi concordat.

6. « Nihil permanere sub sole. » Ecclesiastæ, II, 11.

7. « Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo est. » Epist. I Joannis, II, 16.

8. « Levate in excelsum oculos vestros. » Isai. XL, 26. — « Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis. » Psalm. CXXII, 1.

9. « Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis. » Eccl. XXIII, 4.

10. « Sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper. » Eccl. III, 23.

11. « Claude ostia tua super te. » Is. XXVI. 20. « Cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito. » Matthæus, VI, 6.

sum dilectum tuum. Mane cum eo in cella[1], quia non invenies alibi tantam pacem.

Si non exisses nec quidquam de rumoribus audisses, melius in bona pace permansisses.

Ex quo nova delectaris[2] aliquando audire, oportet te exinde turbationem cordis tolerare.

De compunctione[3] cordis.

CAPITULUM 21 um.

1. Si vis aliquid proficere; conserva te in timore Dei[4] et noli esse nimis liber. Sed sub disciplina cohibe[5] omnes sensus tuos, nec ineptæ te tradas lætitiæ[6], da te ad cordis compunctionem, et invenies devotionem; compunctio multa bona aperit, quæ dissolutio cito perdere consuevit. Mirum est, quod homo possit[7] unquam perfecte lætari in hac vita, qui suum exilium, et tam multa pericula animæ suæ considerat, et pensat[8].

1. Cella est propria habitatio monachorum. Vid. cap. I Regulæ S. Benedicti; item caput XLVI, ibi: « Si quis, dum in labore quovis, in coquina, in cellario, in monasterio, in pistrino, in horto, in arte aliquâ laborat, aliquid deliquerit etc. »

2. *Delectat:* ita Gence et alii, sed magis propria nostra videtur lectio, quæ cum codice Cavensi concordat.

3. « Quanto satius est, spretis inanibus, ad Deum se convertere, tueri statum quem a Deo acceperis, tueri nomen! » Lactantii epitom. cap. 25.

4. « In timore Domini esto tota die. » Prov. XXIII, 17.

5. « Disciplinæ regulari subjaceat: » ita in cap. XXXII Regulæ S. Benedicti.

6. « Cor sapientium, ubi tristitia est; et cor stultorum, ubi lætitia. » Eccles. VII, 5. Prov. XXIII, 17.

7. *Potest unquam perfecte in hac vita lætari;* ita Gence, Euriques et alii; ast cod. Cav., Bob., Delfau et edit. 1488, 1608 nobis concordant.

8. In cod. Boblensi glossator monachus adjecit: *Ah miser homo, in hac miserie valle extant quot, et quam durissimi hostes tui. Quam graves et fraudulentas tibi continuo parant insidias. An forte ignoras illos? Mundus, Caro, Diabolus. Hij sunt inimici tui crudeles et duri, horatim tuam querunt perditionem. Nulla tibi securitas a circulo Lune usque ad centrum terre, nulla securitas et omnis locus patet insidijs et doloribus plena est vita nostra, si subtiliter intuemur pericula nostra. Propter* etc. Nil mirum si Gerson et Kempis in transcribendo hunc tractatum aliqua marte proprio addiderunt.

II. Propter levitatem cordis et negligentiam defectuum nostrorum non sentimus animæ nostræ dolores, sed sæpe vane reddimus [1] verba, quando merito flere deberemus.

Non est vera libertas, nec bona conscientia [2], nisi in timore Dei [3].

Felix qui abjicere potest omne impedimentum distractionis, et ad unionem se redigere [4] sanctæ compunctionis.

Felix qui a se abdicat quidquid suam conscientiam maculare potest, vel gravare [5].

Certa viriliter [6]. Consuetudo consuetudine vincitur [7].

Si tu scis homines dimittere [8], ipsi bene dimittent te, tua facta facere.

III. Non attrahas tibi res aliorum, nec te implices causis maiorum [9].

Habeas semper oculum super te primum, et admoneas te ipsum specialiter, præ omnibus tibi dilectis.

1. *Vane ridemus quando*, immutato sensu, scripsere Gence, Elzevirius, Caietanus, Enriquez et alii.

2. *Nec bona lætitia, nisi in timore dei cum bona conscientia* : ita Gence et alii. Ad quid vocabulum *lætitia*? aptior hic fluit sensus juxta codicem Cavensem.

3. « Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam, et gaudium. » Ecclesiastico I, 12.

4. *Se recolligere* scripsere Enriquez et Elzevirius, quod a D. Gence improbatum, uti etiam ab edit. 1488 et aliis codicibus.

5. En cur de vera *libertate* et de bona *conscientia* agebatur in præcedente periodo.

6. In cod. Bobiensi hæc leguntur : *Certa viriliter, resiste potenter, obtinebis profecto de inimicis tuis triumphum illo adveniente, quia non derelinquit in se sperantem. Consuetudo vincitur consuetudine. Si tu scis etc.*

7. « Nil tam durum, quod duriori non cedat. » S. Bernardus De Consid. IV, 3. — « Hinc consuetudo consuetudine vincitur. » Idem Opp.

8. *Homines dimittere* nil aliud significat quam a sæculi actibus se facere alienum, uti legimus in cap. IV Regulæ S. Benedicti.

9. *Causis majorum.* Agitur hic de vitandis inter potentes Guelphos et Gibellinos sæculi XIII factionibus.

Si non habes favorem hominum noli exinde tristari, sed hoc tibi sit grave quia non habes te satis bene et circumspecte, sicut deceret servum Dei et devotum Religiosum [1] conversari. Utilius est sæpe et securius, quod homo non habeat multas consolationes in hac vita secundum carnem [2], præcipue tamen, quod divinas non habemus, aut rarius sentimus nos devotos; in culpa sumus [3], quia compunctionem non quærimus cordis, ac [4] vanas et extrinsecas non abjicimus.

IV. Cognosce te indignum divina consolatione, sed magis dignum multa tribulatione [5].

Quando homo perfecte est compunctus, tunc gravis et amarus est ei totus mundus.

Bonus homo sufficientem invenit materiam dolendi et flendi [6]: sive enim considerat se, sive de proximo pensat; scit quia nemo sine tribulatione hic vivit [7]; et quanto strictius sese considerat, tanto amplius dolet.

Materiæ justi doloris, et internæ compunctionis sunt peccata, et vitia nostra, quibus ita involuti jacemus, ut raro cælestia contemplari valeamus.

V. Si frequentius de morte tua, quam de longitu-

1. *Devotum religiose.* Hic Gence defendit suam discordantiam contra codices et alias editiones magis ad nostram consonantes.

2. « Secundum carnem ambulant. » Rom. VIII, 1 et alibi passim.

3. *Rarius sentimus, nos in culpa sumus* scripsit Gence, omisso accusativo, quod reddit sensum obscuriorem.

4. *Nec vanas et externas omnino abjicimus* scripsere Gence et alii, sed Caietanus omisit adverbium, et edit. 1608 adjecit *extrinsecas consolationes.*

5. « Hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat. » Job. VI, 10.

6. *Dolendi et flendi. Sive enim* etc. in pluribus editionibus; sed illa 1488 convenit nostræ et cod. Bobiensi.

7. « Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit. » Rom. VIII, 22.

dine vitæ tuæ[1] cogitares, non dubium, quin ferventius te emendares.

Si etiam futuras Inferni, sive Purgatorii, pœnas cordialiter perpenderes, credo quod libenter dolorem et laborem sustineres, et nihil rigoris formidares[2].

Sed quia ista ad cor non transeunt, et blandimenta adhuc amamus, ideo frigidi et valde pigri remanemus.

Sæpe est inopia spiritus unde tam leviter conqueritur corpus miserum.

Ora igitur humiliter ad Dominum[3] ut det tibi compunctionis spiritum; et dic cum Propheta, Ciba me Domine pane lacrymarum et potum da mihi in lacrymis in mensura[4].

De conditione[5] humanæ miseriæ.

[6]CAPITULUM 22 um.

1. Miser es ubicumque fueris, et quocumque te verteris, nisi ad Deum te convertas.

Quid turbaris quia non succedit tibi sicut vis et desideras?

1. *Vitæ cogitares*, omisso pronomine *tuæ*. Ita Gence et alii, excepta editione 1488, quæ convenit nobiscum et cum codd. Cavensi et Bobiensi. Hæc admonitio deprompta fuit a cap. IV Regulæ S. Benedicti ibi : « mortem quotidie ante oculos habeas. »

2. « Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. » Eccl. VII, 40.

3. « Brevis debet esse et pura oratio : » ita in cap. XX de reverentia orationis Regulæ S. Benedicti.

4. « Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura (Hebr. : *in mensura magna*; unde Hieronym. *tripliciter*, id est, lacrymis nos cumulatissime satiasti.) » Ps. LXXIX, 6.

5. *De consideratione* in pluribus editionibus, cod. Cavensi excepto. Istud argumentum a libro Innocentii III, *de miseria conditionis humanæ*, adparet fuisse depromptum, et studiis sæculi XIII respondet doctrina hujus capituli.

6. Notatu dignum est, quod in hoc capitulo 22 alter fuit nostri codicis De Advocatis amanuensis, nam charactere sunt nitidissimi, et non compendiosa scriptura.

Quis est qui habeat[1] omnia secundum suam voluntatem? Nec ego, nec tu, nec aliquis hominum super terram.

Nemo est in mundo sine aliqua tribulatione, vel angustia, quivis Rex, vel Papa[2].

Quis est, qui melius habet? Utique qui pro Deo aliquid pati valet.

11. Dicunt multi imbecilles et infirmi[3], Ecce quam bonam vitam ille homo habet, quam dives et quam magnus, quam potens et excelsus.

Sed attende ad cælestia bona, et videbis quod omnia ista temporalia nulla sunt, sed magis incerta, et valde gravantia[4], quia nunquam sine solicitudine, et timore possidentur.

Non est hominis felicitas habere temporalia ad abundantiam, et sufficit ei mediocritas[5].

Vere miseria est vivere super terram. Quanto homo voluerit esse spiritualior, tanto præsens vita fit ei amarior, quia sentit melius, videt clarius humanæ corruptionis[6] affectus[7].

Nam comedere, bibere, vigilare, dormire, quiescere laborare et cæteris necessitatibus naturæ subja-

1. *Qui habet:* ita Gence, Enriquez et alii; solus cod. Bobiensis concordat cum nostro manuscripto.

2. *Quamvis rex sit vel papa* in edit. Genceana, et allis. Prior illa lectio fluentior adparet.

3. « Inter vos multi infirmi et imbecilles. » 1 Cor. XI, 30.

4. *Valde incerta et magis gravia* scripserunt, ordine inverso, Gence et Enriquez. Attamen bona temporalia magis sunt incerta in acquirendo, et valde gravis in possidendo.

5. « Mendicitatem et divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria. » Prov. XXX. 3.

6. *Corruptionis defectus:* ita Gence, Elzevirius, Valgravius et alii; nostram nos putamus meliorem lectionem; nam *corruptio*, *vitium* et *defectus* sunt synonyma.

7. In cod. Bob. addiderunt: *Et videt clarius humanæ coruptionis defectus cui vita prius dulcis est et amabilis, scito illum spiritualem non esse et non ambulare secundum spiritum, sed magis dexideria carnis preficere. Nam qui ambulat secundum spiritum, cupit dissolvi et esse cum Xipto. Nam comedere* etc.

cere vere magna miseria est, et afflictio homini devoto, qui libenter esset absolutus et liber ab omni peccato[1].

III. Valde enim gravatur interior homo[2] necessitatibus corporalibus in hoc mundo. Unde Propheta devote rogat quatenus ab istis liber esse valeat, dicens, De necessitatibus meis erue me, Domine[3].

Sed væ non cognoscentibus suam miseriam[4] et corruptibilem vitam[5].

Nam in tantum quidam hanc amplectuntur, licet etiam vix necessaria laborando aut mendicando habeant, ut si possent hic semper vivere, de regno Dei[6] nihil curarent.

IV. O insani, et infideles corde, qui tam profunde in terris jacent, ut nihil nisi carnalia sapiant[7].

Sed miseri adhuc in fine sentient graviter, quam vile, et nihilum erat, quod amaverunt[8].

Sancti autem Dei, et omnes devoti amici Christi non attenderunt, quæ carni placuerunt, nec quæ in hoc tempore floruerunt. Sed tota spes eorum, et intentio ad æterna bona anhelabat[9].

1. « Necessitas hujus miseri corporis, quod, dum modo somnum, modo cibum, modo vestem, cæteraque similia quærit, haud dubium, quin frequenter impediat nos ab exercitio spirituali. » S. Bernard. Serm. I. in Septuag. num. 5.

2. « Secundum interiorem hominem. » Rom. VII, 22.

3. « De necessitatibus meis erue me. » Ps. XXIV, 17.

4. *Suam miseriam : et amplius væ illis, qui diligunt hanc miseram et corruptibilem vitam.* Talis est lectio Genceana, talis Elzeviriana etc., a glossatoribus male digestæ. Hæc non legimus in cod. Cavensi; sed tantum in cod. Bobiensi cui plurima commentaria fuerunt adjecta.

5. « Propter modicum corruptibilis vitæ. » 2 Maccab. VI. 25.

6. « Loquentes de regno Dei. » Acta Apost. I, 3. — « Suadens de regno Dei. » Ibid. XIX, 6.

7. « Quæ carnis sunt, sapiunt. » Rom. VIII, 5; ad Galat. V, 13. — « Desideria carnis non perficere : » ita in cap. IV Regulæ S. Benedicti.

8. « Omnes dies nostri defecerunt. Anni nostri sicut aranea meditabuntur. Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta annis. Si autem in potentatibus octoginta anni, et amplius eorum, labor et dolor. » Psalm. LXXXIX.

9. In cod. Bobiensi legimus : *Ad eterna bona anelabant; ad gaudia paradisi suspirabant. Ferebant totum desiderium* etc.

Ferebatur totum desiderium [1] eorum ad mansura et invisibilia, ne amore visibilium traherentur ad infima.

v. Noli frater amittere confidentiam [2] proficiendi ad spiritualia. Adhuc [3] enim habes tempus et horam [4], quare vis procrastinare propositum tuum? Surge, et in instanti incipe [5], et dic: Nunc est tempus faciendi, nunc tempus pugnandi est [6], nunc tempus aptum est emendandi.

Quando male habes et tribularis, tunc tempus promerendi [7].

Oportet te transire per ignem et aquam, ante-

1. *Desiderium ipsorum sursum ad mansura*: ita Enriquez et alii. Attamen codices Cavensis, Bobiensis, et editio 1488 congruunt cum nostro Ms.

2. « Nolite itaque amittere confidentiam vestram. » Hebr. x, 35.

3. *Ad spiritualia, adhuc habes tempus et horam. Quare vis procrastinare*: ita Gence scripsit, sed noster auctor, interpunctione varia, sensum reddit clariorem.

4. *Habes tempus et horam. Nulla etas tarda et nullum tempus ineptum ad bonum, nam et hora XI, misit dominus operatores in vineam suam. Quare vis procrastinare propositum tuum? Omnis dilatio nocet. Tolle moras, accelera festinanter. Quid ultra sedes in sorde peccatorum tuorum? Cur non erubescis dominum offendere tuum, sine quo vivere et esse non potes? An forte credis dominum tuum consentire peccatis tuis quia tardat vindictam? Falleris et pro certo punieris; nisi emenderis. Surge festinanter, et ne differas de die in diem, sed instanti incipe, et dic: Nunc tempus est faciendi; nunc tempus est pugnandi; nunc tempus revertendi ad dominum meum et serviendi illi, nunc tempus emendandi et satisfaciendi; nunc tempus clamandi ad dominum, et dicere: Miserere mei deus miserere mei; adjuva me domine suscipe me servum tuum, vel indignum venientem et clamantem ad te. Solve domine fascicolos comprimentes, releva domine iacentem, porrige dexteram fortitudinis tuæ, et erue me de manibus inimicorum tuorum quærentes animam meam. Quando* etc. Sic legitur in cod. Bobiensi.

5. « Dixi, nunc cœpi. Hæc mutatio dexteræ Excelsi. » Ps. LXXVI, 11.

6. « Tempus sanandi... tempus colligendi.. tempus belli.. » Eccl. III, 3, 5, 8.

7. In cod. Bob.: *Promerendi, patientiam habe et lauda dominum tuum, quia te dignum fecit ut patiaris pro nomine eius. Oportet* etc.

quam venias[1] ad refrigerium[2], nisi tibi vim feceris, vitium non superabis[3].

Quamdiu istud fragile corpus gerimus, sine peccato esse non possumus[4] nec sine tædio et dolore vivere[5].

Libenter haberemus ab omni miseria quietem[6], sed quia per peccatum perdidimus innocentiam, amisimus etiam veram beatitudinem.

Ideo oportet nos tenere patientiam, et Dei exspectare misericordiam, donec transeat iniquitas hæc[7], et mortalitas absorbeatur a vita[8].

VI. O quanta fragilitas humana, quæ semper prona[9] est ad vitia[10].

Hodie confiteris peccata tua, et cras iterum perpetras confessa[11].

Nunc proponis cavere, et post horam ita agis[12], quasi nihil proposuisses.

1. *Venias in refugium nisi*; ita fere omnes lectiones.

2. « Transivimus per ignes et aquam, et eduxisti nos in refrigerium. » In Psalmo LXV, 12.

3. *Non superabis, fortis est tibi pugna, viriliter age. Quamdiu* cod. Bob.

4. « Si dixerimus, quoniam peccata non habemus, ipsi nos seducimus. » Epist. 1 Joan. 1, 8. — « Neque hic possumus penitus esse sine peccato. » S. Bernard. de grat. et liber. arb., cap. 9, n. 29.

5. *Vivere. Omnis vita peccatossa est valde tediossa; libenter* etc. Ex cod. Bobiensi.

6. « Cum senectus advenit, omnes passiones fugat, alias per satietatem, alias per philosophiam. » Chrysostomus, in Homil. 7.

7. « In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. » Psalmo LXVI, 12.

8. « Ut absorbeatur quod mortale est, a vita. » 2 Cor. V, 4.

9. « Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. » Gen. VIII, 21.

10. In cod. Bob. *Ad vicia: Cognosce miserias præsentis exilij, et revoca animam tuam a presentis vite illecebris. Non enim deus eiecit hominem de paradiso, ut gaudeat et floreat in hoc mondo, sed ut penitentiam agat de peccato suo. Cur ergo hodie* etc.

11. *Perpetras illa? Non est hoc penitere, sed magis dominum irridere. Nunc* etc. In eodem cod. Bob.

12. *Post horam agis*, omisso adverbio *ita*, edidit Gence.

Merito ergo nosmetipsos[1] humiliare possumus, nec unquam aliquid magni de nobis sentire, quia tam fragiles et instabiles sumus.

Cito etiam potest perdi per negligentiam, quod multo labore vix tandem acquisitum est per gratiam[2].

VII. Quid fiet de nobis adhuc in fine, qui tepescimus tam mane.

Væ nobis si sic volumus declinare ad quietem, quasi jam pax sit et securitas[3], cum necdum appareat vestigium sanctitatis veræ in nostra conversatione[4].

Bene opus esset quod adhuc instituteremur[5], tanquam boni novitii, ad mores optimos, si forte spes esset de futura[6] emendatione, et majori spirituali profectu.

De meditatione[7] *mortis.*

CAPITULUM 23um.

I. Valde cito erit tecum hoc factum[8]: vide aliter quomodo te habeas.

Hodie homo est, et[9] cras non comparet. Cum

1. *Nos ipsos* scripsit Gence, contra cod. Cavensis lectionem.

2. *Non torpeas, ergo non negligas. Ah si scires quantum modicum est quod habes, et quam cito perdes illud, nisi quod dedit custodias, profecto a te pelleres omnem negligentiam. Quid fiet:* ita in cod. Bobiensi.

3. « Cum enim dixerint pax et securitas. » I ad Thessal. V, 3.

4. Scripserat *consolatione;* inde correxit lectionem.

5. *Quod adhuc iterum instituteremus;* sic Gence et alii. Observare oportet quod *item, adhuc* et *iterum* sunt synonyma.

6. *De aliqua futura* in edit. Genceana, sed ad quid hoc pronomen? loquitur hoc loco ad cœnobitas, qui jam longa ætate in monasterio vivunt.

7. « Mortem quotidie ante oculos suspectam habere. » Ita ex cap. IV Regulæ S. Benedicti.

8. « Dies mei velocius transierunt... Dies mei velociores fuerunt cursore. » Job. VII, 6; IX, 25; XIV, 1, et alibi passim.

9. Vide opus De contemptu mundi, lib III, cap. I, De putredine cadaverum; ibi Innocentius III ait: « In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. »

autem sublatus fuerit ab oculis[1], etiam cito transit a mente[2].

O hebetudo, et duritia cordis humani, quod solum præsentia meditatur, et futura non magis prævidet.

Sic te in omni facto et cogitatu deberes tenere, quasi statim[3] esses moriturus.

Si bonam conscientiam haberes, non multum mortem timeres.

Melius esset peccata cavere quam mortem fugere[4].

Si hodie non es paratus, quomodo cras eris[5]?

Cras est dies incerta[6], et quid scis si crastinum habebis[7]?

11. Quid prodest diu vivere, quando parum emendamur?

Ha, longa vita non semper emendat, sed sæpe culpam magis auget[8].

Utinam per unam diem bene essemus conversati in hoc mundo[9].

Multi annos computant conversionis, sed sæpe parvus est fructus emendationis.

1. « Hodie extollitur, et cras non invenietur, quia conversus est in terram suam. » 1 Macc. II, 63. — « Rex hodie est, et cras morietur. » Eccl. X, 12.

2. « Oblivioni tradita est memoria eorum. » Eccl. IX, 5.

3. *Quasi hodie esses*, ita Gence, Elzevirius, Enriquez; sed Delfau, Caietanus, Valgravius scripserunt *quasi hodie vel statim esse*; dum codd. Cav. et Bob., edit. 1488, 1608 nobiscum plene concordant. « Estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet. » Lucas, XII, 40.

4. *Fugere : quia velis nollis illa te aprehendet, peccatum nisi conscentias te non involvet.* Ex cod. Bobiensi.

5. *Si hodie non esses paratus quomodo cras eris? Minus forsan conhoratim adicias peccatis tuis. Cras est dies incerta.* In cod. Bob.

6. « Ignoratis quid erit in crastino. » Jac. IV, 14.

7. *Habebis? Audi quemdam sic dicentem. Nemo tam dies habuit faventes, crastinum ut sibi possit policeri. Quid prodest* etc. Cod. Bob.

8. *Culpam magis auget et tempus quod nobis misericorditer conceditur ad emendandum, sepe consumitur ad peccandum. Utinam.* In cod. Bob.

9. *O quantus timor et dolor quum exigemur reddere rationem vilicationis nostre, et a nobis requiretur omne tempus impensum, quomodo fuerit expensum. Multi* etc. In cod. Bob.

Si formidolosum est mori[1], forsitan periculosius erit vivere diu[2].

Beatus qui horam mortis suæ semper ante oculos habet[3], et ad moriendum quotidie se disponit[4].

Si vidisti aliquem mori[5], cogita quia tu per eandem viam transibis[6].

III. Cum mane fuerit, puta te ad vesperum non perventurum. Vespere áutem facto, mane non audeas tibi polliceri[7].

Semper ergo paratus esto[8], et taliter vive, ut nunquam imparatum te mors inveniat[9].

Multi subito improvisi moriuntur[10]. Nam hora, qua non putatur, Filius hominis veniet[11].

Quando hora illa extrema venerit[12], multum aliter sentire incipies de tota vita tua præterita et valde dolebis, quia tam negligens, et remissus fuisti[13].

1. « Formido mortis cecidit super me. » Psalm. LIV, 5.

2. *Diutius vivere* scripsere Gence, Elzevirius. Codices Cavensis et Bobiensis quod idem sonat.

3. « Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. » Eccles. VII, 40.

4. « Omni hora ponat sibi mortem ante oculos suos. » Ita abbas Moises ad suos monachos. Vide Rosweyd. de vitis Patrum, pag. 529. edit. Antuerp. 1615.

5. *Aliquando hominem mori* in multis editionibus. In codd. Cav. et Bob., in edit. 1488, scripsere *aliquem hominem*.

6. « Ingredior viam universæ terræ. » Jos. XXIII, 14 et III Reg. II, 2.

7. « Excitati a somno, ad vesperam nos pervenire dubitemus; et quieti corpora concedentes, de lucis non confidamus adventu. » In vita S. Anton. Abb. ap. Bolland. ad d. 17. Januar. n. 31. — « Senibus mors est in januis, juvenibus autem in insidiis. » Ita S. Bernardus.

8. « Et vos estote parati, quia qua nescitis hora filius hominis venturus est etc. » Matth. XXIV, 44.

9. « Attendite vobis, ne... superveniat in vos repentina dies illa. » Luc. XXI, 34.

10. *Subito et improvise moriuntur... filius hominis venturus est* Gence et alii, sed nostra lectio consonat cum cap. sequenti Evangelii S. Lucæ.

11. « Qua hora non putatis, Filius hominis veniet. » Luc. XII, 40. — « Beatus ille servus quem, cum venerit Dominus etc. » Matth. XXIV, 44.

12. « Cum venerit hora, eorum reminiscamini. » Joan. XVI, 4.

14. *Fuisti. Sed quid proderit tibi tunc dolor cum hic non curas penitere? Quam felix* etc. In cod. Bobiensi.

IV. Quam felix et prudens qui talis nunc nititur esse in vita, qualis optat inveniri in morte[1].

Dabit namque magnam fiduciam[2] moriendi perfectus contemptus mundi, fervens desiderium in virtutibus proficiendi, amor disciplinæ, labor pænitentiæ. promptitudo obedientiæ, abnegatio sui, et supportatio cujuslibet adversitatis pro amore Christi[3].

Multa bona potes operari dum sanus es, sed infirmatus nescio quid poteris.

Pauci ex infirmitate emendantur[4]; sic et qui multum peregrinantur[5], raro sanctificantur.

V. Noli confidere super amicos et proximos[6], nec in futuris[7] salutem tuam differas[8], quia citius obliviscentur tui homines, quam existimas.

Melius est nunc tempestive providere et aliquid boni præmittere, quam super aliorum auxilio sperare.

Si non es pro te ipso sollicitus modo, quis erit sollicitus pro te in futuro[9]?

1. « Vigor devotionis et fidei corpore etiam senescente non deficit, sed vergente deorsum conditione corporea, fervor spiritus in sublimiora conscendit. » Alexander III, Episcop. Lond.

2. *Fiduciam feliciter moriendi*: ita Gence; sed ad quid adverbium *feliciter*, dum sancti tremuerunt in conspectu mortis? Hoc non legimus in cod. Cav.

3. « Sperat autem justus in morte sua. » Prov. XIV, 32.

4. *Meliorantur* in edit. Genceana et Elzeviriana; non ita in codd. Cavensi ac Bobiensi, et in edit. 1488, qui nobis arrident.

5. Peregrinationes erant frequenti usui sæculo XIII, et noster auctor contra illas declamat. An. 1218 sex-millia Britannorum, qui a peregrinatione loca sancta et Christi sepulcrum visitandi causa redibant, omnes naufragio prope Italiæ littora periere.

6. *Proximos, qui tibi succurrere non poterunt in illa tremenda hora mortis tue, nec in futuris* etc. In cod. Bob.

7. *In futurum* ediderunt Gence, Elzevirius et Valgravius, ast nobis arrident cod. Bobiensis, Delfau, Caietanus et edit. 1480, 1608 et 1697.

8. « Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. » Ecclesiasticus, V, 8.

9. *In futuro? Si negligis nunc animam tuam, quis im posterum illius curam suscipiet? Crede mihi, si te neglexeris, profecto negligeris. Nunc tempus* etc. Hæc in cod. Bobiensi.

Nunc tempus est valde prætiosum [1], sed proh dolor, quod hoc inutilius [2] expendis, in quo promereri vales, unde æternaliter vivas.

Veniet quando unam diem seu horam pro emendatione desiderabis, et nescio, an impetrabis [3].

VI. Eia, charissime, de quanto periculo te poteris liberare, de quam magno timore eripere, si modo semper timoratus fueris [4], et de morte suspectus [5]!

Stude nunc taliter vivere, ut in hora mortis valeas potius gaudere, quam timere [6].

Disce nunc mori mundo, ut tunc incipias vivere cum Christo.

Disce nunc omnia contemnere, ut tunc possis libere ad Christum pergere.

Castiga nunc corpus tuum [7] per pœnitentiam, ut tunc valeas certam habere confidentiam.

VII. Ha stulte, quid cogitas te diu victurum [8], cum nullum diem habeas securum [9]?

1. *Pretiosum. Nunc sunt dies salutis, nunc tempus acceptabile; sed proh;* ita Gence, Elzevir., Delfan, Valgravius. Hæc omissa fuerunt a Caietano, a cod. Bobiensi et Cavensi, ab edit. 1488, 1608, et 1697.

2. *Hoc utilius non expendis;* ita Gence, contra edit. 1488.

3. « Omnis sive bona sive mala in extrema ætate ad summum perveniunt, ita ut mali perditissimi in extrema senecta fiant, boni tunc summam virtutis atque justitiæ maturitatem assequantur. » Osorius, tom. III, cap. 16.

4. « Beatus homo qui semper est pavidus. » Prov. XXVIII, 14.

5. *De morte suspectus. Eya, carissime mi. Surge velociter de loco torporis et negligentie, excutere de pulvere terre. Leva cor tuum ad dominum. Quid times, quid hesitas, quid moraris? Stude nunc* etc. Ex cod. Bobiensi.

6. *Parva et falsa sunt gaudia presentis vite, et in alto merore respersa, vera gaudia sine tristicia sunt in celo. Disce nunc mori* etc. In cod. Bobiensi.

7. « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo. » 1 Cor. IX, 27.

8. « Nemo tam fractis viribus et decrepitæ ætatis est, ut non putet unum adhuc annum se esse victurum. » Ita divus Hieronymus in Amos propheta.

9. *Diem habeas hic securum:* Ita Gence et alii. Hoc adverbium non legitur in editione 1488, nec in codd. Bobiensi atque Cavensi. « Nescitis diem neque horam. » Matth. XXV, 13.

Quam multi decepti sunt et insperati de corpore extracti[1]!

Quoties audisti a dicentibus, quia ille gladio cecidit, ille submersus est, ille ab alto ruens cervicem fregit, ille manducando obriguit, ille ludendo finem fecit, alius igne, alius ferro, alius peste, alius latrocinio interiit et: sic omnium finis mors est[2], et vita hominum tanquam umbra cito[3] pertransit[4].

VIII. Quis memorabitur tui post mortem, et qui orabit pro te?

Age, age nunc charissime quidquid pro te[5] agere potes, quia nescis quando morieris[6]. Nescis etiam, quid tibi[7] post mortem sequatur.

Dum tempus habes[8], congrega divitias immortales[9].

Præter salutem tuam nihil cogites. Solum quæ Dei sunt, cures.

Fac nunc tibi amicos venerando[10] Sanctos, et actus imitando, ut cum defeceris in hac vita, illi te recipiant in æterna tabernacula[11].

1. « Sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo (mors) supervenerit. » Eccl. IX, 12.

2. » Finis cunctorum (mors). » Eccl. VII, 3.

3. *Umbra subito pertransit :* ita Gence, Elzevirius et Enriquez; sed Delfau, Caietanus et editor 1697 adverbium prætererunt. Solus Valgravius concordat cum nostra lect.

4. « Dies ejus sicut umbra prætereunt. » Psalm. CXLIII, 4.— « Fugit velut umbra. » Job. XIV, 2; Ecclesiasta, VIII, 13.

5. *Quidquid agere potes :* ita Gence et alii; ast editiones 1488 et 1608 concordant cum nostra.

6. *Morieris et tamen certissimum est te debere mori; nescis etc.*, in cod. Bobiensi.

7. *Quid te post mortem sequetur* scripsit Enriquez; non ita Gence, neque editor 1488.

8. « Dum tempus habemus, operemur bonum. » Gal. VI, 10.

9. *Immortales, virtutes scilicet quibus ad consortium possis scandere beatorum. Preter* etc. In cod. Bobiensi.

10. *Dei sanctos et eorum actus ;* sic Gence et alii; sed sancti in religione catholica sunt imitatores vitæ Christi.

11. « Facite vobis amicos.... ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. » Luc. XV, 9.

IX. Serva te tanquam peregrinum et hospitem[1] super terram[2], ad quem nihil spectat de mundi negociis[3].

Serva cor liberum, et ad Deum sursum erectum, quia non habes hic manentem civitatem[4].

Illuc gemitus et preces quotidianas cum lacrymis dirige, ut spiritus tuus mereatur post mortem ad Dominum feliciter[5] transire[6].

De judicio et pœnis peccatorum.

CAPITULUM 24um.

I. In omnibus rebus respice finem, et qualiter ante districtum judicem stabis[7], cui nihil est occultum[8], qui muneribus non placatur[9] nec excusationes recipit, sed quod justum est[10], judicabit[11].

1. « Carissimi, obsecro vos, tanquam advenas et peregrinos. » 1 Petri, II, 11.

2. « A fori strepitu remotus, ruris otium et ecclesiæ cultum, placita in secretis domesticis tranquillitate celebravi, ut paulatim seducto a sæcularibus turbis animo, præceptisque cœlestibus accommodato, proclivius ad contemptum mundi, comitatumque Christi, jam quasi de finitima huic proposito via demigraverim. » Sanct. Paulinus.

3. *Nam vere dicuntur negotia quia negant otium et quietem mentis et corporis. Serva* etc. legitur in codice Bobiensi.

4. « Non enim habemus hic manentem civitatem. » Hebr. XIII, 14.

5. « Prætiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. » Psalm. CXV, 5.

6. *Transit. Amen* in pluribus editionibus et præcipue in illa 1488, ubi invenitur jam corruptæ linguæ latinæ a sæculo XIII emendata orthographia.

7. « Omnes stabimus ante tribunal Christi. » Rom. XIV, 10, et alibi.

8. « Non est quidquam absconditum ab oculis ejus. » Eccl. XXXIX, 24.

9. Hæc discenda a magistratibus, ipsi *sunt justitiæ sacerdotes, nec muneribus placari debent.* « Corona dignitatis senectus, quæ in viis justitiæ reperitur. » Proverbiorum XVI, 31. Est enim hostis Dei, non minister, qui ea suscipit, quæ divinæ leges vetant, qui aliter judicat quam leges præscribunt. N. A.

10. « Quod justum est, judicate. » Deut. I, 16. — « Sed judicabit in justitia. » Isai. XI, 4.

11. In cod. Bobiensi glossator vel ipse auctor in posteriori lectione scholastica addidit : « *O quantus pudor,*

O miserrime et insipiens, quid respondebis Deo[1], omnia mala tua scienti, qui interdum times vultum hominis irati?

Ut quid non[2] prævides tibi in judicii die? Quando nemo poterit per alium excusari vel defendi, sed unusquisque sufficiens onus[3] suum portabit sibi ipsi[4].

Nunc labor tuus est fructuosus, fletus acceptabilis, gemitus exaudibilis, dolor satisfactorius et purgativus.

II. Habet magnum et salubre purgatorium homo patiens, qui suscipiens injurias, plus[5] dolet de alterius malitia, quam de sua injuria, qui pro contrariantibus[6] sibi libenter orat[7], et ex corde culpas indulget[8]; qui veniam ab aliis petere non retardat, qui facilius miseretur quam irascitur, qui sibi ipsi violentiam frequenter facit, et carnem suam omnino[9] spiritui subiugare conatur.

Melius est modo purgare peccata, et vitia resecare, quam in futuro purganda reservare.

quum ante talem judicem denudabuntur abominationes tuæ et voluptates carnalitatis tuæ. O quanta confusio, quum multipliciter et graviter accusaberis, nec invenies quod respondeas. O quantus luctus et dolor, quum dampnaberis in eternum cruciandus; nec videbis quid te eruere possit. Quid tunc miser facies? Ad quod fugies? Quis auxilium prestabit? Nihil aliud invenies nisi pudorem et dampnum. Ubi te occultabis pre pudore maximo? Ubi te salvabis a tantis penis? Nullus locus saluti patebit, sed dabis penas scelerum tuorum. O miserime » etc.

1. « Cum quæsierit, quid respondebo illi? » Job. XXXI, 14.

2. *Non provides tibi in diem judicii:* Gence præfert hanc lectionem contra plures editiones quæ nobis consentiunt.

3. « Unusquisque onus suum portabit. » Paulus ad Gal. VI, 3.

4. *Onus erit sibi ipsi;* ita Gence contra dictum S. Pauli.

5. *Plus debet* in sua edit. Enriquez scripsit, at Gence convenit nobis.

6. *Contrariantibus*, vocabulum italicum a verbo *contrariare*, latine contradicere. Vid. Ducange.

7. « Orate pro persequentibus, et calumniantibus vos. » Matth. V, 44.

8. « Remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. » Matth. XVIII, 35.

9. *Carnem omnino spiritui subjacere* Gence et alii, omisso pronomine *suam*, quod legimus in cod. Cavensi et edit. 1488 et 1608.

Vere nos ipsos decipimus per inordinatum amorem, quem ad carnem habemus.

III. Quid aliud ille ignis devorat[1], nisi peccata tua?

Quanto amplius nunc tibi ipsi parcis, et carnem sequeris, postea lues tanto durius[2], et majorem materiam comburendi reservas[3].

In quibus homo peccavit, in illis gravius punietur[4].

Ibi[5] accidiosi ardentibus stimulis purgentur[6], et gulosi ingenti fame ac siti cruciabuntur.

Ibi luxuriosi et voluptatum amatores ardenti pice et fœtido sulphure perfundentur[7]. Et sicut furiosi canes, præ dolore invidiosi ululabunt.

IV. Nullum vitium erit, quod suum proprium cruciatum non habeat[8].

Ibi superbi omni confusione replebuntur, et avari miserrima egestate arctabuntur.

Ibi erit una hora gravior in pœna, quam hic centum anni in amarissima pœnitentia[9].

Ibi nulla requies, nulla consolatio damnatis[10].

1. *Devorabit*; ita in pluribus editionibus.

2. « Quantum.... in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum. » Apoc. XVIII, 7.

3. Vid. de pœnis inferni diversis, in cap. IV, lib. 3, de miseria humanæ conditionis. Vid. Dante *canto* 3, 6 et 7, *Inferno*, ubi pœnas atque tormenta a textu hujus capituli deprompsit, sicut in opusculo 1827 demonstravimus.

4. « Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur. » Sap. XI, 17.

5. *Accidiosi*. Vocabulum derivativum *ab accidia*, juxta Du Cange; infirmitas propria est monachorum, uti legitur in cap. 48 Regulæ S. Benedicti, ibi: « Frater accidiosus. »

6. *Pungentur* edidit Gence; *perurgentur* scripsit Enriquez, sed nostra lectio cum cod. Padolironis, Cavensi et Bobiensi adhæret. Vid. superius.

7. *Perfundentur furiosi sicut canes, et præ dolore*; ita Gence contra lectionem cod. Bobiensis et Cavensis. Inter septem peccata auctor voluit et *furorem* enumerare, ideo etiam editor 1488 distinxit pœnas *luxuriæ* a pœna *invidiæ*.

8. *Non habebit*; ita Gence, Caietanus, Elzevirius, et Valgravius; ast cod. Cavensis et edit. 1488 et 1608 non dissident nobis.

9. *Gravissima penitentia* edidit Enriquez, contra alias editiones.

10. « Mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, et stridor dentium. » Matth. cap. XXII, 13.

Hic tamen interdum cessatur a laboribus atque amicorum fruitur solatiis.

Esto modo sollicitus, et dolens pro peccatis tuis, ut in die judicii sis securus propetenus cum beatis[1].

Tunc enim justi stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt[2] et depresserunt.

Tunc stabit ad judicandum qui modo se subjicit humiliter judiciis hominum[3].

Tunc magnam fiduciam pauper et humilis habebit, et pavebit undique superbus.

v. Tunc videbitur sapiens in hoc mundo fuisse, qui pro Christo didicit stultus esse et despectus[4].

Tunc placebit omnis tribulatio patienter perpessa et omnis iniquitas oppilabit os suum[5].

Tunc gaudebit omnis devotus et merebit[6] omnis religiosus.

Tunc plus exultabit caro afflicta, quam si semper in deliciis fuisset nutrita[7].

Tunc splendebit habitus vilis, et obtenebrescet vestis subtilis[8].

Tunc plus laudabitur pauperculum domicilium, quam deauratum palatium.

1. *Securus sis cum beatis*, omisso adverbio, in aliis codicibus.

2. Sapient. v, 1 : « Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt et qui abstulerunt labores eorum. »

3. « Vos, qui secuti estis me.... sedebitis.... judicantes duodecim tribus Israel. » Matth. XIX, 28.—« Sancti de hoc mundo judicabunt. » 1 Pauli ad Cor. VI, 2.

4. « Nos stulti propter Christum; vos autem prudentes. » 1 Cor. IV, 10.

5. Psalm. CVI, 42 : « Videbunt recti et lætabuntur : et omnis iniquitas oppilabit os suum. »

6. Quam longe erraverunt amanuenses a vero sensu ! Nam *mereo* et *mœreo* differunt; ideo lectio Genceana *mœrebit omnis irreligiosus* reprobata est ab editoribus 1608, 1488, et a cod. Bobiensi, qui concordant cum nostro Ms.

7. *In deliciis fuisset semper nutritus ;* ita in aliquibus editionibus.

8. Cap. LV De vestimentis et calceamentis fratrum, in Regula S. Benedicti.

Tunc plus juvabit constans pacientia, quam omnis mundi potentia[1].

Tunc amplius exaltabitur simplex obedientia, quam omnis sæcularis astutia.

VI. Tunc plus lætificabit pura et simplex[2] conscientia et bona quam docta philosophia.

Tunc plus ponderabit contemptus divitiarum, quam totus thesaurus terrigenarum.

Tunc magis consolaberis super devota oratione, quam super delicata comestione.

Tunc potius gaudebis de servato silentio, quam de longa fabulatione.

Tunc plus valebunt sancta opera, quam multa pulchra verba.

Tunc plus valebit[3] stricta vita et ardua pœnitentia, quam omnis delectatio terrena.

Disce[4] nunc in modico pati, ut tunc a gravioribus valeas liberari.

Hic primo proba quid possis pati postea[5].

Si nunc tam parum[6] non vales sustinere, quomodo poteris æterna tormenta sufferre?

Si modo modica passio te tam impatientem efficit, tunc gehenna[7] quid facietur?

1. *Mundi pompa* legitur in codice Bobiensi contra alios codd.

2. *Pura et bona conscientia* legimus in edit. Genceana, cæteris omissis adjunctis.

3. *Plus placebit* scripsere Gence et alii. Solus cod. Cavensis concordat cum nostro Ms.

4. *Disce te* ait Gence observando, quod in editionibus italicis pronomen *te* omittitur, sed hæc omissio etiam reperitur in edit. 1608, atque in Marinianа, curante Delfao 1674.

5. *Proba quid possis postea;* ita Gence et alii, posthabitis edit. 1488, 1608 et cod. Cavensi.

6. *Si nunc tam parum vales sustinere:* omissa fuit particula *non* a solo Gence et Elzevirio contra cod. Bobiensem et tot alias editiones quæ cum nostro Ms. congruunt.

7. *Gehenna*, id est vallis ignis et frigoris; ita Joh. S. Benedictus in cap. IV suæ Regulæ admonet cœnobitas ut gehennam expavescant; hoc loco Gence invertit lectionem.

Ecce vere non potes[1] modo duo gaudia habere, delectari hic in mundo, et postea regnare cumChristo[2].

VII. Si usque in hodiernum diem semper in honoribus et voluptatibus vixisses, quid totum tibi profuisset, si jam in instanti mori contingeret?

Omnia ergo vanitas, præter amare Deum, et illi soli servire[3].

Qui enim Deum ex toto corde amat, nec mortem, nec supplicium, nec judicium, nec infernum metuit, quia perfectus amor securum ad Deum accessum facit[4].

Quem[5] adhuc peccare delectat, non mirum, si mortem, judicium timeat.

Bonum tamen est ut, si necdum amor a malo te revocat, saltem timor[6] gehennæ[7] te coerceat[8].

Qui vero timorem Dei postponit, diu stare in bono non valebit, sed diaboli laqueos citius incurret[9].

1. *Non potes duo gaudia habere;* ita Gence contra edit. 1488.

2. « Delicatos es frater, si et hic vis gaudere cum sæculo, et postea regnare cum Christo. » Hieron. ep. ad Heliod. circa finem.

3. Vide hujus libri capitulum 1.

4. « Perfecta caritas foras mittit timorem. » 1 Joan. IV, 18.

5. *Quem autem adhuc;* ita Gence, Enriquez contra lectionem cod. Bobiensis.

6. *Timor gehennalis coerceat;* sic Gence, Enriquez, Elzevirios aliique. Sed S. Benedictus dixit cœnobitis *gehennam expavescere*. Innocent. III, cap. VI, de igne gehennali, lib. III De miseria humanæ conditionis, ibi: « Ignis gehennæ nec lignis nutritur, nec flatu succenditur, sed a Deo creatus est inextinguibilis ab origine mundi. Scriptum est enim: Devorabit eum ignis qui non succenditur. Creditur autem esse sub terris. » Hæc opinio, *de interiori igne*, arridet physicis nostræ ætatis. Vide Cordier, in sua dissertatione Parisiis edita.

7. « Fac vel timore pœnæ, si non potes amore justitiæ. » Sanctus August. Serm. 13 de verb. Apost., et Tract. 4 in Joan. n. 10.

8. In capitulo XXVI de gravioribus culpis, Reg. S. Bened. præscribuntur pœnæ contra monachos.

9. « Incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli. » 1 Tim. VI, 9.

De ferventi emendatione totius vitæ[1].

CAPITULUM 25um.

I. Esto vigilans et diligens in Dei servitio[2], et cogita frequenter ad quid venisti, et cur sæculum reliquisti[3].

Nonne ut Deo viveres, et spiritualis fieres?

Igitur ad profectum ferveas, quia mercedem laborum tuorum in brevi recipies[4]. Nec erit tunc amplius timor aut dolor in finibus tuis[5].

Modicum[6] nunc laborabis, et magnam requiem, imo perpetuam lætitiam, invenies[7].

Si tu permanseris fidelis et fervidus in agendo, Deus procul dubio erit fidelis, et locuples in retribuendo[8].

Spem bonam retinere debes, quod ad palmam pervenies, sed securitatem capere non oportet ne torpeas, aut elatus fias.

II. Cum enim[9] quidam anxius inter metum et spem

1. *Vitæ nostræ:* ita Gence, Enriquez contra cod. Cavensem et edit. Delfau 1674.

2. « Esto vigilans. » Apoc. III, 2. — « Tu vigila, in omnibus labora.... ministerium tuum imple. » II Pauli ad Tim. IV, 5.

3. Loquitur hoc loco ad monachos, qui, ut pœnitentiam agerent, relinquebant sæculum; ideo « a sæculi actibus se debent facere alienos. » Regula S. Benedicti, cap. IV. Hæc probant auctorem libri fuisse monachum benedictinum.

4. « Unusquisque..., mercedem accipiet secundum suum laborem. » I Cor. III, 8.

5. « Mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra. » Apoc. XXI, 4.

6. Vid. Regulæ S. Benedicti caput 68, « Si fratri impossibilia injungantur. »

7. « Modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem. » Eccl. LI, 35.

8. « Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. » Apoc. II, 2. — « Super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. » Matth. XXV, 21.

9. *Cum quidam :* ita Gence, Enriquez et alii; solus cod. Cav. et editiones 1488 et 1608 concordant cum nostro Ms.

frequenter fluctuaret, et quadam vice mœrore confectus in ecclesia ante quoddam altare se in oratione prostravisset, hæc intra se resolvit dicens : O, si scirem, quod adhuc perseveratus essem; statimque audivit divinum intus responsum. Quid, si hoc scires, quid facere velles? Fac nunc quod facere velles, et bene securus eris[1].

Moxque consolatus et confortatus divinæ se commisit voluntati, et cessavit anxia fluctuatio. Noluitque curiose se investigare[2], ut sciret quæ sibi essent futura, sed magis studuit inquirere quæ esset voluntas Dei beneplacens et perfecta[3] ad omne opus inchoandum[4] et perficiendum[5].

III. Spera in Domino et fac bonitatem, ait Propheta, et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus[6].

Unum est[7] quod multos a profectu et ferventi emendatione retrahit : horror difficultatis seu labor certaminis.

Illi maxime[8] præ aliis in virtutibus proficiunt, qui ea quæ sibi magis gravia et contraria sunt vincere nituntur.

Nam ibi homo plus proficit, et gratiam meretur

1. « An nescis quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Nam pius Dominus dicit: Nolo mortem peccatoris sed ut convertatur et vivat. » S. Benedictus in prologo.

2. *Curiose investigare*; ita Gence.

3. « Ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta. » Rom. XII, 2. — « Inquirent, quæ beneplacita sunt ei. » Eccl. II, 19.

4. *Opus bonum inchoandum*, sic Enriquez et alii.

5. « Ad omne opus bonum instructur. » II Tim. III, 17.

6. Psalm. XXXVI. 3. « Spera etc.

7. *Unum est* usque ad *in spiritu mortificat* transcripsit S. Bonaventura in collatione VII ad fratres. Tolos. circa 1260; ut demonstravimus in libro *Mémoire sur le véritable auteur de l'Imitation*, 1827, Parisiis edito.

8. *Enim vero illi maxime*; ita Gence et alii, cod. Bobiensi excepto; sed S. Bonaventura omisit vocabulum, *enim vero*, in sua collatione et se originali lectioni accommodavit. Vide *Mémoire sur le véritable auteur de l'Imitation*, ut supra, pag. 88.

ampliorem, ubi magis se ipsum vincit, et in spiritu mortificat.

IV. Sed non omnes habent æque multum ad vincendum et moriendum.

Diligens[1] autem æmulator valentior erit ad proficiendum, etiamsi plures habeat passiones, quam alius bene morigeratus, minus tamen fervens ad virtutes.

Duo specialiter[2] ad magnam emendationem juvant, videlicet subtrahere se violenter ad quod natura vitiose inclinatur, et ferventer instare pro bono, quo amplius quis indiget.

Illa etiam magis studeas cavere et vincere quæ tibi in aliis frequentius displicent.

V. Ubique profectum tuum capies[3] ut si bona exempla videas vel audias, de imitandis accendaris.

Si quid autem reprehensibile consideraveris, cave ne idem facias[4], aut si aliquando fecisti, citius emendare te studeas.

Sicut oculus tuus alios considerat, sic iterum[5] ab aliis notaris.

Quam jucundum et dulce est videre fervidos et devotos Fratres bene morigeratos et disciplinatos.

Quam triste est[6] et grave videre inordinate ambulantes[7], qui ea ad quæ vocati sunt non exercent.

1. *Diligens tamen* edidit Gence.

2. Iterum hæc transcripsit Bonaventura in sua collatione VII ad fratres Tolosanos, usque ad verba „*ferventer instare pro bono.*

3. *Capias... ad imitandum* scripsere Gence aliique.

4. « Quidquid horret homo, aliis omnino ne faciat. » Rufin. de Vitis Patrum lib. 3. n. 153 ap. Rosweydum.

5. *Sic interim* edidit Gence, dum cæteri nobis conveniunt, uti sensus ipse postulat.

6. « Ab omni fratre ambulante inordinate. » 2 Thess. III, 6.

7. « Quartum vero genus est monachorum quod nominatur gyrovagum, qui tota vita sua per diversas provincias ternis aut quaternis diebus per diversorum cellas hospitantur. » Ita in cap. 1 Regulæ S. Benedicti.

Quam nocivum[1] est negligere vocationis suæ propositum, et ad non commissa sensum inclinare.

VI. Memor esto arrepti propositi, et imaginem crucifixi tibi propone.

Bene verecundari potes inspecta vita Jesu Christi, quia necdum magis illi te conformare studuisti, licet diu in via Dei fuisti.

Religiosus qui se intente[2] et devote in sanctissima vita et passione Domini exercet, omnia utilia et necessaria sibi abundanter ibi inveniet. Nec opus est ut extra Jesum aliquid melius quærat.

O, si Jesus crucifixus in cor nostrum veniret, quam cito et sufficienter docti essemus.

Religiosus fervidus bene omnia portat et capit, quæ illi jubentur[3].

VII. Religiosus negligens et tepidus habet tribulationem super tribulationem et ex omni parte patitur angustiam, quia interiori consolatione caret, et exteriorem quærere prohibetur.

Religiosus[4] extra disciplinam vivens[5] gravi patet ruinæ.

Qui laxiora quærit et remissiora, semper in angustiis erit[6], quia unum aut reliquum displicebit sibi.

1. *Quam nocivum* etc. Totam periodum transcripsit S. Bonaventura, in collatione VII.

2. *Religiosus qui se intente*, iterum in collat. VII.

3. Vide capit. LXXI, Ut obedientes sint sibi invicem fratres, ex Regula S. Benedicti, ibi : « Obedientiæ bonum non solum abbati exhibendum est ab omnibus ; sed etiam sibi invicem obediant fratres, scientes per hanc obedientiæ viam iri ad Deum. »

4. « Isti religiosi monachi appellabantur gyrovaghi. » Vide cap. I Regulæ S. Benedicti.

5. « Quod si extra disciplinam estis. » Hebr. XII, 8.

6. A prima periodo *religiosus* qui usque hic legitur in collat. VII S. Bonaventuræ, qui post verba *in angustiis erit* ait : « Et cætera uti patet in devoto libro de Imitatione Domini nostri Iesu Christi. » Videatur Caietanus in præfatione suæ editionis.

VIII. Quomodo faciunt tam multi alii Religiosi[1] qui satis arctati sunt sub disciplina claustrali, rare exeunt, abstracte vivunt, pauperrime comedunt, grosse vestiuntur, multum laborant[2], parum loquuntur, diu vigilant, mature surgunt, et orationes prolongant, frequenter legunt et se in omni disciplina custodiunt.

Attende Cartusienses et Benedictinos, et Cistercienses[3] ac diversæ religionis Monachos et Moniales qualiter omni nocte ad psallendum Deo surgunt[4].

Et ideo turpe esset, ut tu debeas in tam sancto opere[5] dormitare et pigritare[6], ubi tanta multitudo Religiosorum incipit Deo jubilare.

IX. O, si nihil aliud faciendum incumberet, nisi Dominum Deum nostrum toto corde et ore laudare.

O, si nunquam indigeres comedere, nec bibere, nec dormire, sed semper posses Deum laudare, et solummodo spiritualibus studiis vacare, tunc multo

1. *Tam multi religiosi* scripsit Gence, neglecto pronomine *alii*, ut sensum suæ voluntati accommodaret contra textum editionis 1488 et cod. Padolir., Cav. et Bob.

2. Vid. De opere manuum quotidiano, Cap. 48 Regul. S. Bened.

3. *Cartusienses, Cistercienses et diversæ*, etc. Ita in fere omnibus codicibus et editionibus, prætermissis *Benedictinis*, uti clare legitur in nostro codice : nam Gersen erat Maurinus, ut ipse Gence in sua dissertatione anni 1832, mensis januarii, pag. 26, nobis assentitur monasterium S. Stephani de Castro Vercellis fuisse a divo Mauro anno 543 erectum, dum Lutetiam petebat ad Maurinos instituendos. Vid. tom. I, pag. 169, Histor. Vercellensis. Vid. Valgravius in dissertatione. Ex regula Mauriniana, juxta Calmet, horarium officii divini immutatum fuit ideoque noster auctor non immerito *Benedictinos* ad exemplum præbuit, quod etiam constitutiones congregationis S. Mauri, 1646 Parisiis editæ, testantur.

4. « Ut sit propheta, septies in die tibi laudem dixi, quia septenarius sacratus est numerus; et de nocturnis vigiliis ipse propheta ait, Media nocte surgebam ad confitendum tibi. » Cap. XVI Regulæ S. Benedicti.

5. *Ut tu deberes in tam sancto opere pigritare* Gence et alii ediderunt; attamen cod. Bob. et Cavensis nobis adhærent, et in edit. 1608 legitur : *ut tu audeas*.

6. « Non somnolentum, non pigrum. » Cap. IV Reg. S. Benedicti.— « Non dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. » Prov. VI, 4.

felicior esses, quam modo[1] carni ex qualicumque necessitate serviens.

Utinam non essent istæ necessitates, sed solummodo spirituales animæ refectiones, quas heu satis raro degustamus.

x. Quando homo ad hoc pervenit, quod de nulla creatura consolationem quærit[2], tunc ei Deus primo perfecte sapere incipit, tunc etiam bene contentus de omni eventu rerum erit, tunc nec pro magno lætabitur, nec pro modico contristabitur, sed ponit se integre, et fiducialiter in Deo, qui est ei omnia in omnibus[3], cui nihil utique parit[4], nec moritur, sed omnia ei vivunt[5], et ad nutum incunctanter deserviunt[6].

xi. Memento semper finis, et quia perditum non redit tempus, sine sollicitudine, et diligentia nunquam acquires virtutes.

Si incipis tepescere, incipis[7] male habere[8].

Si autem dederis te ad fervorem, invenies magnam pacem, et senties leviorem laborem propter Dei gratiam et virtutis amorem.

Homo fervidus et diligens ad omnia est paratus.

Major labor est resistere vitiis et passionibus[9], quam corporalibus insudare laboribus.

1. *Modo quam carni ex qualicumque necessitate servis.* Ita Gence.

2. *Consolationem suam quærit* in pluribus editt.; sed clarus valde est sensus absque pronomine.

3. « Omnia, et in omnibus Christus. » Coloss. III, 11.

4. *Nihil utique perit nec moritur.* Ita Gence et alii; sed *parit* pro *paritur* adhibuit auctor.

5. « Cum ipse det omnibus vitam. » Act. XVII, 25.

6. « Omnia serviunt tibi. » Psalm. CXVIII, 91.

7. *Incipies male habere* scripsere Gence, Enriquez et alii.

8. « Quia tepidus es.... incipiam te evomere ex ore meo. » Apocalypsis, capite III, 15-16.

9. « Senes sobrii sint, pudici, prudentesque; sani in fide, in dilectione, in patientia. Juvenes similiter sobrii sint. » Paulus ad Titum cap. II, 2. 3.

Qui parvos non devitat[1] defectus, paulatim labitur ad majora[2].

Gaudebis semper de vespere, si diem expendes fructuose.

Vigila semper te ipsum[3] et quidquid de aliis sit non negligas te ipsum.

Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris. Amen[4].

1. *Non vitat defectus, paullatim labitur ad majores*; ita Gence et alii.

2. « Qui spernit modica, paulatim decidet. » Eccl. XIX, 1.

3. *Vigila super te ipsum, excita te ipsum, admone te ipsum* scripserunt Gence et alii : hæc a glossatoribus adjuncta fuisse adparet.

4. Antequam progrediamur ad librum secundum, placeat lectori benevolo nobiscum adnotare, voces *otiosum*, *patiendum*, *renuntiabat*, semper amanuensem scripsisse cum littera *c*, nam in diplomatis sæculi XIII nos legimus *peticionem*, *iudicium*, *senteneiabuntur*, *eciam*, *Marcij*, *paccionibus*, *evidenciam* etc., uti videre est in membranis supra citatis ab anno 1264 ad 1314. Adnotari etiam oportet, libros posteriores Bobiensis codicis aliena manu et recentiori conscriptos fuisse charactere semigothico, nec in illis tam frequentes adsunt variantes lectiones.



CODEX DE-ADVOCATIS

SÆCULI XIII.

Incipit liber de interna conversatione[1].

CAPITULUM PRIMUM.

1. Regnum Dei intra[2] vos est[3], dicit Dominus.

Converte te ex toto corde tuo[4] ad Dominum[5], et relinque hunc miserum mundum, et inveniet anima tua requiem[6].

Disce exteriora contemnere et ad interiora te dare, et videbis regnum Dei intra te venire[7].

Est enim regnum Dei pax et gaudium in Spiritu Sancto[8] quod non datur impiis[9].

Veniet ad te Christus ostendens tibi consolationem suam, si dignam illi ab intus paraveris mansionem.

1. *Liber secundus, admonitiones ad interna trahentes.* En titolus a Gence et aliis inscriptus, et a glossatoribus excogitatus, sed in nostro codice, ut in Cavensi et Bobiensi ac Padoliron., non ita legitur. Insuper advertimus nullam adesse in Ms. istius libri enumerationem.

2. *Intra nos est*, sic in codice Bobiensi.

3. Luc. xvii, 21, ibi : « Ecce enim regnum Dei intra vos est. »

4. *Ex toto corde ad Dominum*; ita Gence, omisso pronomine *tuo*, quod legitur in edit. 1488 et codd. Bobiensi, Padolironis et Cavensi.

5. « Convertimini ad me in toto corde vestro. » Joel. ii, 12.

6. « Et invenietis requiem animabus vestris. » Matth. xi, 29.

7. *Regnum Dei in te venire*; sic Gence et Enriquez.

8. « Est regnum Dei.... pax, et gaudium in spiritu sancto. » Rom. xiv, 17.

9. « Est enim gaudium, quod non datur impiis. » S. Augustin. Confess. lib. x, cap. 22.

Omnis gloria ejus et decor ab intra est[1], et ibi complacet sibi.

Frequens illi visitatio cum homine interno, dulcis sermocinatio, grata consolatio, multa pax, familiaritas stupenda nimis.

II. Eya[2] anima fidelis, præpara huic sponso cor tuum[3], quatenus ad te venire et in te habitare dignetur.

Sic enim dicit: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus[4].

Da ergo Christo locum et cæteris omnibus nega introitum.

Cum Christum habueris, dives es, et sufficit tibi.

Ipse erit provisor tuus, et fidelis procurator in omnibus, ut non sit opus in hominibus sperare.

Homines enim cito mutantur, et deficiunt velociter[5], Christus autem manet in æternum[6], et adstat[7] usque in finem firmiter.

III. Non est magna fiducia ponenda in homine fragili et mortali, etiamsi utilis sit et dilectus, neque tristitia multa capienda ex hoc, si interdum adversetur et contradicat.

1. « Omnis gloria ejus.... ab intus. » Psalm. XLIV, 14.

2. *Eja* in editionibus recentioribus, sed in cod. Bobiensi et Cavensi, in edit. 1488 orthographia temporum dignoscitur et usus litteræ *y*, litterarum *ij*, ut in nostro Ms.

3. « Præparate corda vestra Domino. » 1 Reg. VII, 3.

4. « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » Joan. XIV, 23.

5. « Homo.... fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. » Job. XIV, 1.

6. « Christus manet in æternum. » Joan. XII, 34.

7. *Astat* scripserunt Enriquez, Caietanus, Valgravius, Delfau et editor Paschal 1488. Sed veterem nostram lectionem secuti sunt Gence et Elzev. In edit. 1608 legitur *restat*.

Qui hodie tecum sunt, cras contrariari possunt. Et e converso [1] sæpe ut aura vertuntur [2].

Pone fiduciam [3] tuam totam in Domino [4]; et sit ipse timor tuus, et amor tuus. Ipse pro te respondebit [5], et faciet bene sicut melius fuerit.

Non habes hic manentem civitatem [6], et ubicumque fueris, extraneus es et peregrinus [7], nec requiem aliquando habebis, nisi Christo intime fueris unitus.

IV. Quid hic circumspicis, cum iste non sit locus tuæ requietionis [8]?

In cælestibus debet esse habitatio tua [9] et sicut in transitu cuncta [10] sunt aspicienda.

Transeunt omnia, et tu cum eis pariter [11].

Vide, ut non hæreas [12], ne capiaris, et pereas.

Apud Altissimum sit cogitatio [13] tua [14], et deprecatio tua ad Christum sine intermissione dirigatur [15].

Si nescis alta speculari et cælestia, requiesce in passione Christi, et in sacris vulneribus ejus libenter habita.

1. *Possunt et e converso* Gence et alii, nullo puncto intermedio usi.

2. *Ut aura mutantur;* sic in cod. Bobiensi.

3. « Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo. » Prov. III, 5.

4. *In Deo;* ita Gence et alii. Solæ editiones 1488 et 1608 secutæ sunt nostram lectionem.

5. » Domine.... responde pro me. » Isai. XXXVIII, 14.

6. « Non habemus hic manentem civitatem. » Hebr. XIII, 14.

7. « Advena ego sum, et peregrinus. » Psalm. XXXVIII, 13 et alibi.

8. « Quis locus requietionis meæ est? » Act. VII, 49.

9. « Habitationem nostram, quæ de Cœlo est. » II Cor. V, 2.

10. *Cuncta terrena sunt aspicienda* edidit Gence et cum illo Enriquez et alii, sed inutilis hæc distinctio. « Qui se terrenis humilibusque substernit, illud quod est inferius sibi præfert. » Lactantius in Epitome, cap. 25.

11. « Transierunt omnia illa tanquam umbra.... Sic et nos nati continuo desivimus esse. » Sap. V, 9, 13.

12. *Non inhæreas* edidit Gence; quod idem sonat.

13. Scripserat *cognitio* noster amanuensis, postea correxit, et per puncta errorem adnotavit.

14. « Cogitatio illorum (justorum) apud Altissimum. » Sap. V, 16.

15. « Dirigatur oratio mea.... in conspectu tuo. » Ps. CXL, 2.

Si enim ad vulnera et speciosa stigmata[1] Jesu devote confugis, magnam in tribulatione senties consolationem[2], nec multum curabis hominum despectiones faciliterque verba detrahentium[3] perferes[4].

v. Jesus Christus Dominus fuit etiam in mundo ab hominibus despectus[5], et in maxima necessitate, a notis et amicis inter opprobria derelictus[6].

Dominus Jesus pati voluit[7] et despici, et tu audes de aliquo conqueri?

Christus habuit adversarios et oblocutores, et tu vis omnes habere amicos, et benefactores?

Ubi[8] coronabitur patientia tua, si nihil adversitatis occurrit[9].

Si nihil contrarium vis pati, quomodo eris amicus Christi?

Sustine[10] cum Christo et pro Christo, si vis regnare cum Christo[11].

vi. Si semel perfecte introisses in interiora Jesu, et

1. *Et pretiosa stigmata;* ita Gence et alii; attamen stigmata Jesus magis sunt speciosa et spectabilis.

2. *Confortationem* ediderunt contra auctoris mentem: nam melius cohærere videtur sensus ex *consolationis* quam ex *confortationis* voce.

3. *Verba detrahentia;* ita Gence contra codd. Cavensem, Bobiensem et editiones 1488 et 1688.

«Israelitæ murmurando terram promissionis non intraverunt, monachi murmurando paradisi promissionis terram non ingrediuntur » Ita Fructuosus in Regulam S. Benedicti.

4. *Perferes... Xptus habuit adversarios et oblocutores et tu visomnes habere amicos et benefactores. Unde coronabitur pacientia tua* etc. Duas periodos intermedias postposuit aman. in cod. Bob.

5. « Despectum et novissimum virorum. » Isai. LIII, 3.

6. « Stabant autem omnes noti ejus a longe. » Luc. XXIII, 49.

7. *Christus pati voluit;* ita Gence.

8. *Unde* ait Gence cum aliis.

9. *Occurrerit* ediderunt contra sensum lectionis magis obvium.

10. *Substine te cum Xpto et propter Xptum* in cod. Bob. « Si sustinebimus, et conregnabimus. » 2 Tim. II, 12.

11. In cod. Bobiensi: *Regnare cum Xpto, Xptus etiam fuit in mondo ab hominibus despectus, et in maxima necessitate a notis et amicis inter obpropria derelictus. Xptus pati voluit et despici, et tu audis de amico conqueri : si semel* etc. Quæ quidem lectio melior ac clarior translatione periodorum nobis videtur.

modicum de ardenti amore ejus sapuisses, tunc de proprio commodo, vel incommodo nihil curares, sed magis de opprobrio illato gauderes, quia amor Jesu facit hominem se ipsum contemnere.

Amator Jesu[1] et verus internus, et liber ab affectionibus inordinatis, potest se ad Deum libere convertere, et elevare se supra[2] se ipsum in spiritu ac fruitive quiescere.

VII. Cui sapiunt omnia prout sunt non ut dicuntur, aut æstimantur, hic vere sapiens est[3], et doctus a Deo magis[4], quam ab hominibus.

Qui ab intra scit ambulare et modicum res ab extra ponderare, non requirit loca, nec tempora expectat ad habenda devota exercitia[5].

Homo internus cito se recolligit, et nunquam[6] se totum ad exteriora effundit.

Non illi obest labor exterior, aut occupatio ad tempus necessaria. Sed sicut res eveniunt, sic se illis accommodat.

Qui intus bene dispositus est et ordinatus, non curat mirabiles et perversos hominum gestus.

Tantum homo impeditur, et distrahitur, quantum sibi res attrahit.

1. *Amor Jesu, et veritatis, et verus internus* scripserunt Enriquez, Caietanus, Elzevirius, et Valgravius; sed cum nostra lectione Gence, Delfau et præcipue editiones 1488 et 1608 concordant. Vox *veritatis* glossatoribus subrepsit.

2. *Et elevare supra seipsum;* ita Gence, sed nostra lectio et illa codd. Bob., Padol. et edit. 1488 sunt clariores repetito pronomine.

3. « Est enim sapiens, cui quæque res sapiunt prout sunt. » S. Bernard. Serm. XVIII, de divers. opp. Vol. I, col. 1127.

4. « Doctos a Domino.. » Isai. LIV, 13. — « Et erunt omnes docibiles Dei. » Joan. VI, 45.

5. « Otiositas inimica est animæ, et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, in lectione divina. » Ex cap. XLVIII Regulæ S. Benedicti.

6. *Quia nunquam;* ita Gence et alii, sed particula copolativa magis exprimit auctoris mentem.

VIII. Si recte tibi esses[1], et bene purgatus esses, omnia tibi in bonum cederent, et profectum[2].

Ideo multa tibi sæpe displicent[3] et sæpe conturbant, quia adhuc non es perfecte tibi mortuus, nec segregatus ab omnibus terrenis.

Nihil sic maculat et implicat cor hominis, sicut impurus amor in creaturis[4].

Si renuis consolari[5] exterius, poteris speculari cælestia, et frequenter interius jubilare.

De submissione[6], *Prælati regimine.*

CAPITULUM 2um.

1. Non magni pendas quis pro te vel contra te sit, sed hoc age, et cura, ut Deus tecum sit in omni re quam facis.

Habeas conscientiam bonam, et Deus bene te defensabit.

Quem enim adjuvare voluerit, nullius perversitas nocere poterit.

Si tu scis tacere et pati, videbis proculdubio auxilium Domini[7].

1. *Si recte tibi esset* ediderunt quamplurimi, et ipse Gence cum illis. Solus Cavensis codex nobis arridet.

2. « Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. » Rom. VIII, 28.

3. *Multa tibi displicent* in edit. Genceana, omisso adverbio *sæpe* tam utili hoc in loco.

4. « Castitatem amare » : ita in cap. VI Regulæ S. Benedicti.

5. « Renuit consolari anima mea; memor fui Dei, et delectatus sum. » Psalm. LXXVI, 3, 4.

6. *De humili submissione ;* ita Gence, Elzevirius, Enriquez; adjunxerunt *sub prælati regimine* codd. Padol., Cav., et Bob., Caietanus, Valgravius et editores 1488, 1608, 1694. In Regula S. Benedicti, cap. 2, ibi : « Abbas est qui præesse dignus est monasterio. » Ideoque in charta Philippi primi, de anno 1079, ibi : « Johannem non abbatem sed prælatum appellat. » Vid. lib. 1, cap. 9.

Ex Regula S. Benedicti dignoscuntur in monasterio dignitates et officia sequentia : « 1° Abbas, 2° Præpositus, 3° Cellerarius, 4° Portarius, 5° Priores, 6° Decani, 7° Monachi Sacerdotes vel artifices, 8° Novitii nobiles vel pauperes. »

7. « Tantummodo confidenter state et videbitis auxilium Domini super vos. » 2 Paralip. XX, 17.

Ipse novit tempus, et modum liberandi te, et ideo debes te illi resignare.

Dei est adjuvare[1], et ab omni confusione liberare.

Sæpe valde prodest ad maiorem humilitatem conservandam[2], quod defectus nostros alii sciunt, et redarguunt[3].

II. Quando pro[4] defectibus suis se humiliat, tunc faciliter alios placat, et leviter satisfacit sibi irascentibus.

Humilem Deus protegit[5], et liberat[6]. Humilem diligit[7], et consolatur[8]. Humili homini se inclinat[9]. Humili largitur gratiam[10] plenam et magnam[11]. Et post suam depressionem levat ad gloriam[12].

Humili sua secreta revelat[13], et ad se dulciter trahit, et invitat[14].

Humilis accepta[15] contumelia et confusione satis

1 « Dei quippe est adjuvare. » Libro 2 Paralip. xxv, 8.

2. *Servandam;* ita Gence, Valgravius aliique contra cod. Cav. et editiones 1488 et 1608; sed *reservandam* edidit Caietanus.

3. « Si quis frater contumax, aut inobediens, aut superbus, aut murmurans, si non emendaverit, objurgetur publice coram omnibus. » Capitul. 23 Regulæ S. Benedicti.

4. *Quando homo pro defectibus* scripsit Enriquez et Gence.

5. « Custodiens parvulos Dominus. » Psalm. cxiv, 6.

6. « Humiliatus sum, et liberavit me. » Ibid.

7. « Humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. » Prov. III, 20.

8. « Consolatur (Deus) humiles. » Epist. 2 Cor. VII, 6.

9. « Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu. » Is. LXVI, 2.

10. *Gratiam magnam, et post ejus depressionem* etc; ita Gence, Enriquez, et Valgravius, dum alii scripserunt *gratiam suam.*

11. « Humilibus dat gratiam. » Ep. 1 Petr. v, 5; Jac. IV, 6.

12. « Humiles spiritu salvabit. » Ps. XXXIII, 19.

13. « Abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. » Matth. XI, 25.

14. « Si quis est parvulus, veniat ad me. » Sap. IX, 4. — Sinite parvulos venire ad me et ne prohibueritis eos; talium est regnum Dei. » Marc, X, 14.

15. *Accepta confusione satis;* ita Gence et Elzevirius, dum codices et cæteri editores non distant a nostra lectione.

bene est in pace, quia stat in Deo, et non in mundo [1].

Non reputes te aliquid profecisse, nisi omnibus te inferiorem [2] esse sentias [3].

De bono pacifico homine [4].

CAPITULUM. 3[um].

1. Pone [5] te primus in pace, et tunc alios poteris pacificare.

Homo pacificus plus prodest, quam bene doctus.

Homo passionatus etiam bonum in malum trahit, et faciliter malum credit.

Bonus homo pacificus omnia ad bonum convertit.

Qui bene in pace est, de nullo suspicatur. Qui autem male contentus est, et commotus, variis suspicionibus [6] agitatur, nec ipse quiescit, nec alios quiescere permittit.

Dicit [7] sæpe quod dicere non deberet, et omittit

1. Vid. cap. IV, ex quo noster auctor suam lectionem deprompsit, et cap. VII Regulæ S. Benedicti.

2. « Crede te hominibus omnibus inferiorem esse. » In Vitis Patrum ap. Rosweydum, pag. 531, ed. Antuerp. 1615.

« Ea est prima virtus, humilitas; secunda, humilitas; tertia, humilitas; et quoties interrogares, hoc dicerem... Humilitas omnia, quæcumque bene facimus, et præcesserit, et comitetur, et consecuta fuerit, etc. » S. August. Ep. 118 (al. 56) ad Dioscor. n. 22. Opp. X, 2.

3. « Non velle dici sanctum antequam sit; sed potius esse quod verius dicatur. » Ita ex cap. IV Regulæ S. Benedicti, et ex cap. VII ibidem, De humilitate.

4. Ex cap. IV, « Quæ sint instrumenta bonorum operum, » Regulæ S. Benedicti noster auctor doctrinas suas deprompsit.

5. *Tene te primo in pace et tunc poteris alios pacificare* scripserunt Gence, Enriquez et Elzevirius, ipsi soli contra alios codices et contra editionem 1488.

6. « Iram non perficere. Iracundiæ tempus non reservare. » Cap. 4 Regul. S. Benedicti.

7. « Multum loqui non amare. » Ex cap. IV Regulæ S. Benedicti. — « Ei, qui dilatat labia sua, ne commiscearis. » Proverb. XX, 19.

sæpe quod sibi magis facere expediret[1], et negligit, quod ipse facere tenetur.

Habe ergo primum zelum super te ipsum, tunc zelare poteris etiam juste proximum tuum.

II. Tu bene facta scis excusare, et tolerare[2], et aliorum non vis accipere excusationes.

Justus[3] esses, si te accusares, et fratrem tuum excusares[4].

Si portari vis[5], porta alium[6].

Vide quam longe es adhuc a vera charitate, et humilitate, quæ nulli novit indignari vel irasci, nisi tantum sibi ipsi[7].

Non est magnum cum bonis, et mansuetis conversari. Hoc enim omnibus naturaliter placet, et unusquisque libenter pacem habet, et secum sentientes magis diligit.

Sed cum duris, et perversis aut indisciplinatis aut nobis contrariantibus pacifice posse vivere, magna gratia est, et laudabile nimis virileque factum.

III. Sed sunt[8] qui se ipsos in pace tenent, et cum aliis etiam pacem habent[9].

1. *Expediret. Considerat quod alii facere tenentur et negligit quod ipse teneatur*, ex lectio Genceana ac Elzeviriana; *tenetur* in editione 1488, Delfau, Valgravius. Nobis tamen videntur hæc a glossatore adjecta.

2. *Excusare et colorare* ediderunt Gence et alii contra lectionem cod. Cavensis et edit. 1488.

3. *Justius esset* scripserunt Gence, Elzevirius et alii. Judicet quicumque non ignorat syntaxim latinam. In cod. Cavensi legitur *justum esset ut te accusares*.

4. « Justus prior est accusator sui. » Prov. XVIII, 17.

5. « Supportantes invicem in caritate. » Ephes. IV, 2.

6. *Porta et alium* Gence scripsit contra cod. Cavensis lectionem.

7. *Nisi tantum sibi;* Ita Gence, Enriquez et Elzevirius; attamen alii editores 1488 et 1608 nobis congruunt.

8. *Sunt qui* ediderunt Gence, Enriquez et Elzevirius, omissa conjunctione, dum Caietanus, Valgravius, codices Cavensis, Bobiensis et editores 1488, 1608 et 1697, non dissonant a nostra lectione.

9. « Idem sapite: pacem habete, et Deus erit vobiscum. » II Cor. XIII, 11.

Et sunt qui nec pacem habent, nec alios in pace dimittunt. Aliis sunt graves, sed sibi sunt semper graviores [1].

Et sunt qui se ipsos in pace retinent [2], et ad pacem alios reducere student.

Et tamen tota pax nostra in hac misera vita potius in humili sufferentia ponenda est, quam in non sentiendo contraria [3].

Qui melius scit pati [4], pacem tenebit majorem. Iste est victor sui, et dominus mundi, amicus Christi, et hæres cæli.

De pura mente et simplici intentione.

CAPITULUM 4um.

1. Duabus alis homo sublevatur a terrenis, scilicet simplicitate et puritate [5].

Simplicitas debet esse in intentione, puritas in affectione. Simplicitas intendit deum, puritas apprehendit et gustat [6].

Nulla actio [7] te impediet, si liber intus ab omni inordinato affectu fueris [8].

1. *Dimittunt; aliis sunt graves, sed sibi semper graviores* scripsit Gence, omisso verbo, quod legitur in edit. 1488 et 1608.

2. « Inquire pacem et persequere eam. » Ps. XXXIII, 15. — « Inquirat pacem et sequatur eam. » I Petr. III, 11.

3. « In patientia vestra possidebitis animas vestras. » Luc. XXI, 19.

4. « Persecutiones pro justitia sustinere. » Ex cap. IV Regulæ S. Benedicti.

5. » Puritatis, et alacritatis pariter alis fit ille volatus. » S. Bernard. de Consid. lib. V, cap. 2, num. 3.

6. « Inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam. » Cant. III, 4.

7. *Nulla bona actio* fere in omnibus editionibus, ut in Bob. codice; attamen existimamus adjectivum inutile esse hoc loco : nam si homo liber ab omni inordinato affectu est, actio erit certe bona.

8. » Nec faciunt bonos, vel malos mores, nisi boni, vel mali amores. » S. August. Ep. 155 (al. 52) ad Maced. n. 13; Opp. tom. 2.

Si nihil aliud quam Dei beneplacitum, et proximi utilitatem intendis et quæris, interna libertate frueris[1].

Si rectum cor tuum esset[2], tunc omnis creatura speculum vitæ, et liber sanctæ doctrinæ esset[3].

Non est creatura tam parva et vilis quæ bonitatem Dei non repræsentet[4].

II. Si tu esses intus bonus, et purus, tunc omnia sine impedimento[5], et caperes bene. Cor purum penetrat cælum, et infernum.

Qualis unusquisque est intus[6], taliter judicat exterius.

Si est gaudium in mundo, hoc utique possidet cordis puri homo.

Et si est alicubi tribulatio et angustia, hoc melius novit mala conscientia.

Sicut ferrum missum in ignem amittit rubiginem et totum candens efficitur, sic homo ad Deum integre se convertens, a torpore[7] exuitur, et in novum hominem transmutatur.

III. Quando homo incipit tepescere, tunc parvum metuit laborem[8], et externam accipit consolationem.

Sed quando perfecte incipit se vincere, et viri-

1. *Perfrueris* soli Gence et Elzevirius ediderunt.

2. *Esset tibi* edidit Gence, cui accedunt Delfau et edit. 1608; sed edit. 1488, Elzevirius, Enriquez, Valgravius et Caietanus nobis concordant, uti et ipsi codices Thomæus, Cavensis, Bobiensis et Padolironis.

3. Dicebat S. Antonius abbas: « Meus Codex natura rerum est creatarum. » De Vitis PP. lib. 6, n. 16, edit. Rosweydi.

4. « Opera Domini universa bona valde. » Eccl. XXXIX, 21.

5. *Impedimento videres:* Ita Gence, Elzevirius et alii. Censemus agi hoc loco de intelligentia rerum divinarum, non de visione materiali.

6. In nonnullis codicibus *Natus est*, quod Gence ipse damnat.

7. Exuere se a torpore idem est ac se liberare; ideo eos Gence objurgat qui scripserunt *corpore exuitur*, quippe quæ sensui auctoris contradicunt.

8. *Parum metuit laborem et libenter.* Hoc adverbium legitur in edit. Genceana et aliis.

liter in via Dei ambulare, tunc minus ea reputat, quæ sibi prius gravia esse sentiebat[1].

De propria consideratione.

CAPITULUM 5um.

I. Non possumus nobis ipsis nimis credere, quia sæpe gratia nobis deest[2], modicum lumen est in nobis[3], et hoc cito per negligentiam amittimus.

Sæpe etiam non advertimus, quod tam cæci intus sumus.

Sæpe male agimus, et pejus excusamus[4].

Et passione interdum movemur, et zelum putamus[5].

Parva in aliis reprehendimus, et nostra majora pertransimus[6].

Satis cito persentimus[7] et ponderamus quid ab aliis sustinemus; sed quantum alii de nobis sustinent, non advertimus.

Qui bene et recte sua ponderaret, non esset quid de alio graviter judicaret.

II. Internus homo sui ipsius curam omnibus curis anteponit : et qui sibi ipsi diligenter intendit, faciliter de aliis tacet.

1. *Gravia esse sentiebat et tediosa.* Sic legitur in cod. Bobiensi.

2. *Deest et sensus. Modicum lumen*; Ita Gence, Enriquez et alii; putamus omnia deesse cum divina gratia caremus. Deinde hoc loco sensus est indivisus uti in nostro codice.

3. « Adhuc modicum lumen in vobis est. » Joan. XII, 35.

4. « Ut in monasterio non præsumat alter alterum defendere. » Cap. 69 Regulæ S. Benedicti.

5. « Sunt viæ quæ videntur rectæ, quarum finis usque ad profundum inferni demergit. » Cap. 7 Regulæ S. Benedicti.

6. « Vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? » Matth. VII, 3.

7. *Sentimus* scripsit Gence.

Nunquam eris internus et devotus, nisi de aliis[1] silueris et ad te ipsum specialiter respexeris.

Si tibi ipsi et Deo[2] totaliter intendis, modicum te movebit, quod foris percipis.

Ubi es, quando tibi ipsi præsens non es?

Et quando omnia percurristi, quid te neglecto profecisti?

Si debes habere pacem et unionem veram, oportet, quod totum adhuc postponas[3] et te solum præ oculis habeas.

III. Multum proinde proficies, si te feriatum ab omni temporali cura conserves.

Valde deficies, si aliquid temporale reputaveris.

Nihil altum, nihil magnum, nihil gratum, nihil acceptum tibi sit, nisi pure Deus, aut de Deo sit.

Totum vanum exstima[4], quidquid consolationis occurrit de aliqua creatura.

Amans Deum anima sub Deo contemnit, despicit universa[5].

Solus Deus æternus[6] et immensus[7], implens omnia[8], solatium[9] est animæ[10] et vera mentis lætitia[11].

1. *De alienis.* Ita Gence, Enriquez, Elzevirius, Valgravius, Caietanus et alii. Solus cod. Padul. et Delfau nobis congruunt.

2. *Si tibi et Deo* in pluribus editionibus.

3. *Totum ad terga postponas* scripsit Gence, dissentiens a cod. Bob. et aliorum recta lectione. *Totum mundum* in edit. Lugdunensi 1608 legimus.

4. *Æstimare* pro *existimare*. Utrumque verbum pro varia ejusdem ratione ac sensu locum habere hic potest; attamen codd. Bobiensis et Cav. concordant cum nostro Ms.

5. *Sub Deo despicit universa.* Ita Gence et alii, attamen verbum contemnere non est synonymum alterius hoc in loco, et opportune fuit adhibitum.

6. « Ante me non est formatus Deus, et post me non erit. » Isai. capite XLIII, 10.

7. « Cœlum, et cœli cœlorum capere eum nequeunt. » Paralipom. secundus, II, 6.

8. « Cœlum, et terram ego impleo. » Jer. XXIII, 24.

9. *Solatium animæ et vera cordis lætitia*; sic Gence et alii.

10. « Deus totius consolationis. » 2 Pauli ad Cor., I, 3.

11. « Benefaciens de cælo.... implens cibo et lætitia corda nostra. » Act. XIV, 16.

De lætitia bonæ conscientiæ.

CAPITULUM 6um.

1. Gloria bonis hominibus [1] testimonium bonæ conscientiæ [2].

Habe bonam conscientiam et semper habebis [3] lætitiam [4].

Bona conscientia valde multa potest portare, et valde læta est inter adversa [5].

Mala conscientia semper timida, et inquieta.

Suaviter requiesces [6], si te cor tuum non reprehenderit [7].

Noli lætari, nisi cum benefeceris [8].

Mali nunquam habent veram lætitiam, nec internam sentiunt pacem, quia non est pax impiis, dicit Dominus [9].

Et si dixerint: in pace sumus, non venient super nos mala; et quis nobis nocere audebit? non credas eis, quoniam repente exsurget ira Dei, et in nihilum redigentur actus eorum, et cogitationes eorum peribunt [10].

1. *Boni hominis* Gence et alii; nobis arridet numerus pluralis.

2. « Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. » 2 Pauli ad Cor. I, 12.

3. « Rectis corde lætitia. » Psalm. XCVI, 11.

4. *Leticiam* in Ms., frequens probatio orthographiæ sæculi XIII, in quo ob corruptelam linguæ latinæ littera C adhibebatur pro littera T, uti jam diximus.

5. « Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. » 2 Cor. VII, 4.

6. « Quiesces, et suavis erit somnus tuus. » Proverb. III, 24.

7. « Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. » 1 Joan. III, 21.

8. In libro Proverb. II, 14, loquens de impiis : « Lætantur cum male fecerint. »

9. Isai. XLVIII, 22; et LVII, 21, ibi : « Non est pax impiis, dixit Dominus. »

10. « Cum dixerint : pax et securitas; tunc repentinus eis superveniet interitus. » 1 Thess. V, 3. — « Quoniam repente consurget perditio eorum. » Prov. XXIV, 22; XXIX, 1. — « Peribunt omnes cogitationes eorum. » Psalm. CXLV, 4.

II. Gloriari[1] in tribulationibus[2] non est grave amanti, Sic enim gloriari est in cruce Domini gloriari[3].

Brevis gloria quæ ab hominibus datur et accipitur.

Mundi[4] gloriam semper comitatur tristitia.

Bonorum gloria in conscientiis eorum, et non in ore hominum[5].

Justorum lætitia de Deo et in Deo est, et gaudium eorum de veritate[6].

Qui veram et æternam gloriam desiderat, temporalem non curat.

Et qui temporalem quærit[7] gloriam, aut non ex animo contemnit, minus amare convincitur cælestem.

Magnam habet cordis tranquillitatem, qui nec laudes curat, nec vituperia.

III. Facile erit contentus et pacatus, cujus conscientia munda est.

Non es sanctior, si laudaris, nec vilior, si vituperaris.

Quod es hoc es, nec melior[8] dici vales, quam Deo teste sis, si attendis quid apud te sis intus, non curabis quid de te loquantur homines foris[9].

1. *Gloriari in tribulatione* scripserunt multi, sed nobis videtur melius in genere plurali, uti Enriquez in sua Italica versione.

2. « Gloriamur in tribulationibus. » Ita Paulus ad Rom. v, 3.

3. « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. » Gal. vi, 14.

4. Constans est corruptio linguæ latinæ in codd. Bob. et Cav. : nam vulgus sæculo XIII pronunciabat *mondo* pro *mundo*.

5. « Hi gloriam suam non in ore hominum ponunt, sed intra conscientiam contegunt. » S. Gregorius Pap. Homilia 12 in Evangelia.

6. « Congaudet veritati. » 1 Pauli ad Cor. XIII, 6.

7. *Requirit* Gence, Enriquez et Elzevirius, sed cæteri editores nobiscum concordant.

8. *Major dici vales quam Deo teste sis. Si attendis* etc.; ita in editione Genceana contra lectionem cod. Cav. et Bobiensis.

9. *Loquantur homines*, omisso vocabulo *foris*, id est, extra monasterium, uti in Regula S. Bened., atque in codicibus Aronensi, Cavensi, Bobiensi legitur, et in ipsa Lugdunensi editione 1608.

Homo videt in facie, Deus autem in corde[1].

Homo considerat actus, Deus pensat intentionem[2].

Bene semper agere, et modicum de se tenere humilis animæ indicium est.

Nolle consolari[3] ab aliqua creatura magnæ puritatis, et internæ fiduciæ indicium[4] est.

IV. Qui nullum extrinsecus pro se testimonium quærit, liquet quod Deo se totaliter commisit.

Non enim, qui se ipsum commendat, ille probatus est, ait beatus Paulus, sed quem Deus[5] commendat[6].

Ambulare cum Deo[7] intus, nec aliqua affectione teneri foris, status est interni hominis.

De amore Jesu super[8] omnia.

CAPITULUM 7um.

I. Beatus qui intelligit quid sit amare Jesum, et contemnere se ipsum propter Deum[9].

Oportet dilectum propter dilectum[10] relin-

1. « Homo videt ea quæ parent; Dominus autem intuetur cor. » 1 Reg. XVI, 7. — « Aliter vident homines, aliter Deus: homines in facie, Deus in corde. » S. Ambros. lib. 1 in Luc.

2. *Deus vero pensat intentiones*; ita Gence, Enriquez et alii; attamen codd. Cav., Padolir. et Bobiens., edit. 1608 nobis assentiunt.

3. Hæc periodus non legitur in codd. Cav. et Bobiens., sed tantum in Allat. et Padolir. codd.

4. *Fiduciæ signum* ediderunt Gence, Valgravius et Elzevirios, sed Caietanus et editores 1488 et 1608 non distant a nostra lectione.

5. Vide epistolam 2 Cor. x, 18.

6. « Septimus humilitatis gradus est, si omnibus se inferiorem et viliorem credat. » Ex Regula S. Benedicti, cap. VII.

7. « Sollicitum ambulare cum Deo tuo. » Mich. VI, 8. — « Ambulavitque cum Deo. » Gen. V, 22, 24, etc.

8. Ex Regula S. Benedicti, cap. IV ibi: « In primis Dominum Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, tota virtute. »

9. *Propter Jesum*; ita Gence, quæ repetitio inelegans est hoc loco.

10. *Pro dilecto*; ita Gence, Elzevirius et alii; attamen Delfau rectam secutus est dictionem, quæ cod. Allatiano cohæret.

quere, quia Jesus vult solus super omnia amari[1].

Dilectio creaturæ fallax et instabilis, dilectio Jesu felix et perseverabilis[2].

Qui adhæret creaturæ, cadet cum labili, qui amplectitur Jesum, firmabitur[3] in Eum.

Illum dilige, et amicum tene tibi, qui omnibus recedentibus te non relinquet, nec patietur in fine perire.

Ab omnibus oportet aliquando te separari, sive velis, sive nolis.

II. Tene[4] te apud Jesum vivens et moriens et illius fidelitati te committe, qui omnibus deficientibus solus potest te adjuvare.

Dilectus tuus talis est naturæ, ut alienum non velit admittere, sed solus vult cor tuum habere, et tanquam rex in proprio throno sedere.

Si scires te[5] ab omni creatura evacuare, Jesus[6] libenter tecum habitaret.

Pene totum perditum invenies, quidquid extra Jesum in hominibus posueris.

Non confidas, nec innitaris super calamum ventosum[7], quia omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus ut flos fœni cadet[8].

1. « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. » Matth. XXII, 37; Deut. VI, 5.

2. *Fidelis et perseverabilis* scripsère Gence, Enriquez, Elzevirius, Caietanus aliique; diversa hic conspicitur allusio; in cod. Bob. legimus *stabilis*.

3. *Firmabitur in ævum* in fere omnibus lectionibus, excepta illa 1488 et cod. Bob. Ecclesiast. XV, 3, ait: « Firmabitur in illo et non flectetur. »

4. *Teneas te* scripsere Gence et alii; solus cod. Cavensis non dissidet a nostro Ms.

5. *Si scires te bene ab omni creatura evacuare, Jesus deberet libenter tecum habitare*, ita Gence, Enriquez et alii: ad quid adverbium *bene*? id non legimus in cod. Cav. Dein quænam est obligatio Jesu? Ideoque Delfau scripsit *velletbabitare*, at editor 1608 non differt a nobis.

6. *Jesus vellet libenter* in cod. Allatiano; *Jesus debet* in cod. Padol.

7. « Confidis super baculum arundineum. » Isai. XXXVI, 6. — « Arundinem vento agitatam. » Matth. XI, 7.

8. « Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus, quasi flos agri: exsieca-

III. Cito deciperis[1], si ad externam hominum apparentiam tantum aspexeris.

Si autem[2] tuum in aliis quæris solatium, et lucrum, sæpe senties detrimentum.

Si quæris in omnibus Jesum, invenies utique Jesum.

Si autem quæris te ipsum, invenies etiam te ipsum, sed ad tuam perniciem[3].

Plus enim homo nocivior est sibi[4], si Jesum non quærit, quam totus mundus, et omnes sui adversarii.

De familiari amicitia Jesu.

CAPITULUM 8um.

I. Quando Jesus adest, totum bonum est, nec quicquam difficile videtur[5].

Quando vero Jesus non adest, totum durum est.

Quando Jesus intus non loquitur, consolatio vilis est.

Si autem Jesus unum verbum loquitur tantum, magna consolatio sentitur[6].

Nonne ne Maria[7] Magdalena statim surrexit de

tum est fœnum, et cecidit flos. » Isai. XL, 6, 7, et alibi.

1. *Cito decipieris* Gence, Enriquez, Elzevirius, Caietanus et alii: in cod. Bobiensi correctio alterius manus ostenditur.

2. *Si enim* scripserunt Gence et alii; nobis placet, juxta codicem Cavensem, nostra lectio, quia *autem* et *enim* non sunt synonyma hoc præsertim io loco.

3. *Pernitiem* in Ms.: littera T adhibita pro C est argomentum validissimum circa codicis antiquitatem.

4. *Nocivior sibi*; ita Gence, omisso verbo substantivo, quod in codd. Cav. et Bob. legitur.

5. « Primum instrumentum bonorum operum est Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute. » Vid. Reg. S. Bened. cap. IV.

6. « Anima mea liquefacta est, ut (dilectus meus) locutus est. » Cant. V, 6.

7. *Nonne Maria*; ita Gence et alii. Vid. Joan. XI, 29. — Non agitur hic de Magdalena peccatrice. N. A.

loco[1], in quo flevit, quando Martha illi dixit, Magister adest et vocat te[2]?

Felix hora quando Jesus vocat[3] te de lacrymis ad gaudium spiritus.

Quam aridus et durus es sine Jesu[4]. Quam insipiens et vanus, si cupis[5] aliquid extra Jesum.

Nonne hoc est majus damnum, quam si totum perderes mundum?

II. Quid habet mundus[6] conferre sine Jesu?

Esse sine Jesu est gravis infernus, et esse cum Jesu dulcis paradisus.

Si fuerit tecum Jesus, nullus poterit nocere inimicus.

Qui invenit Jesum, invenit thesaurum bonum[7], immo bonum super omne bonum.

Et qui[8] perdidit Jesum, perdidit nimis multum et plus quam totum mundum.

[9]Pauperrimus est[10] qui vivit sine Jesu, ditissimus est qui bene est cum Jesu[11].

III. Magna ars est scire conversari cum Jesu, et scire Jesum tenere, magna prudentia.

1. *De lecto* scripserat noster amanuensis, tum inconsulto correxit : In lectulo olim assidebant mensæ.

2. Joan. XI, 28 : « Martha abiit et vocavit Mariam sororem suam. »

3. *Jesus vocat de lacrymis* in pluribus editionibus. Sed illa 1608 concordat cum nostro codice.

4. *Sine Yhesu esse, sine Yhesu gravis est infernus, et esse cum Yhesu dulcis paradisus. Quam insipiens* etc. Hæc in cod. Bobiensi inverso sensu fuerunt conscripta.

5. *Si queris aliquid* legimus in cod. Cavensi.

6. *Quid potest tibi mundus* Gence et alii, codice Cavensi excepto.

7. « Qui invenit illum, invenit thesaurum. » Eccl. VI, 14.

8. *Et qui perdit Jesum perdit nimis multum*; ita Gence et alii.

9. Hæc periodus deest in codice Allatiano.

10. *Pauperrimus est qui vivit sine Jesu, et ditissimus qui*; ita Gence, Elzevirius et alii.

11. *Cum Yhesu. O, bone Yhesu, quam bonus et suavis es Yhesu, sed istis temporibus paucis congruitur. Quum pauci qui te in veritate querant vel te vere desiderant. Magna res est scire* etc. Hæc in cod. Bobiensi.

Esto humilis et pacificus, et erit tecum Jesus.

Sis devotus et quietus, et permanebit[1] tecum Jesus.

Potes cito fugare Jesum, et gratiam ejus perdere, si volueris ad exteriora declinare.

Et si illum effugaveris et perdideris, ad quem tunc[2] fugies[3], et quem tunc quæres amicum?

Sine amico non potes diu[4] vivere[5]. Et si Jesus non fuerit tibi præ omnibus amicus, eris nimis tristis, et desolatus.

Fatue igitur agis, si in aliquò altero confidis et lætaris[6].

Eligendum est magis habere totum mundum contrarium, quam Jesum offensum.

Ex omnibus ergo charis sit Jesus[7] dilectus specialis.

IV. Diligantur[8] homines propter Jesum, Jesus autem propter se ipsum.

Solus Jesus Christus singulariter est amandus, qui bonus solus et fidelis invenitur præ omnibus amicis.

Propter ipsum et in ipso tam amici quam ini-

1. *Et manebit*; ita Gence, addens in nota esse hanc sententiam repetitionem præcedentis, quod nobis non ita videtur, si verbum *permaneo* lectioni adjiciatur, uti in codd. Bob., Cavensi, et in editione 1488.

2. *Ad quem fugies*, absque adverbio, scripsit Gence; non ita edit. 1488.

3. « Domine, ad quem ibimus? » Joan. VI, 69.

4. *Bene vivere*; ita Gence contra codd. Bob. et Cav., edit. 1488 et 1608.

5. « Væ soli, quia, cum ceciderit, non habet sublevantem se. » Ecclesiasta, IV, 10.

6. *Confidis aut* Gence et Elzevirina; cœteri concordant cum nostra lectione et præcipue editio 1488.

7. *Jesus solus*. Gence animadvertit quod in codicibus Cavensi et Mantuano non exstat *solus*, itemque in cod. Bob. et in edit. 1608 et 1488.

8. *Diligantur omnes*; ita Gence, Enriquez et alii, ut ex Matth. cap. XIX, 19, legimus « dilige proximum tuum sicut te ipsum. »

mici tibi sint chari et pro omnibus his exorandus est, ut omnes ipsum cognoscant et diligant[1].

Nunquam cupias singulariter laudari[2] et amari, quia hoc solius Dei est, qui similem sibi[3] non habet[4].

Nec velis quod aliquis in corde tuo tecum occupetur, neque tu cum alicujus occuperis amore. Sed sit Jesus in te, et in omni bono homine.

v. Esto purus, et liber intus, sine alicujus creaturæ implicamento.

Oportet te esse nudum, et purum cor ad Jesum gerere, si vis vacare, et videre, quam suavis[5] est Dominus[6].

Et revera ad hoc non pervenies, nisi gratia ejus fueris præventus, et introtractus[7], ut omnibus evacuatis et licentiatis, solus cum Deo uniaris.

Quando enim gratia Dei venit ad hominem, tunc potens fit ad omnia[8].

Et quandò recedit, tunc pauper et infirmus erit, et quasi tantum ad flagella relictus.

In his non debes dejici[9], nec desperare, sed ad

1. « Inimicos diligere, maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere. » Cap. IV Regol. S. Benedicti.

2. *Laudari vel amari*; ita Genee et alii, sed particula conjunctiva legitor io cod. Cavensi et in edit. 1488.

3. « Non est similis tui, Domine. » Jer. x, 6; Ps. xxxiv, 10, et alibi.

4. « Bonum aliquod in se cum viderit, Deo applicet, non sibi, » in capit. IV Regulæ S. Benedicti.

5. *Quam suave sit* pro *est* scripsit Genee, Enriquez et alii; solæ eddit. 1608, 1488, et codd. Bab. ac Cav. conveniunt cum nostro Ms.

6. « Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus. » Ps. xxxiii, 9.

7. *Intractus, ut omnibus evacuatis et licentiatis, solus cum solo uniaris*; ita Gence, Elzevirius, Valgravius et Caietanus. Legitor *tractus* in edit. 1608; *attractus* ap. Delfau et edit. 1697; *vi tractus* in cod. Bobiensi; *intra-tractus* in editione 1488; sed omnes *sola pro Deo* ediderunt, cod. Cav. excepto. Quænam sit melior lectio judicent alii.

8. « Omnia possum in eo, qui me confortat. » Phil. IV, 13.

9. *Non debet deici* scripserunt Enriquez, Elzevir. et editor 1697. Nobis

voluntatem Dei æquanimiter stare, et cuncta supervenientia tibi ad laudem Jesu Christi perpeti. Quia post hiemem sequitur æstas, post noctem redit dies, et post tempestatem [1] serenitas magna [2].

De carentia omnis solatii.

CAPITULUM 9um.

I. Non est grave humanum contemnere solatium, cum adest divinum.

Magnum est, et valde magnum, tam humano quam divino posse carere solatio et pro amore [3] Dei libenter exilium cordis velle sustinere et in nullo se ipsum quærere, nec ad proprium meritum respicere.

Quid magis es [4], si hilaris sis, et devotus adveniente gratia? Optabilis cunctis hæc hora.

Satis suaviter equitat quem gratia Dei portat [5].

Et quid mirum si onus non sentit, qui portatur ab Omnipotente, et ducitur a summo Ductore?

II. Libenter aliquid habemus pro solatio, et homo difficulter exuitur a se ipso.

Vicit sanctus [6] Laurentius sæculum, cum Summo Sacerdote [7], quia omne, quod in mundo delectabile

concordant Caietanus, Delfau, Valgravius, editores 1488 et 1608, et Ipse Gence animadvertens magistrum loqui secunda persona.

1. « Post tempestatem tranquillum facis. » Tob. III, 22.

2. Italicum vetus proverbium, ut spe futuri consoletur infelix.

3. *Et pro honore Dei* ediderunt Gence, Enriquez, Elzevirius, Valgravius et alii.

4. *Magni est;* ita Gence, Enriquez aliique, sed nostra lectio magis respondet codici originali et cum cod. Bobiensi concordat.

5. Proverbium italicum vetus; glossatur Gersonius, in suis Dialogicis, adjecit, *et satis secure natat, cui Deus caput gestat.*

6. *Sanctus martyr;* ita Gence, Enriquez, Elzevirius aliique; at nemo ignorat Laurentium fuisse *martyrem.*

7. « Ipse (Laurentius) mundum cum Summo pariter Sacerdote vincebat. » S. Maximus Vercellensis, Homil. I de S. Laurent.

videbatur despexit, et Dei Summum[1] Sacerdotem Sixtum, quem maxime diligebat, pro amore Christi etiam a se tolli clementer ferebat.

Amore igitur Creatoris amorem hominis superavit, et pro humano solatio divinum beneplacitum magis elegit.

Ita et tu aliquem necessarium, et dilectum amicum pro amore Dei disce relinquere[2]. Nec graviter feras cum ab amico fueris derelictus, sciens quoniam oportet nos omnes tandem ab invicem separari.

III. Multum et diu oportet hominem in se ipso certare, antequam discat se ipsum plene superare, et totum affectum suum plene in Deum trahere[3].

Quando homo stat super se ipsum, facile labitur ad consolationes humanas.

Sed verus Christi amator, et studiosus sectator virtutum non cadit super illas consolationes[4], nec quærit tales sensibiles dulcedines. Sed magis fortes[5] tentationes et exercitationes, et pro Christo duros sustinere labores.

IV. Cum igitur spiritualis consolatio a Deo datur, cum gratiarum actione accipe[6] eam et Dei munus intellige esse, et non tuum meritum et noli[7] extolli.

1. *Summi Dei sacerdotem* scripsit solus Gence; non alienum erat advertere loqui auctorem de S. Sixto I summo pontifice, qui anno 116 vixit, sub Adriano imperatore.

2. « Nihil amore Christi præponere. » Ita in capitul. IV Regulæ S. Benedicti.

3. *Affectum suum in Deum trahere*; ita Gence et alii, sed codd. Bob., Cavens., Caietanus, eddit. 1488, 1608 et 1697, Valgravius et Delfau nobis plene concordant.

4. *Super consolationes* Gence, Elzevirius, omisso pronomine quod refertur ad *consolationes humanas*, uti in codd. Cav. et Bobiens. et in edit. 1608, 1488.

5. *Fortes exercitationes* edidit Gence. « Proprium erat anachoretarum, id est eremitarum, sustinere contra diabolum tentationes. » Ita ex cap. I Regulæ S. Benedicti.

6. *Eam sed Dei munus* scripsit Gence.

7. *Meritum. Noli extolli, noli nimium* etc, in pluribus editionibus; ita varia interpunctione sensus immutatur. Sed codd. Cav., Bob. et edit. 1488 concordant cum nostro Ms.

Noli nimium gaudere nec inaniter præsumere, sed esto magis humilior ex dono, cautior quoque et timoratior in cunctis actibus tuis, quoniam transibit hora illa, et sequetur tentatio.

Cum ablata fuerit consolatio, non statim desperes, sed cum humilitate, et patientia exspecta cælestem visitationem [1], quia potens est Deus ampliorem tibi redonare [2] gratiam et consolationem.

Istud non est novum, nec alienum viam Dei expertis, quia in magnis sanctis, et in antiquis prophetis fuit sæpe [3] alternationis modus.

v. Unde quidam præsente jam gratia dicebat : Ego dixi in abundantia mea non movebor in æternum [4].

Absente [5] autem gratia quid in se fuerit expertus, adjungit dicens : Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus [6].

Inter hæc tamen nequaquam desperat, sed instantius Dominum rogat, et dicit : Ad te, Domine, clamabo, et ad Deum meum deprecabor [7].

Denique orationis suæ fructum reportat, et se exauditum testatur dicens : Audivit Dominus et misertus est mei, Dominus factus est adjutor meus [8].

Sed in quo? Convertisti, inquit, planctum meum in gaudium mihi, et circumdedisti me lætitia [9].

1. « In humilitate tua patientiam habe. » Eccl. II, 4. — « Expectemus humiles consolationem ejus. » Judith. cap. VIII, 20.

2. *Redonare consolationem* in edd. Geuceana et Elzeviriana, sed cæteræ editt. et codd. Bob., Cav. totidem verbis nobis conveniunt.

3. *Sæpe talis alternationis* Gence et alii, sed inutiliter.

4. Psalm. XXIX, 7, ibi : « Ego autem dixi in abundantia etc. »

5. *Abscente* in Ms. est orthographiæ ital., et corruptæ linguæ latinæ exemplum ; nam *abscente* atque *ascente* est vulgare sæculi XIII. Ita in edit. 1488, et in cod. Bobiensi.

6. Ps. XXIX, 8. « Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Avertisti etc. »

7. Ibid. 9. « Ad te, Domine, clamabo et ad deum meum deprecabor. »

8. Ibid. 11. « Audivit Dominus etc. »

9. Ibid. 12. « Convertisti planctum

Et si sic[1] actum est cum magnis Sanctis, non est desperandum nobis infirmis et pauperibus, si interdum in frigiditate, et interdum in fervore sumus. Quoniam spiritus venit, et recedit, secundum suæ voluntatis beneplacitum[2]. Unde beatus Job ait: Visitas eum diluculo, et subito probas illum[3].

VI. Super quid igitur sperare possum, aut in quo confidere debeo, nisi in sola magna misericordia Domini[4], et in sola spe gratiæ cælestis[5]?

Sive enim adsint homines boni sive devoti fratres[6], et amici fideles, sive libri sancti, vel tractatus pulchri, sive[7] dulces cantus et hymni, omnia hæc modicum juvant, et modicum sapiunt, quando sum desertus a gratia, et in propria paupertate relictus.

Tunc non est melius[8] remedium quam patientia, et abnegatio mei in voluntate Dei.

VII. Nunquam inveni aliquem[9] Religiosum, qui non habuerit interdum gratiæ subtractionem, aut non senserit fervoris diminutionem.

meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.» Vid. S. Bern. Serm. 21 in Cant. num. 4 et seqq.

1. *Si sic actum est*; ita Gence, Enriquez et Elzevirius; cæteri editores et codd. Bob. et Cav. adjecerunt particulam *Et*, perutilem hoc loco ut clarior sensus evadat.

2. «Spiritus, ubi vult, spirat.» Evang. Joan. III, 8.

3. Job. VII, 18, ibi: «Visitas eum diluculo, et subito probas illum.»

4. «Speravi in misericordia Dei in æternum.» Psalm. LI, 10, et alibi.

5. «Sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam.» 1 Petr. I, 13. — «In sola spe gratiæ cœlestis innititur.» Ex oratione prima Missæ Dominicæ quinti post Epiphaniam.

6. *Fratres vel amici*; ita Gence, Enriquez, Elzevirius; omnes aliæ editiones nobis concordant.

7. *Sive dulcis cantus* Gence, Elzevirius, Valgravius, Caietanus et alii; sola editio 1608 et Valart nobis consonant, uti adnotat ipse Gence, qui cantus psalmorum cum hymnorum cantu permiscuit, contra cap. VIII et XVII Regulæ S. Benedicti.

8. *Meglius*, ita in nostro codice a vulgari *meglio*, *megliore*, corruptæ latinæ linguæ argumentum.

9. *Aliquem tam religiosum et devotum qui*; ita Gence, Elzevirius et Enriquez; sed Caietanus, Delfau, Valgravius, codd. Bob., Cav., et edit. 1488, 1608 accedunt nostræ lectioni.

Nullus Sanctus fuit tam alte raptus [1], vel illuminatus, qui prius vel postea non fuerit tentatus [2].

Non enim alta Dei contemplatione dignus est, qui pro Deo non est exercitatus aliqua tribulatione.

Solet enim sequentis consolationis [3] tribulatio præcedens esse signum. Nam tentationibus probatis cælestis promittitur consolatio.

Qui vicerit, inquit, dabo ei edere de ligno vitæ [4].

VIII. Datur etiam consolatio [5] divina, ut homo fortior sit ad sustinendum adversa.

Sequitur etiam tentatio, ne se elevet de bono.

Non dormit diabolus, nec caro adhuc mortua est.

Ideo non cesses te præparare ad certamen, quia a dextris et a sinistris sunt hostes qui nunquam quiescunt.

De gratitudine pro gratia Dei.

CAPITULUM 10um.

I. Quid quæris [6] quietem, cum natus sis [7] ad laborem [8], ad patientiam [9] magis quam ad consolatio-

1. *Raptus et illuminatus* scripsit Gence et alii, sed particula disjunctiva magis convenit sensui.

2. « Tentati sunt patres nostri, ut probarentur... Abraham tentatus est... Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses, et omnes, qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. » Judith. VII, 21, et seqq.

3. *Consolationis tentatio* scripsere Gence, Enriquez, Elzevirius, Delfan et alii; attamen ex præmissis quod debeant electi aliqua tribulatione exercitari, sequitur inde tribulationem præcedentem esse signum sequentis consolationis.

4. « Vincenti dabo edere de ligno vitæ. » Apoc. II, 7.

5. *Datur autem*; ita Gence, Elzevirius et Enriquez; cæteri editores nobis arrident. In solo cod. Cavensi fuit conjunctio omissa.

6. *Cur quæris* Gence et Enriquez, non ita in codd. Bob., Cav., et Padolir. et edit. 1488 et 1608, qui sæpissime cum nostro concordant codice.

7. « Homo nascitur ad laborem et avis ad volandum. » Job. V, 7.

8. « Prædicentur novitio omnia dura et aspera per quæ itur ad Deum. » Cap. 63 Regulæ S. Benedicti.

9. *Pone te ad patientiam magis*

nem, et ad crucem portandam magis quam ad lætitiam?

Quis etiam sæcularium non libenter consolationem et lætitiam spiritualem acciperet, si semper obtinere posset?

Excedunt enim spirituales consolationes omnes mundi delicias et carnis voluptates.

Nam omnes deliciæ mundanæ aut turpes, aut vanæ sunt. Spirituales vero deliciæ solæ[1] sunt jucundæ et honestæ ex virtutibus progenitæ, et a Deo puris infusæ mentibus.

Sed istis divinis consolationibus nemo semper pro suo affectu frui valet, quia tempus tentationis non diu cessat.

II. Multum[2] contrariatur supernæ visitationi falsa libertas animi, et magna confidentia sui.

Deus benefacit consolationis gratiam dando, sed homo male facit[3] non statim Deo cum gratiarum actione retribuendo.

Et ideo non possunt in nobis dona gratiæ fluere, quia ingrati sumus auctori, nec totum refundimus fontali origini.

Semper enim debetur gratia digne gratias[4] agenti sive referenti. Auferetur ab elato, quod dari solet humili[5].

quam ad consolationes; ita Gence, Enriquez et cæteri, attamen in editione 1608 legitur *compone te ad patientiam magis quam ad consolationem.* Nobis videtur nostram meliorem esse lectionem.

1. *Solæ jucundæ* Gence et alii, sed verbum exprimere oportebat.

2. *Multum autem* scripsere Gence et Elzevirius; sed cæteri concordant cum nostra lectione.

3. *Male agit non totum*; ita Gence, Enriquez, Elzevirius aliique, attamen adverbium *statim* magis convenit sensui.

4. *Gratias referenti*; ita Gence et alii, verum latini scriptores discrimen ponunt inter gratias agere, et gratias referre; ideoque non inconsulto scripsit noster monachus.

5. « Devote gratias referenti non immerito ampliora beneficia promit-

III. Nolo consolationem quæ mihi auferat[1] compunctionem, nec affecto contemplationem, quæ ducit in elationem.

Non enim omne altum sanctum, nec omne desiderium purum, nec omne dulce bonum[2], nec omne carum gratum Deo.

Libenter accepto gratiam unde[3] humilior, et timoratior inveniar atque ad relinquendum me paratior fiam.

Doctus dono gratiæ, et eruditus subtractionis verbere non sibi audebit, quidquam boni attribuere, sed potius se pauperem, et nudum confitebitur.

Da Deo quidquid[4] Dei est[5], et tibi adscribe, quod tuum est. Hoc est Deo gratias pro gratia tribue, tibi autem soli culpam, et dignam pœnam pro culpa deberi sentias.

IV. Pone te semper ad infimum[6], et dabitur tibi summum[7]. Nam summum non stat sine infimo.

Summi Sancti apud Deum minimi sunt apud se, et quanto gloriosiores, tanto in se humiliores; pleni[8]

tuntur... sicut e contrario accipiendis indignus est, qui fuerit de acceptis ingratus.» S. Bernard. in Ps. «Qui habitat» Serm. IV, num. 1, Opp. vol. 1, col. 840. «Dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, ut majora adhuc recipere mereamur.» Idem Serm. XXVIII, de divers. ibid. col. 1148, et alibi.

1. *Mihi aufert* scripsit Gence, Elzevirius et alii.

2. *Nec omne dulce, bonum nec omne desiderium purum*, ita editiones Genceana, Elzeviriana; cæteræ totidem verbis cum nostra concordant.

3. *Unde semper*, ita Gence. Quorsum adverbium hoc loco? Sic non legitur in codd. Bob., Cav., edit. Caietani, Delfau, et in aliis 1488 et 1608.

4. *Da Deo quod Dei est* edidit Gence: non ita in editione 1608 et in aliis.

5. « Reddite... quæ sunt Dei, Deo.» Matth. XXII, 21.

6. Ex Regula S. Benedicti, capit. VII, de humilitate ibi: « Clamat nobis divina scriptura dicens: Omnis qui se exaltat humiliabitur et qui se humiliat exaltabitur.»

7. « Recumbe in novissimo loco; ut dicat tibi: Amice, ascende superius.» Luc. XVI, 10.

8. *Humiliores. Pleni veritate cœlesti, non sunt vanæ gloriæ cupidi. In*

veritate et gloria cælesti, non vanæ gloriæ cupidi [1] et in Deo fundati et confirmati, nullo modo possunt esse elati.

Et qui Deo totum adscribunt quidquid boni acceperunt, gloriam ab invicem non quærunt. Sed gloriam [2] quæ a Deo est volunt [3], et Deum quærunt in se, et in omnibus Sanctis laudari super omnia cupiunt, et semper in ipsum tendunt [4].

v. Esto igitur gratus [5] in minimo, et eris dignus majora accipere.

Sit tibi minimum [6] pro maximo et contemtibile pro speciali dono.

Si dignitas datoris inspicitur, nullum datum parvum aut minus [7] vile videbitur. Non enim parvum est quod a summo Deo donatur, etiam si pœnas et verbera donaverit [8], gratum esse debet, quia semper pro salute nostra facit quidquid nobis advenire permittit.

Deo fundati etc. Hoc loco sensus est continuatus et clarior, uti in edit. 1488, atque in cod. Boh. ac Cavensi.

1. « Non efficiamini inanis gloriæ cupidi. » Gal. v, 26.

2. *Sed gloriam quæ a solo Deo est, volunt, et Deum in se* etc.; ita Gence, omissa repetitione verbi *quærunt*, quod in nostro codice fuit in margine adjectum post collationem cum suo originali.

3. « Gloriam ab invicem accipitis; et gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis? » Joan. v, 44. — « Nec quærentes ab hominibus gloriam. » 1. Epist. ad Thess. II, 6.

4. « Non enim est, quo vanitas intret, ubi veritas jam totum occupavit.... Neque enim singuli sese glorificant.... Non vicissim alter alterum laudat, quia in laudem Conditoris intenti, et extenti.... mutuis nunquam vacare laudibus possunt. » Serm. v, in Fest. Omn. Sanctor. Vol. I Opp. Sancti Bernardi.

5. *Pro minimo* Gence et alii; soli codd. Bob., et Cav. et edit. 1608, 1488 concordant cum nostra.

6. *Minimum etiam pro maximo, et magis contemptibile*; ita omnes editores, sed ad quid hæc duo adverbia?

7. *Aut nimis vile videbitur*; ita Enriquez, Caietanus, Elzevirius, sed Delfau et Gence scripserunt *munus*; attamen codices perantiqui et edit. 1488, 1608 nobis concordant.

8. *Donatur. Etiam si pœnas et verbera dederit* Gence; at sensus est continuatus, uti in codd. Bob., ac Cav. et in edit. 1488 et 1608.

Qui gratiam Dei retinere desiderat, sit gratus pro gratia Dei data [1], patiens pro sublata, oret ut reddatur, cautus sit et humilis ne amittat.

De paucitate amatorum crucis [2].

CAPITULUM II^um.

1. Habet autem Jesus [3] multos amatores sui regni cælestis, sed paucos bajulatores [4] suæ crucis [5].

Plures invenit socios mensæ sed paucos abstinentiæ [6].

Omnes volunt [7] cum Christo gaudere, sed pauci volunt aliquid pro ipso sustinere [8].

Multi sequuntur Jesum usque ad fractionem panis [9], sed pauci [10] ad bibendum calicem [11] passionis.

1. *Pro gratia data patiens pro ablata; oret ut redeat* ediderunt Gence et alii; attamen verbum passivum magis convenit hoc loco, nam spectat ad Deum reddere gratiam.

2. *Crucis Jesu* in omnibus editionibus: ast cum agitur de amatoribus *Crucis*, de nulla alia certe agitur quam de illa Christi.

3. *Habet Jesus nunc multos;* ita Enriquez, Gence et alii. Nos censemus juxta cod. Cav. adverbium *autem*, quod hoc loco pro synonymo *verum* accipitur, plus convenire, quam adverbium *nunc;* semper enim reipsa fuerunt multi amatores cælestis regni.

4. « Qui non bajulat Crucem suam etc. » Luc. XIV, 27. — « Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem. » Paulus ad Hebræos, cap. XII, 2.

5. *Crucis. Multos habet desideratores consolationis; sed paucos tribulationis. Plures* etc. Hæc adjecta videntur a glossatoribus, vel detracta ab ipso magistro in posterioribus annuariis lectionibus, uti supra animadvertimus; ideoque hæc non legimus in codd. Cavensi et Bobiensi.

6. « Est autem amicus socius mensæ, et non permanebit in die necessitatis. » Eccl. VI, 10.

7. *Omnes cupiunt cum eo gaudere, sed pauci volunt pro eo aliquid sustinere*; ita Gence, Elzevirius, ac Enriquez; cæteri vero consonant cum nostra lectione, cod. Bobiensi excepto, in quo hæc periodus omittitur.

8. « Volunt omnes te (Jesu) frui, at non ita et imitari; conregnare cupiunt, sed non compati. » S. Bernard. Serm. XXI in Cant. Opp. vol. I, col. 1336.

9. « Cognoverunt eum in fractione panis. » Luc. XXIV, 35, et alibi.

10. *Paucius que ad bibendum* Gence. At Caietanus, Delfan, edit. 1488 et 1608, nobis arrident una cum codd. Bobiensi et Cavensi.

11. « Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? » Matth. XX, 22, et alibi.

Multi miracula ejus venerantur, sed pauci ignominias crucis sequuntur.

Multi Jesum diligunt, quamdiu adversa non contingunt.

Multi illum laudant et benedicunt, quamdiu consolationes aliquas ab ipso recipiunt [2].

Si autem Jesus se abscondiderit [3], et modicum eos reliquerit, aut in querimoniam aut in dejectionem nimiam cadunt.

II. Qui autem Jesum propter Jesum, et non propter aliquam suam consolationem propriam diligunt, ipsum in [4] tribulatione, et in angustia cordis, sicut in summa consolatione [5] diligunt, et benedicunt.

Et si eis consolationem nunquam dare vellet, ipsum tamen [6] laudarent, et semper gratias agere vellent.

III. O, quantum potest amor Jesu purus, nullo proprio commodo vel amore permixtus.

Nonne omnes mercenarii sunt dicendi, qui consolationes semper quærunt?

Nonne amatores sui magis quam Jesu probantur qui sua commoda vel lucra [7] semper meditantur?

Ubi invenitur [8] talis, qui velit servire Deo gratis?

1. *Pauci ignominiam crucis* Gence et alii, cod. Cav. excepto: verum crucia ignominias plurimas passus est Christus, ut ex evangeliis colligitur.

2. *Percipiunt*; ita Gence, Enriquez, Caietanus, Delfau et alii; attamen edd. 1608, 1488, et codd. Bob., Cav. semper fideliter nobis conveniunt.

3. *Se absconderit* Elzevirius, Gence et alii.

4. *In omni tribulatione* Gence scripsit; non ita Caietanus et alii.

5. *Consolatione benedicunt* in pluribus editionibus; at vero constans nostra dilectio Dei in tribulatione signum est perfectionis.

6. *Tamen semper laudarent* scripsit Gence; verum post conjunctionem inutile esse adverbium adparet.

7. *Commoda et lucra* in nonnullis editionibus; soli codd. Bob., Cav. et aulæ edit. 1488, 1608 non dissonant a nostra lectione.

8. *Ubi invenietur talis* in pluribus

IV. Raro invenitur tam spiritualis aliquis qui omnibus sit nudatus.

Nam verum spiritu pauperem ab omni creatura nudum quis inveniet? Procul et de omnibus[1] finibus pretium ejus[2].

Si dederit homo omnem substantiam suam, adhuc nihil est[3].

Et si fecerit pœnitentiam magnam, adhuc exiguum est.

Et si apprehenderit omnem scientiam, adhuc longe est.

Et si habuerit virtutem magnam, et devotionem nimis ardentem, adhuc sibi multum deest. Unum scilicet, quod sibi summe necessarium est[4].

Quid illud? Ut omnibus relictis[5] se relinquat, et a se totaliter exeat, nihilque de privato amore retineat[6].

Cum[7] omnia fecerit quæ facienda noverit, nihil se fecisse sentiat.

editionibus. Verum noster amanuensis jam scripserat *inveniatur*, dein delevit litteram *a*. Idcirco cum cod. Cavensi concordat.

1. *De ultimis finibus*; ita Gence, Enriquez et alii.

2. « Beati pauperes spiritu. » Matthæus cap. V, 3. — « Mulierem fortem quis inveniet? Procul, et de ultimis finibus pretium ejus. » Prov. XXXI, 10.

3. « Si dederit homo omnem substantiam domus suæ... quasi nihil despiciet eam. » Cant. VIII, 7.

4. « Porro unum est necessarium. » Luc. X, 42. — Paulus ad Corinthios, ibi : « Si linguis hominum loquar, et angelorum ;... si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam; si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam ;... si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam ; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. » 1 Cor. XIII, 1, 2, 3.

3. « Res si quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta donatione conferat monasterio; quippe qui ex illo die nec proprii corporis potestatem se habiturum sciat. » Cap. LVIII, Regulæ S. Benedicti.

6. « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum etc. » Matth. XVI, 24.

7. *Cumque*; ita Gence, Enriquez, Elzevirius, Delfau, Caietanus et alii ; codd. Cav., Bob., et edit. 1488, 1608 conveniunt cum nostra.

v. Non grande ponderet quod grandis[1] extimari possit, sed in veritate servum inutilem se pronunciet. Sicut veritas ait : Cum feceritis omnia quæ[2] nobis præcepta sunt, adhuc dicite, quia servi inutiles sumus[3].

Tunc vero pauper, et nudus spiritu esse poterit, et cum Propheta dicere : Quia unicus et pauper sum ego[4].

Nemo[5] isto ditior, nemo tam liberior, nemo potentior eo, qui scit se et omnia relinquere et ad infimum se ponere[6].

De regia via sanctæ crucis.

CAPITULUM 12um.

1. Durus hic multis videtur sermo[7]. Abnega temet ipsum[8], tolle crucem tuam et sequere Jesum[9].

Sed multo durius erit audire illud extremum verbum : Discedite a me, omnes maledicti[10], in ignem æternum[11].

1. *Quod grande æstimari*; sic Elzevirius, Genee et alii, codd. Cav., et Bob., edit. 1488, 1608 exceptis, qui nostro Ms. consonant.

2. *Quæ præcepta sunt vobis dicite, servi* etc. editiones Geneeana, Elzevlriana et aliæ : nostra lectio textum Evangelistæ immutavit, et concordat cum editionibus 1488 et 1608.

3. Luc. xvii, 10 : « Quæ præcepta sunt vobis dicite : servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. »

4. Psalm. xxiv, 16 : « Respice in me et miserere mei, quia pauper etc. »

5. *Nemo tamen isto ditior* Genee, Enriquez et alii ; solæ editiones 1488, et 1608 congruunt nobiscum sicut et codd. Cav. et Bobiensis.

6. « Sextus humilitatis gradus est si omni vilitate vel extremitate contentus sit monachus, dicens cum propheta : Ad nihilum redactus sum et nescivi. » Cap. vii Regul. S. Benedicti.

7. « Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt : Durus est hic sermo et quis potest eum audire ? » Joan. vi, 61.

8. « Instrumentum bonorum operum est abnegare semet ipsum sibi ut sequatur Christum. » Cap. iv Regulæ S. Benedicti.

9. « Abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. » Matth. xvi, 24, et alibi.

10. *Discedite a me maledicti*, omisso vocabulo *omnes*, in editione Geneeana et aliis.

11. Matth. xxv, 41 : « Tunc dicet, et eis qui a sinistris erunt, Discedite etc. » Psalm. vi, 9.

Qui enim modo libenter audiunt verbum crucis[1], et sequuntur, tunc non timebunt[2] ab auditione æternæ damnationis[3].

Hoc signum crucis erit in cælo, cum Dominus ad judicandum venerit[4].

Tunc omnes servi crucis, qui se Crucifixo conformaverunt[5] in vita, ad Christum accedent judicem cum magna fiducia.

II. Quid igitur times tollere crucem, per quam itur ad Regnum[6]?

In cruce salus[7]. In cruce vita. In cruce protectio ab hostibus. In cruce infusio supernæ suavitatis. In cruce robur mentis. In cruce gaudium spiritus. In cruce virtus summa[8]. In cruce perfectio sanctitatis.

Non est salus animæ, nec spes æternæ vitæ, nisi in cruce.

Tolle ergo crucem[9] et sequere Jesum, et ibis in vitam æternam[10].

1. « Verbum enim Crucis, pereuntibus quidem stultitia est. » 1 Pauli ad Corinthios, I, 18.

2. « Aliud instrumentum est diem judicii timere. » Regulæ Sancti Benedicti, cap. IV.

3. « Ab auditione mala non timebit. » Psalm. CXI, 7. Vid. S. Bern. Tract. De diligendo Deo, cap. IV, n. 11, et Serm. III in Psal. « Qui habitat » n. 3.

4. « Tunc parebit signum Filii hominis in cœlo;... et videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, et majestate. » Matth. XXIV, 30.

5. « Conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. » Paulus ad Romanos, VIII, 29.

6. « Non illico pavore perterritus refugias viam salutis quæ non est nisi angusto initio incipienda. » Ex prologo Regulæ S. Benedicti.

7. « In cruce est salus. » S. Bernardus Serm. 2 de S. Andr. Apost. num. 7.

8. *In cruce summa virtutis*; ita Gence, Enriquez et alii cum ipsa editione romana 1697; attamen editio Lugdunensis 1608 et 1488 cum codd. Bob. ac Cav. et nostro concordant; nec immerito.

9. *Crucem tuam* scripsit Gence, sed pronomen est inutile hoc loco; nam auctor noluit transcribere Matthæi textum, ut supra, cap. XVI, 24. Ideoque codices Cavensis, Bobiensis, Padoliron. et editio 1488 consonant nostræ lectioni.

10. « Et ibunt... justi in vitam æternam. » Matth. XXV, 46.

Præcessit ille bajulans sibi crucem [1], et mortuus est pro te in cruce, ut tu etiam [2] portes crucem, et mori affectes in cruce.

Quia, si commortuus fueris [3] in cruce, etiam cum illo pariter vives [4], et si socius fueris pœnæ [5], socius eris et gloriæ [6].

III. Ecce in cruce totum jacet [7], et non est alia via ad vitam, et ad veram et internam pacem, nisi via sanctæ crucis, et quotidianæ mortificationis.

Ambula ubi vis, quære quodcumque volueris, et non invenies altiorem viam supra, nec securiorem infra, nisi viam [8] sanctæ crucis.

Dispone et ordina omnia secundum velle tuum et videre, et non invenies, nisi semper aliquid pati debere aut sponte aut invite et ita crucem semper invenies.

Aut enim in corpore dolorem senties, aut in anima spiritus tribulationem sustinebis.

IV. Interdum a Deo relinqueris, interdum a proximo exercitaberis, et quod amplius est sæpe tibimetipsi gravis eris [9]. Nec tamen aliquo remedio vel solatio liberari seu alleviari poteris, sed donec Deus voluerit, oportet ut sustineas.

1. « Bajulans sibi crucem, exivit in Calvariæ locum. » Joan. XIX, 17.

2. *Ut et tu tuam portes*, ita Gence, Enriquez aliique; soli codd. Cav., Bob. et edit. 1488, 1608 concordant cum nostra.

3. *Fueris etiam cum illo* edidit Gence, sed obscura redditur sua lectio.

4. « Si mortui sumus cum Christo... etiam vivemus cum Christo. » Paulus ad Rom. VI, 8.

5. *Et si socius fueris pœnæ, eris et gloriæ*, ita Gence; sed cod. Bob., Cav., editio 1488 nobis adhærent.

6. « Sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis. » II Cor. I, 7. — « Si sustinebimus, et conregnabimus. » II Tim. II, 12.

7. *Totum constat, et in moriendo, totum jacet*: sic legitur in multis editionibus, attamen ipse Gence convenit hæc adjecta fuisse a glossatoribus, ut ex editione 1488 probatur.

8. *Nec securiorem viam infra*: ita Gence, sed repetitio inutilis quæ non legitur in cod. Bobiensi.

9. « Factus sum mihimetipsi gravis. » Job. VII, 20.

Vult enim Deus ut tribulationem sine consolatione discas pati, et[1] illi totaliter te subjicias et humilior ex tribulatione fias.

Nemo ita cordialiter sentit passionem Christi, sicut is cui contigerit similia pati.

Crux igitur semper parata est, et ubique te exspectat.

Non potes effugere ubicumque cucurreris, quia ubicumque veneris[2], temetipsum tecum portas, et semper te ipsum invenies.

Converte te supra, converte te infra, converte te extra[3] et intra, et in his omnibus invenies crucem, et necesse est te ubicumque tenere patientiam, si internam vis habere pacem[4] et perpetuam promereri coronam[5].

v. Si libenter crucem portas, portabit te, et[6] deducet te ad desideratum finem, ubi scilicet finis patiendi erit[7].

Si invite portas, onus tibi facis, et te ipsum magis gravas, et tamen oportet ut sustineas.

Si abjicis unam crucem, aliam proculdubio invenies, et forsitan graviorem.

1. *Pati discas, ut illi tataliter.* Ita Gence, omissa conjunctione *et* quæ legitur in aliis editionibus.

2. *Effugere quocumque curreris, quia undecumque iveris teipsum tecum portas* Gence, l'Enriquez et alii. Delfau indistincte scripsit *quocumque*, sed codd. Bob., Cav., Valgravius, Caietanus et edit. 1697, 1488 accedunt nostro.

3. *Converte te intra*: ita Enriquez, Gence et alii. Quæ repetitio nobis videtur inelegans, uti editor 1488 ipse recognovit juxta codicum Bob. et Cav. lectionem.

4. « In patientia vestra possidebitis animas vestras. » Luc. xxi, 19.

5. « Patientia vobis necessaria est, ut. . reportetis promissionem. » Hebr. x, 36.

6. *Et ducet te ad* solus Gence cum Elzevirio, præpositionem omittens quæ legitur in codd. Bob. et Cav. ut in edit. 1488.

7. *Finis patiendi erit; quamvis hic non erit* in pluribus edition. Manifeste hæc a glossatore fuisse adjecta in posterioribus codicibus adparet; nam in Cavensi non leguntur.

VI. Credis tu evadere, quod nemo[1] mortalium potuit præterire?

Quis Sanctorum in mundo sine cruce et tribulatione fuit[2]?

Nec enim Dominus noster Jesus Christus una hora sine dolore passionis fuit, quamdiu vixit.

Oportebat[3] autem Christum pati, et resurgere a mortuis[4], et ita intrare in gloriam suam[5].

Et quomodo tu[6] aliam viam crucem quæris[7], quam hanc regiam, quæ est via sanctæ crucis.

VII. Tota vita Christi crux fuit, et martyrium, et tu tibi quæris requiem, et gaudium[8]?

Erras, erras si aliud quæris quam pati tribulationes, quia tota ista vita mortalis plena est miseriis, et circumsignata crucibus[9].

Et quanto quis altius in spiritu profecerit, tanto graviores[10] cruces sæpe inveniet, quia exilii sui pœna magis ex amore crescit.

VIII. Sed tamen iste sic multipliciter afflictus, non

1. *Quod nullus mortalium*: ita Gence, Enriquez et alii.

2. « Multæ tribulationes justorum. » Psalm. XXXIII, 20.

3. *Oportebat (ait) Christum pati* edidit Gence; at cod. Cavensis concordat cum nostro Ms., et in cod. Bob. legimus *etiam Xptum pati.*

4. Luc. XXIV, 46. « Et dixit eis » etc.

5. Ibid. 26. « Nonne hæc » etc.

6. *Si ergo Xptus patiendo intravit in suam : quomodo tu intrare vis in alienam gaudendo. Et quomodo qua fronte aliam viam queris quam hanc regiam quæ est via sanctæ crucis? Tota* etc. Ita in cod. Bobiensi.

7. *Aliam viam quæris, quam hanc regiam* scripsere Elzevirius, Gence et alii; attamen sermonis constructio hæc est *quomodo tu quæris crucem per aliam viam quam per hanc regiam quæ est* etc., uti ex editione 1488 adparet.

8. Divus Cyprianus et Maximus De Martyribus.

9. « Homo... brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. » Job. XIV, 1, — « Homo nascitur ad laborem, cuncti dies ejus laboribus et ærumnis pleni sunt, nec per noctem requiescit mens ejus. » Innocent. III, cap. X.

10. *Tanto altiores sæpe cruces invenit* scribit Gence excusans se vocem *graviorem* jam supra existere; omnes tamen codices et editores ab eo dissentiunt; multi etiam scripserunt *inveniet* ut in nostro codice correxit scriba.

est sine levamine consolationis, quia fructum[1] magnum sibi sentit accrescere ex sufferentia suæ crucis[2].

Nondum[3] sponte illi se subjicit, omne onus tribulationis in fiduciam divinæ consolationis convertitur. Et quanto caro magis per tribulationem[4] atteritur, tanto amplius spiritus per internam consolationem roboratur[5].

Et nonnunquam in tantum confortatur ex affectu tribulationis, et adversitatis ob amorem conformitatis crucis Christi, ut non sine dolore[6], et tribulatione esse vellet, quoniam se tantum acceptiorem Deo reddit, quanto dura, et graviora plura pro eo ferre poterit[7].

Non est istud virtus hominis, sed gratia Christi, que tanta potest, et agit in carne fragili, ut quod naturaliter semper abhorret et fugit, hoc fervore spiritus aggrediatur et diligat.

IX. Non est secundum hominem crucem portare, crucem amare, corpus castigare, et servituti subji-

1. *Fructum maximum*: ita Gence, Enriquez et alii; sed cum nostra lectione concordant codd. Bob. et Cav., Delfau, Caietanus, Valgravius et edit. 1608, 1488.

2. « In multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum fuit. » II Cor. VIII, 2.

3. *Nam dum sponte* in omnibus editionibus, contra mentem auctoris; nam Latini dicebant: *nondum lucebat quum scitum est.*

4. *Per afflictionem atteritur, tanto spiritus amplius per internam gratiam roboratur.* Sic Gence et alii, dum edit. 1608, 1488, et codices Bobiensis et Cavensis cum nostro Ms. perfecte consonant.

5. « Corpus castigare, jejunium amare. » Ita in capitulo VI Regul. S. Bened. — « Desideria carnis amputare festinet monachus. » Cap. VII, ibidem.

6. *Ut se sine dolore et tribulatione esse non vellet; quoniam tanto se acceptiorem Deo credit quanto plura et graviora pro eo perferre potuerit* editio Genceana aliæque. Enriquez scripsit *proferre*; Delfau, Caietanus cæterique aliter ediderunt. Nos censemus ad spiritum auctoris magis accedere lectionem nostri codicis, quæ cohæret cum edit. 1488 et cum cod. Bob. et Cavensi.

7. Tobias XII, 13, ibi: « Et quia acceptus erat Deo, necesse fuit ut tentatio probaret eum. »

cere[1], honores fugere[2], contumelias libenter sustinere, se ipsum despicere, et despici optare, adversa quæquæ cum damnis perpeti, et nihil prosperitatis in hoc mundo desiderare.

Si ad te ipsum respicis, nihil hujusmodi ex te poteris. Sed si in Domino confidis, dabitur tibi fortitudo de cælo, et subjicientur ditioni tuæ mundus et caro[3], sed nec[4] inimicum diabolum timebis, si fueris fide armatus[5], et cruce Jesu[6] signatus[7].

x. Pone ergo te sicut fidelis et bonus servus Christi ad portandum viriliter crucem Domini tui pro te ex amore crucifixi.

Præpara te ad toleranda multa adversa, et varia incommoda in hac misera vita, quia sic tecum erit ubicumque[8], et sic revera eum invenies ubicumque latueris.

Oportet[9] te ita esse, et non est remedium evadendi a tribulatione malorum, et dolore[10], quam ut te patiaris.

1. « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo. » I Cor. IX, 27.

2. *Honores fugere.* Ita in cap. VII de humilitate ex Regula S. Benedicti. Ideoque monachus auctor tractatus debebat suum nomen prætermittere.

3. « Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum : non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis ; sed sufficientia nostra a Deo est. » II Cor. III, 4, 5.

4. *Mundus et caro. Sed nec in inimicum* : ita Enriques. Ad quid præpositio hoc loco ?

5. « In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela Nequissimi ignea extinguere. » Eph. VI, 16. — « Cui (Diabolo) resistite fortes in fide. » I Petr. V, 9, et alibi.

6. *Et cruce Christi signatus* scripserunt Gence, Enriquez, Elzevirius; cæteri totidem verbis cum nostra lectione concordant.

7. « Tam vos, quam domos vestras crucis armate signaculo... fides Deo tota fugat dæmones. » In Vita S. Antonii Abb. ap. Bolland. ad d. 17. Januar. n. 48.

8. *Ubicumque fueris, et sic revera invenies* edidit Gence et alii; Caietanus autem, Delfau et edit. 1608 nobis concordant.

9. *Oportet ita esse* Enriquez, Gence et Elzevirius; cæteri pronomen adjecerunt.

10. « Et pauci facti sunt et vexati sunt a tribulatione malorum, et dolore. » Psalm. CVI, 39.

Calicem Domini[1] affectanter bibe[2], si amicus ejus esse, et partem cum eo habere desideras[3].

Consolationes Deo committe, faciat ipse cum talibus sicut sibi magis placuerit.

Tu vero pone te ad sustinendum tribulationes, et reputa eas maximas consolationes, quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam[4], quæ revelabitur in nobis, promerendam, etiam si omnes solus posses sustinere[5].

XI. Quando ad hoc veneris, quod tribulatio tibi dulcis[6] erit et sapiet pro Christo, tunc bene tecum esse exstima, quia invenisti paradisum in terra.

Quamdiu tibi pati grave est et fugere quæris, tamdiu male habebis, et sequentur[7] te ubique tribulationes.

XII. Si ponis te ad quod esse debes, videlicet ad patiendum, et moriendum, fiet cito melius, et pacem invenies.

Etiamsi raptus fueris in tertium cælum[8] cum Paulo, non es propterea securus de nullo[9] malo sustinendo.

1. *Domini affectantes bibe* scripsit Enriquez et voluit barbarismum italicum effugere. *Affectanter*, vocabulum sæculi XII. Vide Du Cange, anno 1190.

2. « Calicem meum bibetis. » Matth. XX, 23.

3. « Si non lavero te, non habebis partem mecum. » Joan. XIII, 8.

4. *Ad futuram gloriam promerendam*, ita Gence, Delfau, Enriquez, Elzevirius. Codd. Bob., Cav. et alii sententiam S. Pauli explent. Vid. Epist. ad Romanos. VIII, 18.

5. « Non sunt condignæ passiones etc., nec si unus omnes sustineat. » S. Bernardus Serm. I in Annunc. B. M. col. 978 Opp. vol. I.

6. *Tibi dulce est et sapit* editio Genceana aliæque; at Delfau magis accedit nostræ lectioni scribendo *sit et sapiet*.

7. *Sequetur te ubique fuga tribulationis* in pluribus editionibus; ast nostra lectio clarior adparet.

8. « Raptum usque ad tertium cœlum. » II Cor. XII, 2.

9. *Securatus de nullo contrario patiendo*; ita Gence, Enriquez, Elzevirius; aliter alii editores; at nostra lectio convenit cum edit. 1488, et cum cod. Cavensi.

Ego, inquit Jesus, ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati [1].

Pati ergo tibi remanet, si Deum diligere, et perpetue [2] illi servire placeat.

XIII. Utinam dignus esses, pro nomine Jesu aliquid pati [3], quam magna gloria remaneret tibi, quanta exultatio omnibus Sanctis Dei, quanta [4] ædificatio esset proximi.

Nam patientiam omnes commendant [5], quamvis pauci pati velint [6].

Merito deberes [7] modicum pati pro Christo, cum multi graviora patiantur [8] pro mundo.

XIV. Scias pro certo, quia morientem te oportet ducere vitam. Et quanto unusquisque plus sibi moritur, tanto Deo magis vivere incipit.

Nemo aptus est ad comprehendendum cælestia, nisi se submiserit ad portandum pro Christo adversa.

Nihil Deo acceptius, nihil tibi salubrius in mundo isto, quam libenter pati pro Christo.

Et si eligendum tibi esset, magis optare deberes pro Christo adversa pati, quam multis consolationibus recreari, quia Christo similior esses, et omnibus Sanctis [9] conformior.

1. « Ego enim ostendam illi quantum » etc. Act. Apost. IX, 16.

2. *Si Jesum diligere, et perpetuo illi servire placet* in pluribus edit.

3. « Digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. » Act. V, 41.

4. *Quanta quoque* legitur in pluribus editionibus. Nobis videtur hæc conjunctio superflua, ut ex edit. 1488.

5. *Recommendant : quamvis pauci tamen pati velint* scripsere Gence, Enriquez; sed edit. 1608 nobis arridet.

6. « Monachus se ostendens fidelis pro Domino universo etiam contraria sustinere debuit. » Cap. VII Regulæ S. Benedicti.

7. *Merito deberes modicum pati* etc. scripserunt Gence et alii.

8. *Patiuntur* Enriquez et Gence; non ita Caietanus et alii codices Cav. et Bobiensis.

9. *Omnibus sanctis magis conformior* scripsit Enriquez, Elzevirius, Caietanus, Valgravius, edit. 1488 et codd. Cav., Bob.; sed Gence, Delfau, et edit. 1608 nostræ accedunt lectioni.

Non enim stat meritum nostrum et profectus status nostri in multis[1] sensualitatibus, et consolationibus, sed potius in magnis gravitatibus et tribulationibus perferendis.

xv. Si quidem aliquid melius et utilius saluti hominum quam pati fuisset, Christus utique verbo et exemplo ostendisset.

Nam et se sequentes discipulos omnesque eum sequi cupientes, manifeste ad crucem portandam hortatur, et dicit[2]: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me[3].

Omnibus ergo perlectis et scrutatis, sit ista[4] finalis conclusio: quoniam per multas tribulationes[5] oportet nos intrare in regnum Dei. Amen[6].

1. *Multis suavitatibus*, ita in fere omnibus editionibus; attamen nobis arridet lectio nostri codicis.

2. Quæ diximus capite x libri primi repetere oportet, constare ex lectione hujus tractatus auctorem esse monachum, uti etiam ex cap. LVI lib. III evidenter ostenditur.

3. « Tunc Jesus dixit discipulis suis, si quis etc. » Matth. XVI, 24. — « Dicebat autem omnibus, si quis vult post me venire etc. » Lucas IX, 23.

4. *Sit hæc conclusio finalis* scripserunt Gence, Enriquez et alii; Caietanus, Delfau, Valgravius, codd. Bob., Cav., Allat., Padoliron, et edit. 1488, 1608 concordant cum nostro codice De Advocatis.

5. Act. XIV, 21. « Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. » 2 Timoth. III, 12.

6. *Amen* adjecit noster amanuensis in fine hujus et superioris libri; quod usu erat apud monachos, uti Calmet. testatur.



CODEX DE-ADVOCATIS

SÆCULI XIII.

Incipit liber tertius[1] *de interna consolatione*[2].

CAPITULUM PRIMUM[3].

1. Audiam quid loquatur in me Dominus[4] meus[5].

Beata anima quæ Dominum in se loquentem audit et de ore ejus verbum consolationis accipit.

Beatæ aures quæ divini susurri[6] venas suscipiunt[7] et de mundi hujus susurrationibus nihil advertunt.

Beatæ plane aures quæ non vocem foris sonan-

1. *Tercio kalendas* legitur in charta de anno 1264. Vide infra. *Incipit liber tercius* etiam in Cavensi codice. *Incipit tertia pars libelli de interna consolatione, et de interna Xpti locutione ad animam fidelem* : sic legimus in cod. Allatiano.

2. Hæc non legimus in editionibus Caietani et 1608, 1697. At Gence in notis adjecit *internarum consolationum.*

3. Caput 1. *De interna Christi locutione ad animam fidelem.* Ita Gence, Elzevirius, Enriquez et alii. Quæ inscriptio non reperitur in cod. Bobiensi et Cavensi.

4. « Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. » Psalm. LXXXIV, 9.

5. *Dominus Deus*: sic in omnibus editionibus, uti legitur in psalmo LXXXIV. Nos jam animadvertimus auctorem non litteram, sed sensum Bibliæ secutum fuisse, uti ipse pater Benedictus consuevit in sua Regula, quodque eruditus Calmet pluribus exemplis probat. Id autem jam more veterum SS. Patrum fuerat receptum ut sacrarum litterarum sententiæ proponerentur, mutatis etiam verbis ea solum adhibita generali animadversione: *sicut scriptum est* aut *sicut scriptura loquitur.* Vide Calmetum. commentaria in Regul. Benedictinam.

6. *Susprii* scripsit Kempis in suo codice 1441, uti Gence adnotavit in editione 1826.

7. « Suscepit auris mea venas susurri ejus. » Job. IV, 12.

tem, sed interius auscultant [1] veritatem loquentem et docentem.

Beati oculi qui exterioribus clausi sunt, interioribus autem intenti.

Beati qui interna penetrant, et ad capienda arcana cælestia magis ac magis per quotidiana exercitia se student præparare.

Beati qui Deo vacare gestiunt et ab omni impedimento sæculi se excutiunt.

II. Animadverte hoc [2], o anima mea, et claude sensualitatis tuæ ostia, ut possis audire quid [3] loquatur Deus Dominus in te [4]. Hæc dicit dilectus tuus [5].

Salus tua ego sum [6], pax tua [7], et vita tua [8].

Serva te apud me, et pacem invenies.

Dimitte omnia transitoria, et quære æterna.

Quid sunt omnia temporalia, nisi seductoria et quid juvant omnes creaturæ, si fueris a Creatore [9] deserta?

Omnibus ergo abdicatis Creatori tuo te redde placitam [10] et fidelem, ut veram valeas apprehendere beatitudinem.

1. *Sed intus auscultant veritatem docentem;* ita in editionibus Genceana et aliis, sed cod. Bobiensis et Cavensis, Caietanus, Delfau, Valgravius, editor 1488, ac ipsa editio Lugd. 1608 nobis concordant. — « Beati oculi quia vident et aures vestræ quia audiunt. » Matth. XIII, 16.

2. *Animadvertere hæc anima mea* scripsit Enriquez, contra codd. Bob., Allat. et Cavensem.

3. *Quid in te loquatur Dominus Deus tuus;* en variata constructio a Gence adhibita.

4. Psalm., ut supra, LXXXIV, 9.

5. *Dominus et fidelis, vel discipulus* addiderunt Delfau, Enriquez et Valgravius, quia hic liber, magna sui parte, per modum colloquii inter Deum et hominem scriptus est; sed hæc non legimus in veteribus codicibus.

6. « Dic animæ meæ: Salus tua ego sum. » Psalm. XXXIV, 3.

7. « Erit iste pax. » Mich. V, 5. — « Deus pacis erit vobiscum. » Phil. IV, 9, et alibi.

8. « Ego sum via, veritas et vita. » Joan. XIV, 6.

9. *A creatore derelicta* in cod. Augustano; *desertus* in cod. Bob.; *separatus* in cod. Allat.

10. *Te redde placidum* in editione Lugd. 1608; *placatum* in cod. Bobiensi; *placitu* in codice Allatiano. Cæteri codices et ipse Gence nobis consentiunt.

Quod veritas intus loquitur sine strepitu[1].

CAPITULUM 2um.

I. Loquere Domine[2], quia audit servus tuus[3].

Servus tuus ego sum, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua[4]. Inclina cor meum in verba oris mei[5]. Fluat ut ros eloquium tuum[6], dicebant olim filii Israel ad Moysen. Loquere nobis tu[7], et audiemus; non loquatur Dominus nobis, ne forte moriamur.

Non sic, Domine, non sic oro, sed magis cum Samuele propheta humiliter ac desideranter obsecro. Loquere Domine, quia audit servus tuus[8].

Non loquatur Moyses mihi, aut aliquis ex Prophetis, sed potius tu loquere, Domine Deus, inspirator et illuminator omnium Prophetarum, quia tu solus sine eis potes me perfecte[9] imbuere, illi autem sine te nihil proficient[10].

II. Possunt quidem verba sonare, sed spiritum non conferunt.

Pulcherrime[11] dicunt, sed te tacente cor non accedunt.

1. *Sine strepitu verborum;* ita in fere omnibus editionibus. In solo cod. Allatii legimus: *Veritas quomodo intus loquitur in animam.*

2. « Et ait: Ecce ego loquere Domine, etc. » I Reg. III, 9.

3. Psalm. CXVIII, 125. « Servus tuus sum ego etc. »

4. « Inclina cor meum in testimonia tua. » Ibid., 36.

5. *In verba oris tui, fluat ut ros eloquium tuum dicebat;* sic Gence et alii. Attamen auctor, uti in pluribus locis, invertere voluit textum sacræ Scripturæ ad suam lectionem, cui sensus hic est: *Domine, fac ut cor meum propendat ad verba oris mei;* id est, *ut os et cor mutuo consonent.*

6. « Audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei; fluat ut ros eloquium meum. » Deuteronomium, XXXII, 1, 2.

7. Exod. XX, 19: » Dicentes Moysi: Loquere tu nobis etc. »

8. « Loquere, Domine mi rex. » Liber II Reg. XIV, 18.

9. In nostro codice amanuensis omiserat adverbium *perfecte*, quod post collationem cum originali fuit superius inscriptum.

10. Vid. S. Bernard. in Cantica Serm. II, n° 1.

11. *Pulcriter dicunt;* ita Enriquez, Elzevirius et editio 1697, dum ipse

Litteras tradunt, sed tu sensum aperis[1].

Mysteria referunt[2], sed tu reseras intellectum signatorum[3].

Mandata edunt[4], sed tu juvas ad perficiendum[5].

Viam ostendunt, sed tu confortas ad ambulandum[6].

Illi foris tantum agunt, sed tu corda instruis, et illuminas[7].

Illi exterius rigant, sed tu fecunditatem donas[8].

Illi clamant verbis, sed tu auditui intelligentiam tribuis[9].

III. Non ergo mihi loquatur Moyses, sed tu, Domine Deus meus, æterna veritas, ne forte moriar, et sine fructu efficiar, si fuero tantum foris admonitus, et intus non accensus[10], ne sit mihi ad judicium verbum auditum, et non factum cognitum nec amatum creditum, et non servatum[11].

Loquere igitur, Domine, quia audit servus tuus[12]: verba enim vitæ æternæ habes[13].

Genee cum editionibus 1608, 1488, Caietano, Delfan, Valgravio nobis assentit.

1. « Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. » Luc. XXIV, 45.

2. *Misteria proferunt* fere in omnibus editionibus; nobis attamen videtur meliorem esse nostram lectionem, quæ cum cod. Cav. cohæret.

3. « Dabit tibi Dominus in omnibus intellectum. II. Tim. II, 7.

4. *Mandata edicunt* in omnibus editionibus. Dicitur *Edere librum* etc.

5. « Deus est, qui operatur in vobis et velle, et perficere. » Phil. II, 13.— « Incassum exterius a Prædicatore monetur, quia mutum est os omne quod loquitur, si ille interius in corde non clamet qui aspirat verba, quæ audiuntur. » S. Gregorius moral. lib. 2, c. 5.

6. « Et in semitis... ambulare eos faciam. » Isai. XLII, 16.

7. « Diligite illum (Deum), et illuminabuntur corda vestra. » Ecl. II, 10.

8 « Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus. » I Cor. III, 7.

9. « Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. » Job. XXXII, 9.

10. *Accensus. Et ne sit mihi* in editione Geneeana sola, nam cæteri codices ac editiones nobis conveniunt, quia periodus nova non orditur, ut ipse Genee existimat.

11. « Estote factores verbi; et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. » Jac. I, 22.

12. Loco citato Exod. XX.

13. « Verba vitæ æternæ habes. » Joan. VI, 69.

Loquere mihi ad qualemcumque animæ meæ consolationem, et ad totius vitæ meæ emendationem, tibi autem ad gloriam[1] et perpetuum honorem[2].

Quod verba Dei sunt audienda cum humilitate[3].

CAPITULUM 3um.

I. Audi, fili mi[4], verba mea[5]. Verba mea suavissima sunt[6], Philosophorum et Sapientum hujus mundi scientiam excedentia.

Verba mea spiritus et vita sunt[7], nec humano sensu pensanda; non sunt[8] ad vanam complacentiam trahenda, sed in silentio audienda[9], et cum omni humilitate, atque affectu magno suscipienda.

Et dixi: Beatus quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum, ut mitiges ei a diebus malis[10] et desoletur in terra[11].

II. Ego, inquit Dominus, docui Prophetas ab initio,

1. *Ad laudem et gloriam* in fere omnibus lectionibus, exceptis illis de anno 1608, 1488, atque cod. Cavensi qui concordant cum nostro Ms. Liceat denuo hoc loco adnotari, quod auctor semper aliquid immutare voluit textibus depromptis a Biblis; ast glossatores textum dein restituere curarunt.

2. « In laudem et gloriam, et honorem... Jesu Christi. » 1 Petr. I, 7.

3. *Quod verba Dei cum humilitate sunt audienda, et quod multi ea non ponderant;* ita in omnibus editionibus, si perantiquum cod. Bobiensem excipias.

4. *Audi, fili, verba mea*, ita Gence et alii; solæ editiones 1488, 1608, et codd. Allat., Cav., Padolir., et Bob., accuratiores adparent.

5. « Audi, fili mi, et suscipe verba mea. » Prov. IV, 10.

6. *Verba suavissima*, *omnem philosophorum* fere ubique legitur auctoris immutato sensu.

7. « Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. » Joan. VI, 64.

8. *Pensanda. Non sunt* in variis editionibus; attamen hic sensus est continuatus.

9. « Verba sapientum audiuntur in silentio. » Eccl. IX, 17.

10. Psalm. XCIII, 12, 13: « Ut mitiges eum a diebus malis, donec fodiatur peccatori fovea. »

11. *Et non desoletur in terra*, sic in edit. Genceana aliisque; *non desoletur a terra* in edit. 1608.

et usque nunc non cesso omnibus loqui[1]. Sed multi ad vocem meam surdi sunt[2], et muti et duri.

Plures mundum libentius audiunt quam Deum, faciliùs sequuntur carnis suæ appetitum, quam dei beneplacitum.

Promittit temporalia, et parva mundus, et servitur ei aviditate magna. Ego promitto summa, et æterna, et torpescunt mortalium corda.

Quis tanta cura in omnibus mihi servit et obedit, sicut mundo et dominis eius servitur?

Erubesce[3], Sidon, ait mare[4]. Et si causam quæris, audi quare.

Pro modica præbenda[5] longa via curritur, pro vita æterna[6] vix a multis pes a terra semel movetur et levatur.

Vile prætium quæritur, pro uno numismate interdum turpiter litigatur, pro vana re et parva promissiône die noctuque fatigari non timetur.

III. Sed, proh dolor[7], pro bono incommutabili, pro prætio[8] inæstimabili, pro summo honore et gloria interminabili vel ad modicum fatigari pigritatur.

1. « Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis; novissime diebus istis locutus est nobis in filio. » 1 Hebr. 1, 2.

2. *Sunt, et duri* legitur in aliis edition., non immerito; attamen hæc posuit noster auctor unde magis hominis pertinaciam demonstraret.

3. «Erubesce Sidon : ait enim mare, fortitudo maris etc.» Isaia, XXIII, 4.

4. Hæc phrasis diversa lectione habetur in cod. August. *Sidon et mare;* sed ipse Gence fatetur eamdem esse integram in codicibus Bobiensi et Cavensi.

5. *Præbenda* dicebatur stipendium quod magistris et doctoribus assignabatur in monasteriis. Vid. cap. III libri I in notis.

6. *Pro æterna vita a multis vix pes semel a terra levatur.* Ita Gence aliique, sed noster auctor plus dicere voluit.

7. *Proh pudor!* scripsere Gence, Enriquez, Valgravius, Elzevirius, editio 1697. Sed aliter Delfau, Caietanus et editor. 1608, qui secuti sunt veram lectionem codd. Bob., Padolir. et Cavensis.

8. *Pro præmio inestimabili* etc., in pluribus codicibus. Vid. Valart, cap. II, 6.

Erubesce ergo, serve piger et querulose, quod illi paratiores inveniuntur ad perditionem, quam tu ad vitam; gaudent illi amplius ad vanitatem, quam tu ad veritatem.

Equidem a spe sua nonnunquam frustrantur [1], sed promissio mea neminem fallit, nec confitentem mihi dimittit inanem.

Quod promisi dabo, quod dixi implebo [2], si tamen usque ad finem [3] fidelis in dilectione mea quis permanserit.

Ego remunerator sum omnium bonorum, et fortis probator omnium devotorum [4].

VI. Scribe verba mea in corde tuo, et pertracta diligenter [5]: erunt enim in tempore tentationis [6] valde necessaria.

Quod non intelligis, cum legis, cognosces in die visitationis [7].

Dupliciter soleo electos meos visitare, tentatione scilicet et consolatione: et duas lectiones eis quotidie lego, unam increpando eorum vitia, alteram exhortando ad virtutum incrementa.

Qui habet [8] verba mea et spernit ea, habet qui judicet eum in novissimo die [9].

1. « Spes ejus frustrabitur eum. » Job. XL, 28.

2. « Non est Deus quasi homo, ut mentiatur... Dixit ergo, et non faciet? locutus est, et non implebit? » Num. XXIII, 19.

3. *Usque in finem*; ita Gence, Enriquez, Delfao, Elzevirius cæterique, attamen cod. Cavensis convenit nobis.

4. « Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod est in paradiso Dei mei. » Joan. Apocalyp. II, 7.

5. « Erunt verba hæc... in corde tuo... et meditaberis in eis. » Deut. VI, 7.

6. Luc. VIII, 13: « Et in tempore tentationis recedunt. »

7. Isai. X, 3: « Quid facietis in die visitationis? »

8. *Qui audit verba mea* legitur in cod. Avenionensi, uti Gence allegat in nota. Nos denuo adnotamus auctoris mentem fuisse non ad litteram textum Bibliorum referre uti in editione Mediolanensi 1488.

9. « Si quis audierit verba mea, et non custodierit, ego non judico eum; non enim veni ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum. Qui sper-

Oratio[1] *ad implorandam devotionis gratiam.*

v. Domine Deus meus, tu es omnia bona mea. Et quis ego sum, ut audeam ad te loqui?

Ego sum pauperrimus servulus tuus, et abjectus vermiculus tuus[2], multo pauperior et contemptibilior, quam scio et dicere audeo.

Memento tamen, Domine, quia nihil sum[3], nihil valeo[4], nihilque habeo[5].

Tu solus bonus[6] justus[7] et sanctus[8]; tu omnia potes[9], omnia præstas[10], omnia imples[11], solum peccatorem inanem relinquens.

Reminiscere miserationum[12] tuarum, Domine[13], et imple gratia tua cor meum[14], qui non vis vacua esse opera tua[15].

vi. Quomodo possum me tolerare in hac misera vita, nisi me confortaveris[16] misericordia tua et gratia tua.

nit me, et non acipit veeba mea, habet qui judicet eum; sermo, quem locutos sum, ille judicabit eum in novissimo die. » Joan. xii, 47 et 48.

1. In editione Lugdunensi juxta cod. Allatii bie notatue caput iv, quod ipse Gence animadvertit circa alias editiones, ubi orationes aliæ totidem numeros sumpsere, ex quo hic libee ad lxiv capita fuit protractus, quod non ita est in editione 1488 et codd. Cavensis Boh., Padolir., et alii.

2. *Abjectus vermiculus*, ita Gence et cæteri absque repetitione pronominis ediderunt.

3. « Nihil sum. » ii Coe. xii, 2

4. « Nihil habet homo jumento amplius. » Ecelesiasta, iii, 19.

5. « Quia sine me nihil potestis facere. » Joan. xv, 5.

6. « Nemo bonus, nisi solus Deus. » Luc. xviii, 19.

7. « Solus justus. » ii Maccab. i, 4.

8. « Non est sanctus, ut est Dominus. » i Reg. ii, 2.

9. « Omnia potes. » Joh. xlii, 2.

10. « In Deo vivo qui præstat nobis omnia. » i Tim. vi, 17.

11. « Cœlum, et teeram ego impleo. » Jerem. xxiii, 24.

12. *Miseerationum* in orthographia sæculi xiii, nam recognovimus in regiæ cameræ archivo Taueinensi varias conventiones de anno 1264 ad 1314, in quibus legnntue sequentia : *pertinenciis, peticionem, requisicionem, recordacionem, donacionem, tercio*, etc.

13. « Et misericoediarum » Psalm. xxiv, 6.

14. *Tuarum et imple cor meum gratia tua* scripsere Geoce aliique, omisso vocativo casu qui reddit sensum clariorem.

15. « Ut non essent vacua Sapientiæ tuæ opera. » Sap. xiv, 5.

16. *Confortaverit misericordia et*

Noli avertere faciem tuam [1] a me, noli visitationem tuam prolongare, noli consolationem tuam abstrahere, ne fiat anima mea sicut terra sine aqua tibi [2].

Doce me, Domine, facere voluntatem tuam [3]. Doce me coram te digne et humiliter conversari [4], quia sapientia mea tu es, qui in veritate me cognoscis, et cognovisti antequam fieret mundus [5], et antequam natus essem in mundo.

Quod in humilitate et veritate coram Deo est conversandum [6].

CAPITULUM 4um.

1. Fili, ambula coram me in veritate [7] et in simplicitate cordis tui quære me semper [8].

Qui ambulat coram me in veritate, tutabitur ab incursibus vanis [9] et veritas liberabit eum a seductoribus [10] et detractionibus iniquorum.

gratia tua. Sic Gence et alii. Attamen ipse Gence in nota arridet nostræ lectioni quæ consonat cum codicibus Cavensi, Allatiano, Girardimontis et Affligmensi.

1. Tob. IV, 7 : « Ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. »

2. Psalm. CXLII, 6 : « Expandi manus meas ad te, anima mea » etc.

3. Ibid. 10 : « Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. »

4. *Conversari. Quia :* ita Enriquez, at sensus est continuatus per conjunctionem ut in cod. Cav.

5. *Mundus, ut et antequam :* solus Gence ita scripsit et adnotavit, referens se ad veterem italicam versionem hujus textus. — « Priusquam mundus esset. » Joan. XVII, 5.

6. In indice Amsnuensis titulum hunc sine transpositione scripsit ut videre est. *Ambulandum sit cap. quintum* legimus in cod. Allat. cap. V.

7. « Ambula coram me, et esto perfectus. » Gen. XVII, 1. « Si ambulaverint coram me in veritate. » III Reg. II, 4.

8. « Et in simplicitate cordis quærite illum (Dominum). » Sap. I, 1.

9. *Incursibus malis* scripsere Enriquez, Gence et alii, sed hoc loco *vanis* idem est ac *irritis* etc.

10. « Custodivit (Sapientia) illum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum. » Sap. X, 12.

Si veritas te liberaverit, vere liber eris[1] et non curabis de vanis hominum verbis.

Domine verum est ut dicis, ita quæso mecum fiat.

Veritas tua ipsa[2] me doceat[3], ipsa me custodiat, et usque ad salutarem finem me conservet[4]; ipsa me liberet ab omni affectione mala et inordinata[5] et ambulabo tecum in magna cordis libertate.

II. Ego te docebo, ait Veritas, quæ recta sunt et placita coram me[6].

Cogita peccata tua cum displicentia magna et memorare[7], et nunquam reputes te aliquid esse propter opera bona.

Revera peccator es, et multis passionibus obnoxius, et implicatus.

Ex te semper ad nihil tendis, cito laberis[8], cito turbaris, cito dissolveris.

Non habes quidquam, unde possis gloriari[9]. Sed multa habes unde te debes[10] vilificare, quia multo infirmior es quam vales comprehendere.

III. Nihil[11] ergo tibi magnum videatur ex omnibus, quæ agis.

1. « Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis. » Joan. VIII, 36.

2. *Veritas tua me doceat*, ita Gence et alii, sed hæc repetitio pronominis nobis placet.

3. « Dirige me in veritate tua, et doce me. » Psalm. XXIV, 5.

4. *Finem conservet* Gence et alii; attamen pronomen valde est utile hoc in loco, et legitur in edit. 1488, et in cod. Cavensi.

5. *Inordinata dilectione* in pluribus cdd.; sed ad quid? dum in affectione mala etiam *dilectio* contineatur.

6. « Ea, quæ sunt placita coram eo. » 1 Joan. III, 22.

7. *Et mœrore* scripsere Gence, Caietanus et alii, nec reddunt auctoris sensum, ut in cod. Cavensi qui concordat cum nostro.

8. *Cito vinceris* addiderunt glossatores, uti in editionibus Genceana, Elzeviriana aliisque; attamen cum quis turbatur ac dissolvitur, tunc devictus esse adparet.

9. « Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? » 1 Cor. IV, 7.

10. *Sed multa unde te debens*, ita Enriquez, Gence, etc. In sola editione 1608 legitur *debes*, ut in nostro codice.

11. *Nil* pro *Nihil*, legitur sæpissime

Nihil grande, nihil prætiosum et admirabile, nil reputatione appareat dignum, nil altum, nil vere laudabile, et desiderabile, nisi quod æternum[1].

Placeat tibi super omnia æterna veritas, displiceat tibi super omnia vilitas maxima tua[2].

Nil sic timeas[3] et fugias, sicut vitia, et peccata tua, quæ magis displicere debent, quam quælibet rerum damna.

Quidam non sincere coram me ambulant[4], sed quadam curiositate et arrogantia ducti volunt secreta mea scire, et alta Dei intelligere, se et suam salutem negligentes.

Hi sæpe in magnas tentationes, et peccata, propter suam jactantiam, superbiam[5] et curiositatem, labuntur me eis adversante.

Time judicia Dei[6], expavesce iram Omnipotentis[7].

IV. Noli autem discutere opera Altissimi[8], sed tuas iniquitates perscrutare, in quantis dereliquisti[9], et quam multa bona neglexisti.

Quidam portant solum suam devotionem in libris,

in pluribus editionibus, excepta illa Mediolanensi 1488.

1. *Nisi quod æternum est.* Sic Gence et alii; attamen nostra lectio elegans et sententiosa est in codd. Cav., Allatii, et in edit. 1488.

2. *Displiceat tibi semper tua maxima vilitas:* hæc leguntur in pluribus editionibus. Non ita in illa 1488 quæ nostræ et cod. Bob. respondet.

3. *Nil sic timeas, sic vituperes*, ita Gence aliique. In solo cod. Cavensi omittitur verbum *timeas*.

4. « Non ambulavimus sinceriter coram te. » Tob. III, 5.

5. *Propter suam superbiam* legitur in fere omnibus editionibus, sed non immerito *jactantiam* hoc loco adjecit auctor libri, quippe jactantia est superbia ulterius progressa.

6. « A judiciis tuis timui. » Psalm. CXVIII, 120.

7. « In me vero et fratribus meis desinit Omnipotentis ira. » II Maccabæorum VII, 38.

8. « In pluribus operibus ejus non fueris curiosus. » Ecclesiast. III, 22.

9. *Deliquisti* scripserunt Gence et alii, sed verbum *derelinquere* magis convenit, nam aptius huic adjungitur *neglexisti;* hoc autem levius quidpiam exprimit quam illud alterum *deliquisti*, unde in nostro codice aptior est sententiæ progressio.

quidam in imaginibus; quidam autem in signis exterioribus et figuris.

Quidam[1] habent me in ore, sed modicum[2] in corde[3].

Sunt alii qui[4] intellectu illuminati et affectu purgati ad æterna semper anhelant, de terrenis graviter audiunt, necessitatibus naturæ dolenter inserviunt, et hi sentiunt, quid veritatis spiritus loquitur in eis[5].

Quia docet eos terrena despicere, et amare cælestia[6], mundum negligere, et cælum tota die et nocte desiderare.

De mirabili affectu[7] divini amoris.

CAPITULUM 5um.

1. Benedico te, Pater cælestis, Pater Domini mei Jesu Christi[8], qui mei pauperis[9] dignatus es recordari.

O, Pater misericordiarum, et Deus totius conso-

1. *Insuper habent me in ore sed modicum in corde. Tu ergo devotionem tuam tenebis in vulnera mea que jugiter retinebis in medio cordis tui, et considerabis devotione magna dominum tuum pro salute tua tam crudeliter passionatum, verba mea portabis in corde tuo scripta non in libris et mandatorum meorum semper memor eris. Sunt nonnulli alii qui intellectu* etc. Hæc adjecit glossator in cod. Bobiensi.

2. *Modicum est in corde:* ita Gence et alii; sed cod. Cav., Delfau et editores 1608, 1488 nobis consentiunt.

3. « Populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me; cor autem ejus longe est a me. » Isai. xxix, 13; Matth. xv, 8; Marc. vii, 6.

4. *Qui in intellectu* edidit Enriquez ipse solus.

5. « Spiritus veritatis.... loquetur. » Joan. xvi, 13. « Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. » Matth. x, 20.

6. « Doceas nos terrena despicere, et amare cœlestia. » In Oratione ad Missam ii Dominicæ Adventus.

7. *Mirabili effectu* scripsere Enriquez, Caietanus, Elzevirius, Valgravius et editor 1608, sed ipse Gence, Delfau, codd. Bob. et Allat., editores 1488, 1697 concordant cum nostro codice.

8. « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi. » ii Cor. i, 3.

9. *Quia mei pauperis*, ita Gence et alii; attamen aptius sensus fluit, *qui dignatus es*, uti in cod. Cav.

lationis[1], gratias tibi ago[2], qui me indignum omni consolatione quandoque tua recreas consolatione.

Benedico te semper et glorifico cum unigenito Filio tuo, et Spiritu Sancto paracleto in sæcula sæculorum, amen[3].

Eia, Domine Deus, meus amator sancte, cum tu veneris in cor meum, exultabunt omnia interiora mea[4].

Tu es gloria mea[5] et exultatio cordis mei[6], tu spes mea[7] et refugium[8] in die tribulationis meæ[9].

II. Sed quia adhuc debilis sum in amore et imperfectus in virtute, ideo necesse habeo confortari[10] et consolari.

Propterea visita me sæpius, et instrue disciplinis[11] tuis[12].

Libera me a passionibus pravis et malis[13], et sana cor meum ab omnibus affectionibus inordinatis, ut intus sanatus et bene purgatus aptus efficiar ad amandum, fortis ad patiendum, stabilis ad perseverandum.

III. Magna res est amor[14], magnum omnino bonum

1. II Cor. I, 3 : « Pater misericordiarum et Deus totius consolationis. »

2. *Gratias tibi qui:* ita Gence, Elzevirius, Enriquez et Valgravius; cæteri nobis conveniunt.

3. Omnes editores omiserunt vocabulum *Amen*, quod hoc loco maxime congruit.

4. « Exultabunt renes mei. » Prov. XXIII, 16. « Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum. » Psalm. LXXXIII, 3.

5. « Tu.... es gloria mea. » Psalm. III, 4.

6. « Exultatio cordis mei. » Psalm. CXVIII, 3.

7. « Tu es, Domine, spes mea. » Ps. XC, 9, et Ps. CXLI, 6.

8. *Et refugium meum* in pluribus editionibus et codicibus.

9. « Tu es refugium meum a tribulatione. » Ps. XXXI, 7. « Domine, fortitudo mea, et robur meum, et refugium meum in die tribulationis. » Jerem. XVI, 19.

10. *Necesse habeo a te confortari* scripsere Gence, Enriquez et alii; at pronomen hoc loco subintelligitur.

11. « Erudiens eos, instruit disciplina. » Job. XXXIII, 6.

12. *Disciplinis sanctis* in fere omnibus codicibus; excepto codice Cavensi et editionibus Delfau, Caietani et Valgravii.

13. *A passionibus malis:* ita Gence et alii, attamen *pravus* et *malus* fere sunt synonyma.

14. « Magna res amor. » Sanctus Bernardus, Serm. 83 in Cantic. col. 1560 Vol. I Opp.

quod solum leve facit esse onerosum [1], et fert æqualiter omne inæquale: nam onus sine onere portat, et omne amarum dulce ac sapidum efficit.

Amor Jesu nobilis ad magna operanda impellit, et desideranda [2] semper perfectiora excitat.

Amor vult esse sursum, nec ullis infimis rebus retineri.

Amor vult esse liber, et ab omni mundana affectione alienus, ne internus ejus impediatur aspectus [3]; ne per aliquod commodum temporale implicationes sustineat, aut per incommodum succumbat.

Nil dulcius est amore, nil fortius, nil altius, nil latius, nil jucundius, nil plenius [4], nil melius in cælo et in terra, quia amor [5] a Deo natus est [6], nec potest nisi in Deo super omnia creata quiescere.

IV. Amans volat, currit, lætatur [7], liber est, et non tenetur.

Dat omnia pro omnibus, et habet omnia in omnibus, quia in uno summo super omnia quiescit, ex quo omne bonum fluit et procedit.

Non respicit ad dona, sed ad donantem se convertit super omnia bona.

Amor sæpe modum nescit, sed super omne bonum [8] fervescit.

1. *Leve facit omne onerosum* ediderunt Gence aliique, sed nostra lectio magis elegans esse videtur.

2. *Et ad desideranda* in pluribus editionibus.

3. *Ne intimus eius impediatur affectus* scripsere Gence et Delfau, cæteri autem concordant cum nostra lectione.

4. *Nihil plenius nec melius* scripsere Gence et alii; animadvertendum attamen est semper *nil* pro *nihil* adhibuisse hoc loco nostrum auctorem, uti etiam in cod. Cavensi.

5. *Quia amor ex Deo natus est*, ita Gence, Enriquez, Elzevirius, Delfau, ast cæteri nobis arrident.

6. «Caritas ex Deo est.» 1 Joan. IV, 7.

7. *Currit et lætatur* ediderunt Gence, Caietanus et alii; non ita in pervetustis codd. Bob., Cav. et in editionibus 1488 et 1608.

8. *Omnem modum* legimus in plu-

Amor onus non sentit, labores non reputat, plus affectat, quam valet, de impossibilitate non causatur, quia cuncta sibi licere posse [1] arbitratur.

Valet igitur ad omnia, et multa implet, et effectui mancipat. Ubi vero amans deficit et jacet [2], amor vigilat, et dormiens dormitat [3], fatigatus non laxatur [4], arctatus non arctatur, territus non conturbatur, sed, sicut vivax flamma et ardens favilla [5], sursum erumpit secureque pertransit.

v. Si quis amat, novit quid hæc vox clamat [6].

Magnus clamor in auribus Dei est ardens affectus animæ [7], quæ dicit. Deus, Deus meus, amor meus [8], tu totus meus, et ego tuus [9].

vi. Dilata me in amore, ut discam interiori cordis ore degustare, quam suave sit amare et in amore liquefieri et natare.

Tenear [10] amore vadens supra me præ nimio fervore et stupore.

ribus editionibus et codicibus, ettamen liceat nobis defendere lectionem nostri codicis : nam amor fervescit et superat omnia bone, uti in præcedenti periodo loquebatur.

1. *Sibi posse et licere* ipse Gence; verum minus directe contre syntaxim fetetur esse nostram lectionem juxta cod. Allatii.

2. *Mancipat, ubi non amans deficit et jacet. Amor vigilat et dormiens non dormitat:* sic Gence et alii, sed auctoris mens in nostra lectione sibi magis cohæret.

3. « Ego dormio, et cor meum vigilat. » Cantic. v, 2.

4. *Non lassatur*, ite Gence, Elsevirius et alii, sed Delfau juxte cod. Cavensem, aditor 1694, et nonnulli interpretes nobis conveniunt, nam *fatigatus* et *lassus* sunt synonyma : ital. *affaticato, non rallenta.*

5. *Ardens facula* in pluribus editionibus, sed Valgravius, Delfau, Caietenus et Cavensis codex nostram secuti sunt lectionem.

6. « Da amantem, et sentit quod dico... Si autem frigido loquor, nescit quid loquor. » S. August. In Joan. Tract. xxvi, n. 4.

7. « In Dei auribus desiderium vehemens clamor magnus. » S. Bernard. in Psalm. « Qui habitet » Serm. xvii. Opp. Vol. 1, col. 880.

8. *Deus meus, amor meus* in omnibus editionibus, et repetitio dulcius sonat.

9. « Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia. » Canticum canticorum, ii, 16.

10. Scriptum erat *teneat*, dein noster amanuensis correxit.

Cantem amoris canticum[1]; sequar te dilectum meum in altum[2]. Deficit in laude tua anima mea, jubilans ex amore.

Amem te plus quam me, nec me nisi propter te, et omnes in te, qui vere amant te, sicut iubet lex amoris, lucens ex te.

VII. Est amor velox, sincerus, pius[3], prudens, longanimis, virilis, et seipsum nunquam quærens[4]. Ubi enim seipsum aliquis quærit, ibi ab amore cadit.

Est amor circumspectus, humilis et rectus, non mollis, non levis nec vanis intendens rebus, sobrius, stabilis, castus, quietus, et in cunctis sensibus custoditus.

Est amor subjectus et obediens Prælatis[5], sibi vilis et despectus, Deo devotus et gratificus fidens, et semper sperans in eo, etiam cum sibi non sapit Deus, quia sine dolore non vivitur in amore.

VIII. Qui non est paratus omnia pati, et ad voluntatem stare dilecti, non est dignus amator[6] appellari.

Oportet amantem omnia dura et amara propter dilectum libenter amplecti, nec ob contraria accidentia ab eo deflecti[7].

1. « Cantabo dilecto meo canticum. » Isai. v, 1.

2. *In altum deficiat*, ita Gence, omisso puncto, inde fusius disseruit juxta interpretationem hujus periodi.

3. *Pius, jucundus et amœnus, fortis, patiens, fidelis prudens*. Ita Gence; hæc omnia adjecta fuerunt a glossatoribus, ut cuilibet voces intelligenti patet.

4. « Non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt. » I Cor. XIII, 5.

5. *Prælatis*, vide lib. I, capitulo IX; lib. III, cap. XIII, et Regulam S. Benedicti, cap. V, de Obedientia, ibi : « Mox ut aliquid imperatum a majore fuerit, ac si divinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo. »

6. « Monachus non jam timore gehennæ, sed amore Christi et consuetudine ipsa bona et delectatione virtutum, quæ Dominus jam in operario suo, mundo a vitiis et peccatis, Spiritu sancto dignabitur demonstrare. » Cap. VII Regulæ S. Benedicti.

7. « Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?... Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. » Rom. VIII, 35, 37, etc.

De probatione veri amatoris.

CAPITULUM 6um.

I. Fili, non es adhuc fortis et prudens amator.

Quare, Domine? Quia modicam propter contrarietatem deficis, accipis[1] et nimis avide consolationem quæris.

Fortis amator stat in tentationibus, nec callidis credit persuasionibus inimici.

Sicut in prosperis ei placeo, ita nec in adversis displiceo[2].

II. Prudens amator non tam donum amantis, quam dantis considerat amorem.

Affectum potius attendit, quam censum[3], et infra dilectum omnia data ponit.

Nobilis amator non quiescit in dono, sed in me super omne donum.

Non ideo perditum totum, si quandoque minus bene de me, vel de sanctis meis sentis, quam velles.

Affectus ille bonus et dulcis, quem interdum percipis, effectus gratiæ[4] præsentis est, et quidam prægustus patriæ cælestis, super quo non nimium innitendum est, quia vadit et venit.

Certare autem adversus incidentes malos motus animi, suggestionemque[5] spernere diaboli, insigne est virtutis et magni meriti.

1. *Deficis a cœptis* ubique legitur: *accipis* refertur hocce loco ad consolationes; *ab inceptis* legimus in cod. Allatii.

2. « Omni tempore diligit, qui amicus est. » Prov. XVII, 17.

3. Valart edidit *sensum*, attamen in omnibus pervetustis editionibus *censum*, cujus synonyma sunt *proventus*, *reditus*, legitur uti etiam in Homilia 5 nostri patroni S. Gregorii Magni in Evangelia.

4. *Affectus gratiæ* legitur in codd. Bob., Cav., Allat., in edit. Mediolanensi 1488, et Lugdunensi 1608, uti et P. Chifflet in sua editione, attamen Gence nobis convenit.

5. *Suggestionesque* scripsere Gence,

Non ergo te conturbent alienæ phantasiæ[1] de quacumque materia ingestæ.

Forte serva propositum, et intentionem rectam ad Deum[2].

Non est[3] illusio, quod aliquando in excessum subito raperis et statim ad ineptias[4] solitas cordis reverteris.

Illas enim magis invite pateris quam agis, et quamdiu displicent, et reniteris, meritum est et non perditio.

IV. Scito, quod antiquus hostis[5] omnino nititur impedire desiderium tuum in bono, et ab omni devoto exercitio evacuare, a Sanctorum cultu, a pia passionis meæ memoria, a peccatorum utili recordatione, a proprii cordis custodia, et a firmo proposito proficiendi in virtute.

Multas malas cogitationes ingerit, ut tædium tibi faciat et horrorem[6], et ab oratione revocet et sacra lectione.

Displicet sibi humilis confessio et, si posset, a sacra communione cessare faceret.

Nec credas ei neque cures illum, licet tibi sæpius deceptionis tenderit laqueos.

Sibi imputa, cum mala ingerit[7] et immunda. Di-

Caietanus et Valgravius, sed Enriquez, codd. Cav., Bob. atque editor. 1488 et 1608 concordant cum nostra lectione.

1. *Phantasiæ*, sunt visiones juxta Suidam. « Cor tuum phantasias patitur. » Ecclesiastes, XXXIV, 6.

2. Scripserat amanuensis *in Deum*; dein correxit in margine.

3. *Nec est illusio* Gence, Enriquez, Valgravius, Elzevirius et editores 1488, 1608; attamen Delfau nobis convenit, dum Caietanus juxta codicem Aronensem scripsit: *Nec est illusio, quod aliquando in excelsum subito rapiaris* etc.

4. *Inemptias*: notanda hæc orthographia nostri codicis, quæ est sæculi XIII, corruptæ latinitatis a vulgari nascente lingua.

5. *Inimicus* in omnibus editionibus, at *hostis* sæpe legitur in S. Bibl. ubi hæ voces promiscue sumuntur.

6. *Et horrorem, ut ab oratione*; sic Gence et alii contra nostram lectionem in qua sensus est continuatus.

7. *Mala inserit* in edit. Genceana,

cito illi : Vade, immunde spiritus[1], erubesce miser; valde immundus es tu, qui talia infers auribus meis[2].

Discede a me, seductor pessime; non habebis in me partem ullam, sed Jesus mecum erit, tanquam bellator fortis, et tu stabilis[3] confusus[4].

Malo mori, et omnem pœnam subire, quam tibi consentire.

Tace[5], et obmutesce[6]; non audiam te amplius, licet mihi plures moliaris molestias.

Dominus illuminatio mea, et salus mea : quem timebo[7]? Si consistant adversum[8] me castra, non timebit cor meum[9]. Dominus adjutor meus[10] et redemtor meus[11].

v. Certa tanquam miles bonus[12]; et si interdum ex fragilitate corruis, resume vires fortiores prioribus, confidens de ampliori gratia mea[13], et multum præcave a vana complacentia et superbia.

sed codices Cavensis, Bobiensis, editiones 1488, 1608 et aliæ nobis consonant; Elzevirius scripsit *tibi imputat cum mala inserit*, ast Delfau accuratius edidit *ipsi imputa* etc.

1. « Vade, Satana. » Matth. IV, 10. — « Exi, spiritus immunde. » Marc. V, 8.

2. *Auribus meis. Quod tibi et in immonde spiritus. Discede* etc., hæc adjecta fuere in cod. Bob.

3. *Stabis confusus* in omnibus codicibus et editionibus. Fatemur hoc loco errasse amanuensem, sed nostrum est fideliter transcribere codicem, ut eruditi judicent.

4. « Dominus autem mecum est, quasi bellator fortis, idcirco qui persequuntur me... confundentur vehementer. » Jerem. XX, 11.

5. *Tace igitur et obmutesce, desine loqui, canis immonde, non audiam te* etc., sic in codice Bobiensi.

6. « Et dixit mari : Tace, obmutesce. » Marc. IV, 39.

7. « Dominus illuminatio mea, et salus mea : quem timebo ? » Psalm. XXVI, 1.

8. *Adversus* : ita Gence, Enriquez, dum cæteri scripserunt juxta nostrum codicem et Psalmum XXVI.

9. « Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. » Psalm. XXVI, 3.

10. In nonnullis codicibus glossatores addiderunt intermediam Psalmistæ sententiam : *Domine protector vitæ meæ, a quo trepidabo ?*

11. « Domine adjutor meus et redemtor meus. » Psalm. XVIII, 15.

12. « Labora sicut bonus miles Christi. » II Tim. II, 3.

13. « Adjutorium casus, exaltans animam. » Eccl. XXXIV, 20.

Propter hoc multi in errorem ducuntur, et in cecitatem pæne incurabilem quandoque labuntur.

Sit tibi in cautelam et perpetuam humilitatem ruina hæc superborum et de se stulte præsumentium [1].

De occultanda gratia sub humilitatis custodia.

CAPITULUM 7um.

I. Fili, utilius est tibi et securius devotionis gratiam abscondere nec in altum te efferre, nec multum inde loqui, neque multum ponderare, sed magis teipsum despicere, et tanquam indigno datam timere.

Non est huic affectioni tenacius [2] inhærendum, quæ citius potest mutari in contrarium.

Cogita quam miser in gratia, et inops esse soles sine gratia.

Nec est [3] in eo tantum spiritualis vitæ profectus, cum consolationis habueris gratiam, sed cum humiliter et abnegate patienterque tuleris ejus subtractionem. Ita quod tunc ab orationis studio non torpeas, nec reliqua opera tua ex usu facienda omnino dilabi permittas, sed sicut potueris melius et intellexeris, libenter quod est in te facias, nec propter ariditatem sive anxietatem mentis quam sentis te totaliter negligas.

II. Multi enim sunt qui, cum non bene eis successerit, statim impatientes fiunt aut desides.

1. « Stultorum corda in eorum sunt ore, et contra sapientum os in corde est. » Eccles. XXI, 23.

2. *Tenatius* loco *tenacius*, *cicius* loco *citius* offendimus in nostro Ms. et in Bobiensi codice, uti in pervetustis jam citatis archivi regiæ rationalium curiæ Taurini legitur chartis ab anno 1264 ad 1314.

3. *Non est* scripsit Gence, addens quod in codice Augustano legitur *nec est spiritualis*, absque adverbio; sed codd. Cav. et Boh. concordant cum nostro Ms.

Non enim [1] semper est in potestate hominis via ejus [2], sed Dei est dare et consolari, quando vult et quantum vult, et cui vult, sicut sibi placuerit, et non amplius.

Quidam incauti propter devotionis gratiam se ipsos destruxerunt [3], quia plus agere voluerunt quam potuerunt [4], non pensantes suæ parvitatis mensuram sed magis cordis affectum sequentes, quam rationis judicium.

Et quia majora præsumserunt, quam Deo placitum fuit, idcirco gratiam perdiderunt cito [5], et facti sunt inopes, et viles relicti, qui in cælum posuerant nidum sibi [6]: ut humiliati et depauperati discant non in alis suis volare, sed sub pennis meis sperare [7].

Qui adhuc novi sunt et imperiti in via Domini, nisi consilio discretorum [8] se regant, faciliter decipi possunt et illudi [9].

III. Quod si sentire suum magis sequi, quam aliis

1. Gence allegat adverbium *enim* fuisse prætermissum in pluribus editionibus Italicis quod ita non est in illis Caietani, in edit. 1498, 1697, neque in cod. Padolir., Bob. ac Cav.

2. « Non est hominis via ejus. » Jerem. x, 23.

3. « Si præsumpserit cum abbate suo contendere, regulari disciplinæ subjiciatur. » Cap. 3 Regul. S. Bened. — Sed hoc in loco agitur de flagellatione devotionis gratia, de qua uti improbata loquitur S. Damianus, lib. v.

4. Hæc omnia ex regula S. Benedicti fuerunt deprompta; enimvero in capit. 48 legimus: « Fratribus infirmis vel delicatis talis opera aut ars injungatur, ut nec otiosi sint nec violentia laboris opprimantur »

5. *Idcirco gratiam cito perdiderunt. Facti sunt inopes* etc. Gence et alii, sed hoc loco sensus continuatus videtur uti in cod. Bob. et Padolir.

6. « Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum. » Abdias IV, 4.

7. « Sub pennis ejus (Dei) sperabis. » Psalm. XC, 4.

8. Juxta Regulam S. Benedicti: « Si aliquid deliquerit senioribus patefaciat. » Cap. XLV. — « Senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eum omnino intendat et sollicitus sit. » Cap. LVIII.

9. *Et elidi*, ita Gence, Enriques, Delfau, Elsevirius, Caietanus, Valgravius et alii, at in editione 1608 legimus *eludi*, quod magis consonum est veræ lectioni.

exercitatis credere volunt, erit eis periculosus exitus, sed tamen retrahi a proprio conceptu non valuerint[1].

Raro sibi ipsis sapientes[2], ab aliis regi humiliter patiuntur.

Melius est modicum sapere cum humilitate, et parva intelligentia quam magni scientiarum thesauri cum vana complacentia[3].

Melius est minus habere, quam multum, unde posses[4] superbire.

Non satis discrete agit, qui se totum lætitiæ tradidit[5], obliviscens pristinæ inopiæ suæ, et casti timoris Domini, qui non timet[6] gratiam oblatam amittere[7].

Non etiam satis virtuose sapit, qui tempore adversitatis et cujuscumque gravitatis nimis desperate se gerit, et minus fidenter de me, quam oportet, cogitat[8] ac sentit.

IV. Qui tempore pacis nimis securus esse voluerit, sæpe tempore belli nimis dejectus et formidolosus reperietur.

Si scires semper humilis et modicus in te permanere necnon spiritum tuum bene moderare et re-

1. *Si tamen retrahi a proprio conceptu noluerint* elideruut Gence, Enriquez, editor 1488, Valgravius, Elzevirius; sed cod. Bob. et Cav., Delfan, Caietanus, et editores 1608 et 1697 nobis consonant.

2. « Non sitis vobis ipsis sapientes » Rom. XI, 25.

3. « Melior est homo, qui minuitur sapientia, et deficiens sensu in timore, quam qui abondat sensu, et transgreditur legem Altissimi. » Eccl. XIX, 21.

4. *Unde posses:* sic Gence, Enriquez, Caietanus et alii; sola editio 1608 et cod. Bob. non distant a nostro Ms.

5. *Tradit* in omnibus lectionibus.

6. *Domini, qui timet* scripsere Gence, Enriquez, Caietanus et alii, sed pronomen refertur ad *hominem qui non timet* etc., quod demonstrat opportune hic positam esse particulam negantem.

7. S. Bernard Serm. 1 post Octav. Epiph. n. 5.

8. *Recogitat:* ita Gence, Enriquez et alii; attamen legimus *me cogitat et sentit* in cod. Allatiano. *Cogitat ac sentit* in cod. Padolir., ubi super linea addidit *re* alter amanuensis.

gere, non incideres tam cito in periculum et offensam.

v. Consilium bonum est ut fervoris spiritu concepto mediteris quid futurum sit abscedente lumine. Quod dum [1] contigerit, recogita, ac denuo lucem posse reverti [2], quam ad cautelam tibi, mihi autem ad gloriam, ad tempus subtraxi. Utilior enim est sæpe [3] talis probatio, quam si semper prospera pro tua haberes voluntate.

Nam merita non sunt ex hoc extimanda, si quis plures visiones aut consolationes habeat, vel si peritus sit in Scripturis, aut in altiori gradu ponatur: sed si fuerit vera humilitate [4] fundatus, et divina charitate repletus; si Dei honorem pure et integre semper quærat, si se ipsum nihil reputet, et in veritate despiciat atque ab aliis etiam despici et humiliari magis gaudeat quam honorari [5].

De vili exstimatione [6] sui ipsius in oculis Dei.

CAPITULUM 8um.

1. Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis [7]?

1. *Lumine. Quod dum* ediderunt Gence, Enriquez, aliique; nobis videtur sensus esse continuatus ut in codd. Bob. et Padolir.

2. « Rursus post tenebras spero lucem. » Job. XVII, 12.

3. *Subtraxit. Utilior est sæpe* Gence, aliique, sed adverbium *enim* legimus in cod. Bobiensi, Padolir., in editionibus 1488, 1608, in illis Caietani, Delfau et Valgravii.

4. Hæc omnia deprompta fuerunt a cap. VII, de humilitate, Regul. S. Benedicti, ibi: « Linguam ad loquendum prohibeat Monachus et taciturnitatem habens usque ad interrogationem non loquatur, monstrante Scriptura. »

5. *Gaudeat quam honorari, quam magnificari;* ita in cod. Bob.

6. *Æstimatione* scripsere Gence, Enriquez et alii; nos censemus *exstimatione* esse vocabulum vulgaris idiomatis sæculi XIII. Vox vero *existimatio* ut facilior pronunciationi ita puriori latinæ linguæ usui aptior videtur, quod a lectione codicum Bobiensis atque Cav. confirmatur.

7. Genes. XVIII, 27: « Cum sim pulvis et cinis, ait Abraham. »

Si me amplius reputavero, ecce tu stas contra me [1]; et dicunt te testimonium verum iniquitates meæ nec possum contradicere.

Si autem me vilificavero et ad nihilum me redegero [2], et ab omni propria reputatione defecero, atque sicut sum spulverizavero [3] erit, mihi propitia gratia tua, et vicina cordi meo lux tua, et omnis exstimatio, quantulacumque minima, in valle nihilitatis meæ submergetur, et peribit in æternum.

Ibi ostendes me mihi [4], quid sum, quid fui, et de quo veni, quia nihil sum [5] et nescivi [6].

Si mihi ipsi relinquor, ecce nihil, et tota infirmitas; si autem subito me respexeris, statim fortis efficior, et novo repleor gaudio.

Et mirum valde quod sic repente sublevor, et tam benigne a te complector, qui proprio pondere semper ad ima feror.

II. Facit hoc amor tuus gratis [7] præveniens me, et in tam multis subveniens necessitatibus, a gravibus quoque custodiens me periculis, et ab innumeris, ut vere dicam, eripiens malis.

Me siquidem male [8] amando perdidi [9]; et te solum

1. « Tu stares contra me. » Num. XXII, 34.

2. *Ad nihilum redegero* : ita Gence et alii, attamen repetitio prænominis nobis arridet.

3. *Pulverizavero*. Ita Gence, subdens non esse vocabulum italicum, uti Caietanus allegat. Aliena prorsus ea vox non videtur a quibusdam latinæ linguæ scriptoribus, qui ea utebantur ad res in pulverem redactas significandas. Vox *spulverizavero* in nostro codice ejus antiquitatem denotat, cum a vocabulo italo *spolverizzare* derivatur, et corruptæ linguæ latinæ præbet argumentum.

4. « Dominus.... ostendere voluit me ipsum mihi. » S. Augustin. Ep. 21, n. 2, nov. ed.

5. *De quo deveni* Gence, Delfau, Elzevirius; cæteri codices conveniunt nobis.

6. « Ad nihilum redactus sum, et nescivi. » Ps. LXXII, 22.

7. In codice Gerardimontis *amor tuus gratus* legitur.

8. *Male amando me*. Ita Gence, Enriquez et alii; sola editio 1608 convenit nobiscum.

9. « Qui amat animam suam, per-

quærendo et pure amando me et te pariter inveni, atque ex amore profundius ad nihilum me redegi.

Quia tu, o Dulcissime, facis mecum supra meritum omne et supra id quod audeo [1] sperare vel rogare.

III. Benedictus sis Deus meus[2], quia licet ego omnibus bonis indignus sim, tua tamen nobilitas et infinita bonitas nunquam cessat benefacere etiam ingratis, et longe a te aversis[3].

Converte nos[4] ad te, ut simus grati, humiles, devoti, quia salus nostra[5] es tu, virtus[6] et fortitudo nostra[7].

Quod omnia ad Deum sicut ad finem ultimum sunt referenda.

CAPITULUM 9um.

I. Fili, ego debeo esse finis tuus supremus[8].

Ex hac intentione purificabitur affectus tuus, sæpius ad se ipsum, et ad creaturas male incurvatus.

Nam si te ipsum in aliquo quæris, statim in te deficies et arescis.

det eam. » Joan. XII, 25. « Si male amaveris (animam tuam), tunc odisti: si bene oderis, tunc amasti: Felices, qui oderunt custodiendo, ne perdant amando. » S. August. Tract. 51 in Joan.

1. *Audeam* scripsit Genee et Delfau; cæteri non dissonant a nostra lectione, quæ fluens magis videtur.

2. « Benedictus Deus meus. » Psalm. XVII, 47, et alibi.

3. « Qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. » Matth. V, 45.

4. « Deus converte nos. » Psalm. LXXIX, 4, et alibi.

5. « Domine .... salus nostra in tempore tribulationis. » Isai. XXXIII, 2.

6. « Deus noster refugium, et virtus. » Psalm. XLV, 2.

7. « Quia tu es Deus fortitudo mea. » Psalm. XLII, 2.

8. *Supremus et ultimatus si vere desideras esse beatus.* Ita in omnibus editionibus, sed hæc a glossatore adjecta adparent, nam si Deus vult esse finis supremus *filii sui*, vel *sui discipuli*, tunc iste certe erit beatus. Quod pluris est, vocabulum *ultimatus* non reperitur in lexicis, dum *supremus*, *ultimus*, *extremus*, etc. sunt synonyma.

Omnia ergo ad me principaliter referas qui omnia sum [1], qui omnia dedi.

Sic singula considera sicut ex summo bono manantia. Et ideo ad me tanquam ad originem suam cuncta sunt referenda [2].

II. Ex me pusillus et magnus, pauper et dives [3], tanquam ex fonte vivo aquam hauriunt vivam [4]. Et qui mihi sponte et libere deserviunt, gratiam, pro gratia accipient [5].

Qui autem extra me voluerit gloriari vel in aliquo privato bono delectari, non stabilietur in vero gaudio, nec in corde suo dilatabitur, sed multipliciter impedietur et angustiabitur [6].

Nihil ergo tibi de bono adscribere debes, nec alicui homini virtutem attribuas [7], sed totum da Deo, sine quo nihil habet homo [8].

Ego totum dedi, ego totum rehabere volo, et cum magna districtione gratiarum actiones requiro [9].

III. Hæc est veritas qua fugatur gloriæ vanitas.

Et si intraverit cælestis gratia [10] et vera charitas,

1. *Quia ego sum qui.* Ita Genev, Enriquez, editio 1488 et aliæ; attamen melior est nostra lectio, quæ consonat cum S. Benedicti prologo ibi : « Qui timentes dominum de bona observantia sua non se reddunt elatos » etc.

2. *Omnia sunt reducenda* Enriquez et alii.

3. « Pusillos, et magnos; divites, et pauperes. » Apoc. XIII, 16.

4. « Sitienti dabo de fonte aquæ vivæ. » Apoc. XXI, 6. « Aperi.... fontem aquæ vivæ. » Num. XX, 6. « Dedisset tibi aquam vivam. » Joan. IV, 10.

5. « De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia » Joan. I, 16.

6. « Cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris. » II Cor. VI, 11. 12, et alibi.

7. « Bonum aliquid in se cum viderit, Deo applicet, non sibi. » Cap. IV Regulæ S. Benedicti.

8. « Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? » I Cor. IV, 7. « Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de Cœlo. » Joan. III, 27.

9. « In omnibus gratias agite : hæc est enim voluntas Dei. » I Thess. V, 18.

10. « Rogemus Dominum ut gratia

non erit aliqua invidia, nec contractio cordis, neque privatus amor occupabit.

Vincit enim omnia divina charitas, et dilatat omnes animæ vires.

Si recte sapis, in me solo gaudebis [1], in me solo sperabis [2], quia nemo bonus nisi solus Deus [3], qui est super omnia laudandus, et in omnibus benedicendus.

Quod spreto mundo dulce est servire Deo [4].

CAPITULUM 10um.

1. Nunc iterum loquar, Domine, et non silebo [5]. Dicam in auribus Dei mei, et Regis mei qui est in excelso [6].

O, quam magna [7] est multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te [8].

Sed quid es amantibus te [9]? Quid toto corde tibi servientibus?

Vere ineffabilis dulcedo contemplationis tuæ, quam largiris amantibus te.

In hoc maxime ostendisti dulcedinem [10] charitatis

sua jubeat nobis adjutorium ministrari. » Ita in prologo Regulæ S. Benedicti.

1. « Gaudete in Domino semper. » Philip. IV, 4.

2. Spera in Deo tuo semper. » Oseæ XII, 6.

3. Luc. XVIII, 19, ibi : « Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus. »

4. *Dulcis est.* Ita Enriquez et alii; genus neutrum in voce *dulce* rectius consonare cum latinæ linguæ proprietate cernet quisque in romanis scriptoribus versatus.

5. « Loqueris, et non silebis. » Ezech. XXIV, 27.

6. « Dei mei, Regis mei, qui est in Sancto. » Ps. LXVII, 25.

7. *Magna multitudo.* Ita in omnibus editionibus juxta textum Psalmistæ, sed noster auctor semper aliquid adjecit vel prætermisit, ut lectionem sibi attribueret.

8. Ps. XXX, 20. « Quam magna multitudo » etc.

9. *Sed quid es amantibus? Quid* etc. scripsere Gence, Enriquez et alii, exceptis Cajetano et editore 1697, qui nobis cohærent.

10. *Ostendisti mihi dulcedinem.* Ita Gence, Enriquez et edit. 1488,

tuæ, quia cum non essem, fecisti me [1], et cum errarem longe a te, reduxisti me [2], ut servirem tibi, et præcepisti ut diligam te [3].

II. O, fons amoris perpetui, quid dicam de te? Quomodo potero tui oblivisci, qui mei recordari dignatus es? Et postquam [4] contabui, et perii, fecisti ultra omnem spem misericordiam cum servo tuo [5], et ultra omne meritum gratiam et amicitiam exhibuisti.

Quid retribuam tibi pro gratia ista? Non enim omnibus datum est, ut omnibus abdicatis sæculo renuntient, et monasticam [6] vitam assumant.

Nonquid [7] non magnum est ut tibi serviam, cui omnis creatura servire tenetur [8]?

Non magnum mihi [9] videri debet? Sed potius hoc mihi magnum et admirandum paret, quod tam pauperem et indignum dignaris in servum recipere, et dilectis servis tuis adunare [10].

III. Ecce omnia tua sunt [11] quæ habeo, et unde tibi servio.

Verumtamen vice versa tu mihi magis servis, quam ego tibi.

1608. Cæteri codices ac Elzevirius ipse concordant cum nostro Ms.

1. « Manus tuæ fecerunt me. » Job. x, 8.

2. « Abiit vagus in via cordis sui... et reduxi eum. » Isai. LVII, 17. 18.

3. « Præcipio tibi ut diligas Dominum. » Deuter. XIX, 9.

4. *Qui mei dignatus es recordari etiam postquam contabui et perii? Fecisti ultra omnem spem* Enriquez, Gence, Caietanus et alii; solus Cav. codex et editiones 1488, 1608 accedunt ad nostram lectionem.

5. « Bonitatem fecisti cum servo tuo. » Ps. CXVIII, 65.

6. « Abnegare semetipsum sibi ut sequatur Christus. » Capit. IV ex Regula Sancti Benedicti.

7. *Numquid magnum.* Ita Enriquez, Gence, Cajetanus et alii. *Non quidem* legimus in cod. Bob.

8. « Tibi serviet omnis creatura tua. » Judith. XVI, 17.

9. *Non magnum mihi videri debet servire tibi, sed hoc potius magnum mihi et mirandum apparet.* Ita in fere omnibus lectionibus, sed nostra lectio melior videtur, apposita interrogatione.

10. *Adjuvare* legitur in edit. 1488. Observat hic Valgravius quod auctor fatetur se monasticam vitam amplexum esse.

11. « Tua sunt omnia. » 1 Paralipom. XXIX, 14, et alibi.

Ecce cælum et terra, quæ in ministerio hominis creasti [1], præsto sunt et faciunt quotidie quæcumque mandasti.

Et hoc parum est : quin etiam Angelos [2] in ministerio hominis creasti et [3] ordinasti [4].

Transcendit autem hæc omnia, quod tu homini servire dignatus es [5], et te ipsum daturum promisisti [6].

IV. Quid dabo tibi pro [7] istis millibus bonis? Utinam possem tibi servire cunctis diebus vitæ meæ. Utinam vel uno die dignum servitium exhibere sufficerem.

Vere tu es dignus omni servitio, omni honore et laude æterna.

Vere Dominus meus es, et ego pauper servus tuus, qui totis viribus teneor servire tibi, nec unquam in laudibus tuis debeo fastidire.

Sic volo, sic desidero, et quidquid mihi deest, tu digneris supplere.

V. Magnus honor, magna gloria tibi servire, et omnia [8] per te, propter te contemnere.

Habebunt enim gratiam magnam, qui sponte se

1. « Videas Solem, et Lunam, et omnia astra Cœli.... quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus. » Deuter. IV, 19.

2. « Ab Angelis nobis deputatis quotidie Domino opera nostra nuntiantur. » Cap. 7 Regul. S. Benedicti.

3. « Nonne omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis ? » Hebr. I, 14. Vid. S. Augustin. Soliloq. cap. 27.

4. *In ministerium hominis ordinasti.* Ita Gence, Enriquez, Elzevirius et Deifau, cæteri codices nobis arrident. Contra ipsius Gence opinionem fateor ibi aptius quoad Angelos adhibitam acceptionem verbi *creasti.*

5. « Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. » Matth. XX, 28.

6. « Juravit.... daturum se nobis. » Luc. I, 73.

7. *Pro omnibus istis miliibus etc.* Enriquez, Gence et alii ; attamen, dum enumerantur bona, nobis adparet inutile vocabulum *omnibus.*

8. *Et omnia propter te.* Sic Enriquez, Gence, editio 1488 et alii attamen nostra lectio magis est auctoris menti congrua.

subjecerint tuæ sanctissimæ servituti [1], et invenient suavissimam Spiritus Sancti consolationem.

Consequentur magnam cordis [2] libertatem, qui pro nomine tuo arctam ingrediuntur viam [3], et omnem mundanam neglexerint curam.

VI. O, grata et jucunda Dei servitus [4], qua homo veraciter efficitur liber et sanctus.

O, sacer status religiosi famulatus, qui hominem Angelis reddit æqualem, Deo placabilem, dæmonibus terribilem, et cunctis fidelibus commendabilem.

O, amplectendum et semper optandum servitium, quo promeretur summum bonum, et gaudium promeretur [5] sine fine permansurum.

Quod desideria cordis examinanda sunt et moderanda.

CAPITULUM XI^um.

I. Fili, oportet te adhuc multa discere [6], quæ necdum bene didicisti.

Quæ sunt hæc, Domine?

Ut desiderium tuum ponas totaliter secundum

1. *Servituti. Invenient suavissimam Spiritus sancti consolationem qui pro amore tuo omnem carnalem abjecerint delectationem.* Hæc omnis a glossatore Gersone vel ab alio fuerunt adjecta, quæ non legimus in codd. Bob., Padolir. et edit. 1488.

2. *Magnam mentis*, ita cod. Allatii, Genca et alii, dum cod. Bob. et Cav. et editiones 1488, 1608 nobis consonant: *magnam spiritus libertatem* in cod. Bobiensi.

3. « Arcta via est, quæ ducit ad vitam. » Matth. VII, 14.

4. « Jugum meum suave est et onus meum leve. » Matth. XI, 30.

5. *Gaudium acquiritur sine fine mansurum* legitur in pluribus editionibus; *gaudium promittitur* in aliis: Delfau, Cajetanus, Valgravius scribunt *permansurum* uti in cod. Cavensi dignoscitur.

6. *Multa addiscere* in pluribus editionibus, in codd. Bob. et Allatiano: attamen Cavensis cod. a nostro non distat.

beneplacitum meum [1], et tui ipsius amator non sis: sed meæ voluntatis cupidus [2] amator et æmulator.

Desideria te sæpe accendunt, et vehementer impellunt; sed considera [3] an propter meum, an propter honorem tuum vel commodum magis movearis.

Si ego sum in causa, bene contentus eris quomodocumque ordinavero. Si autem de proprio quæstu aliquid latet, ecce hoc est quod te impedit et gravat.

II. Cave ergo ne nimium innitaris super desiderio præconcepto, me non consulto, ne forte postea pæniteat [4] et displiceat quod primo placuit, et quasi pro meliore zelasti.

Non enim omnis affectio, quæ videtur bona, statim est sequenda: sed neque omnis contraria affectio ad primum fugienda.

Expedit interdum refrænatione uti, etiam in bonis studiis et desideriis [5], ne per importunitatem mentis distractionem incurras, ne aliis per indisciplinationem scandalum generes, vel etiam per resistentiam aliorum subito turberis et corruas.

III. Interdum [6] vero oportet violentia uti, et viriliter appetitui sensitivo contraire [7], nec advertere quid

1. « Secundum beneplacitum ejus quod proposuit. » Ephes. I, 9.

2. *Cupidus æmulator*, ita Gence, Enriquez, Delfau et alii, sed nobis assentiunt editores 1488, 1608, Valgravius, Caietanus atque codd. Boh., Padolir. et Cavensis.

3. *Sed considera an propter honorem meum an propter tuum commodum*, sic legitur in omnibus editionibus, attamen nostra lectio magis ad autographum accedit ac cum perantiquo Bob. cod. concordat.

4. *Pœniteat aut displiceat* scripsere Gence, Enriquez, Elzevirina; cæteri ac præcipue codices Boh., Padolir. et Cav. concordant cum nostro Ms.

5. Ex capitulo VIII Regulæ S. Benedicti dignoscitur quod monachi ad studium psalterii, sacræ scripturæ et patrum incumbebant post matutinum, et laudes, uti Calmet nobiscum opinatur.

6. Hæc periodus usque ad *Et tam diu* prætermissa fuit in cod. Allatii. Enumerantur V articuli in ed. Genc., dum Vallart variat capitum computationem.

7. « Regnum Cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. » Matth. XI, 12.

velit caro, et quid non velit; sed hoc magis satagere ut subjecta sit etiam nolens spiritui [1], et tamdiu castigari debet et cogi servituti subesse [2], donec parata sit ad omnia, paucisque contentari discat, et simplicibus delectari nec contra aliquod inconveniens murmurare [3].

De informatione patientiæ, et luctamine adversus concupiscentias.

CAPITULUM 12um.

1. Domine Deus, ut audio [4], patientia est mihi valde necessaria [5]. Multa enim in hac vita accidunt contraria.

Nam qualitercumque ordinavero de pace mea, non potest esse sine dolore et bello [6] vita mea [7].

Ita est, fili. Non enim volo [8] te talem quærere pacem, quæ tentationibus careat, aut contraria non sentiat; sed tunc etiam te extimare pacem invenisse, cum tu fueris variis tribulationibus exercitatus, et in multis contrarietatibus probatus.

1. *Spiritui. Et tam diu :* hæc est interpunctio Genceana, non consentanea codd. Padolir. et Bobiensi.

2. « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo. » 1 Corinth. IX, 27. Juxta Apostoli sententiam, in Regula S. Benedicti legitur « disciplinæ regulari subjaceat. » Cap. III. Vide *Historiam flagellantium :* Petrus Damianus, lib. V, cap. 8.

3. *Mussitare* scripsere Gence, Elzevirius, Enriquez juxta cod. Allatii, ast cæteri omnes non dissonant a nostro codice.

4. *Ut video* scripsit Gence, Enriquez, Elzevirius, Valgravius, Valart ac Delfau, sed codd. Bob., Cav., Padolir. et editiones 1488, 1608 atque Caietanus nobis arrident.

5. « Patientia enim vobis necessaria est. » Hebr. X, 36.

6. « Militia est vita hominis super terram. » Job. VII, 1.

7. « In dolore vita mea et anni mei in gemitibus. » Psalm. XXX, 11.

8. *Sed volo te non talem.* Ita juxta cod. Allatii scripsere Gence, Enriquez, et Elzevirius; cæteri, ut cod. Bob. et Cav. et editor 1488, conveniunt nobis.

II. Si dixeris te non multa posse pati, quomodo tunc sustinebis[1] ignem purgatorii?

De duobus malis semper minus[2] tamen est eligendum : ut ergo æterna futura supplicia possis evadere, mala præsentia studeas pro Deo æquanimiter tolerare.

An putas quod homines sæculi hujus nihil, aut parum patiantur? Nec hoc invenies, etiamsi delicatissimos quæsieris.

Sed habent, inquies, multas delectationes, et proprias sequuntur voluntates[3]: ideoque parum ponderant suas tribulationes.

Esto quod ita sit, quod[4] habeant quidquid voluerint, sed quamdiu putas durabit?

III. Ecce quemadmodum fumus deficient in sæculo abundantes, et nulla erit recordatio[5] præteritorum gaudiorum.

Sed et cum adhuc vivunt, non sine amaritudine et tædio ac timore in eis quiescunt. Ex eadem namque re, unde delectationem concipiunt, sibi inde doloris pœnam frequenter recipiunt[6].

Juste illis fit ut[7] quia inordinate delectationes quærunt et sequuntur, non sine amaritudine et confusione eas expleant.

IV. O, quam breves, quam falsæ, quam inordinatæ, et turpes omnes sunt[8].

1. Purgatorii habetur mentio in cap. XII, 43 et 46 Maccabæorum II. Conc. Trid. sess. 25, Decr. de Purgat.

2. *Minus est semper eligendum* scribunt Gence, Enriquez et alii. *Semper minus malum* in codd. Bob. et Cav.

3. *Voluntates, agunt quod volunt, dicunt quod cupiunt, juxta posse suas exequuntur voluntates ideo parum* etc. Hæc legimus in cod. Bob.

4. *Esto ita sit, ut habeant quidquid.* Ita Gence, Valgravius, Elzevirius et alii; edit. 1488 et 1608, et codd. Bob. et Cav. nobis adhærent.

5. « Ecce..... abundantes in sæculo. » Psalm. LXXII, 12. — « Quemadmodum fumus deficient. » Psalm. XXXVI, 20, et alibi.

6. « Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur. » Sap. XI, 17.

7. Amanuensis postea correxit *et*.

8. « Humanæ vitæ brevitas da-

Verumtamen [1] præ ebrietate et cæcitate non intelligunt, sed velut muta animalia [2], propter modicum corruptibilis vitæ [3] delectamentum, mortem animæ incurrunt.

Tu ergo, fili, post concupiscentias tuas non eas: et a voluntate tua avertere [4]; delectare [5] in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui [6].

v. Etenim si veraciter vis delectari, et abundantius a me consolari, ecce in contemtu omnium mundanorum, et in abscissione omnium infimarum [7] delectationum erit benedictio tua [8], et copiosa tibi reddetur consolatio.

Et quanto plus te ab omni creaturarum solatio subtraxeris, tanto in me suaviores et potentiores consolationes invenies.

Sed primo non sine quadam tristitia et labore certaminis ad has pertinges.

Obsistet inolita consuetudo, sed meliori consuetudine devincetur [9].

Remurmurabit caro, sed fervore spiritus frænabitur.

Instigabit [10] te et exacerbabit serpens [11] antiquus

mnatio delictorum est. » Epistola Hieronymi ad Paulum.

1. *Veruntamen illi præ ebrietate*. Ita Enriquez, Delfau, Valgravius, sed ipse Gence et cæteri nobis assentiuntur.

2. « Hi.... tamquam muta animalia. » Ep. Beati Judæ, vers. 10.

3. « Propter modicum corruptibilis vitæ tempus » etc. II Maccab. VI, 25.

4. « Post tuas non eas concupiscentias » etc. Eccl. XVIII, 30.

5. *Avertere. Delectare in Domino* Gence et alii, sed codex Bobiensis nostram sequitur interpunctionem.

6. « Delectare » etc. Psalm. XXXVI, 4.

7. *Infirmarum delectationum* scripsere Enriquez, cod. Bob. et editores 1608 et 1697. Cæteri vero et codd. Padol. et Cav. nobis conveniunt.

8. « Erit benedictio tua, vives in gaudio » etc. Genes. XXVII, 40.

9. Jam diximus hunc fuisse tractatum scholasticum ethicæ moralis: id toto hoc capitulo comprobatur.

10. « Juventutem qui sine fructu præteriit, saltem in senectute resipiscat. » Gregorius in Evangelia.

11. « Serpens antiquus, qui vocatur Diabolus. » Apoc. XII, 9.

sed oratione fugabitur[1], insuper et labore utili aditus ei magnus obstruetur.

De obedientia humilis subditi, ad exemplum Jesu Christi.

CAPITULUM 13um.

1. Fili, qui se subtrahere nititur ab obedientia[2], ipse se subtrahit a gratia et qui quærit habere privata, amittit communia[3].

Qui non libenter, et sponte suo superiori se subdit : signum est quod caro sua nondum perfecte sibi obedit, sed sæpe recalcitrat[4] et murmurat.

Disce ergo celeriter superiori tuo te submittere,[5] si carnem propriam optas subjugare.

Citius namque exterior vincitur inimicus, si interior homo non fuerit devastatus.

Non est molestior et pejor animæ hostis[6], quam tu ipse tibi, non bene concordans spiritui.

Oportet enim te verum assumere tui ipsius contemtum, si vis prævalere adversus carnem, et sanguinem, quia adhuc nimis inordinate te diligis[7] :

1. « Non ejicitur nisi per orationem. » Matth. XVII, 20.

2. « Monachus suscipiendus promittat de obedientia coram Deo et sanctis suis. » Cap. LVIII. — « Cum malo animo si obediat discipulus, si murmuraverit pro tali facto, nullam consequitur gratiam. » Cap. V Regulæ S. Benedicti.

3. « Nullatenus liceat monacho accipere litteras, elogia, vel quælibet munuscula. » Cap. LIV Regulæ S. Benedicti.

4. *Recalcitrat et remurmurat* Gersæ, juxta cod. Allat., contra lectionem codicum Bobiensis et Cavensis.

5. « Virtus obedientiæ prima est monachi obligatio, » atque in cap. 58 Regulæ, ibi « suscipiendus promittat de obedientia coram Deo et sanctis suis, ut si aliter aliquando fecerit, ab eo se damnandum sciat quem irridet. » — « Nullus in monasterio proprii sequatur cordis voluntatem », cap. 3 ejusdem Regulæ.

6. « Qui faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animæ suæ. » Tob. XII, 10.

7. Scripserat *intelligis*, sed illico noster Amaonensis emendavit.

ideo plene te resignare aliorum voluntati trepidas.

II. Sed quid magnum tu[1], qui pulvis es, et nihil[2], si propter Deum te subdis homini, quando ego Omnipotens et Altissimus, qui cuncta creavi ex nihilo[3], me homini propter te subjeci humiliter[4].

Factus sum omnium humillimus, et infimus[5], ut etiam superbiam[6] mea humilitate vinceres.

Disce obtemperare, pulvis, disce te humiliare, terra et limus[7], et sub omnium pedibus incurvare[8]. Disce voluntates tuas frangere, et ad omnem subjectionem[9] te dare[10].

III. Exardesce contra te, nec patiaris tumorem in te vivere, sed ita subjectum et pulverem[11] te exhibe, ut omnes super te ambulare possint, et sicut lutum platearum conculcare.

Quid habes, homo inanis[12], conqueri? Quid, sordide

1. *Magnum si tu*, ita Gence, Eoriquea, Elzevirius, Delfau et Valgravius, at cod. Cavensis, Caietanus et editores 1488, 1607, 1697 secuti sunt nostram lectionem.

2. « Respondensque Abraham ait : Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. » Genes. XVIII, 27. — « Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus. » Psalm. XIV, 4. — « Ad nihilum devenist. » Psal. LVII, 8 etc.

3. « Altissimus Creator omnipotens. » Eccles. I, 8. — « Omnia..... ex nihilo fecit. » II Maccab. VII, 28.

4. Philip. II, 6. 7 : « Qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. »

5. « Despectum et novissimum virorum.... et humiliatum. » Isai. LIII, 3. 4.

6. *Ut tuam superbiam* fere in omnibus editionibus, attamen nostra lectio magis originali accedit, et rectum magis exhibet sensum.

7. « Disce, terra, subdi : disce, pulvis, obtemperare. » S. Bernard, Hom. prima super Missus est, n. 8.

8. *Sub omnium pedibus incurvare :* hæc leguntur in margine libri, quia post collationem adjecta fuere.

9. « Obedientiæ bonum non solum abbati exhibendum est ab omnibus, sed etiam oportet ut obedientes sint sibi invicem fratres. » Cap. XXI Regul. S. Benedicti. — « Obedire debet in omnibus monachus, » ait S. Bernardus.

10. *Te dare, nam quanto humilior eris, tanto magis michi placebis. Nam sine humilitate nemo me placet. Exardesce* etc. Hæc addidit glossator in cod. Bobiensi.

11. *Subjectum et parvulum* : ita Gence, editio 1488, et alii, sed auctor vult ut monachus sit uti *pulvis et lutum*, ut in cap. XIV, ibi : « Et ego pulvis quid præsumo ? »

12. « O homo inanis. » Jacob. II, 20.

peccator, potes contradicere exprobrantibus tibi, qui toties Deum offendisti et toties infernum meruisti[1]?

Sed pepercit tibi oculus meus[2], quia prætiosa fuit anima tua in conspectu meo[3], ut cognosceres dilectionem meam, et gratus semper beneficiis meis existeres et ad veram subjectionem et humilitatem te jugiter dares, patienterque proprium contemtum ferres[4].

De judiciis Dei occultis considerandis, ne extollamur in bonis.

CAPITULUM 14um.

1. Intonas super me judicia tua, Domine, et timore ac tremore concutis omnia ossa mea et expavescit anima mea valde[5].

Sto attonitus et considero, quia cæli non sunt mundi in conspectu[6] tuo[7].

Si in Angelis reperisti pravitatem[8], nec tamen pepercisti[9], quid fiet de me?

1. *Et infernum multoties meruisti* etc. Gence, Enriquez et Elzevirius, cæteri conveniunt nobiscum. Nota orthographiam sæculi XII secutos semper fuisse Amanuenses scribendo *tociens* in codd. De Advocatis, Bobiensi atque Cavensi.

2. « Pepercit oculus meus super eos. » Ezech. XX, 17.

3. « Eo quod prætiosa fuerit anima mea in oculis tuis. » I Reg. XXVI, 12.

4. « Subditi estote Dominis, non tantum bonis, et modestis, sed etiam discolis. » I Petr. II, 18. — « Mulieres subditæ estote viris.... Filii obedite parentibus etc. » Colos. III, 18 seq. — « In nomine Domini subjecti invicem estote in timore Christi. » Ita Paulus ad Ephesios, cap. V, 21.

5. « A judiciis timui. » Psalm. CXVIII, 120. — « Pavor tenuit me, et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt. » Job. IV, 14.

6. « Cœli non sunt mundi in conspectu ejus. » Job. XV, 15.

7. Auctor hoc loco iterum textum scripturæ sanctæ immutavit, juxta sanctorum Patrum praxim.

8. « In angelis suis reperit pravitatem. » Job. IV, 18. Vid. S. Bernard. Serm. LIV in Cant.

9. « Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit. » Epistola secunda B. Petri Apostoli II, 4.

Ceciderunt stellæ de cælo [1], et ego pulvis quid præsumo[2]?

Quorum opera videbantur laudabilia, ceciderunt ad infima[3], et qui comedebant panem Angelorum[4], vidi siliquis delectari porcorum[5].

II. Nulla est ergo sanctitas, si manum tuam retrahas, Domine[6].

Nulla sapientia prodest, si gubernare desistas.

Nulla juvat fortitudo, si conservare desinas.

Nulla secura castitas, si eam non protegas[7].

Nulla propria prodest custodia, si non adsit tua sancta vigilantia[8].

Nam relicti mergimur et perimus; visitati autem: vivimus et erigimur[9].

Instabiles quippe sumus, sed propter te confirmamur; tepescimus, sed a te accendimur.

III. O, quam humiliter et abjecte mihi de me ipso sentiendum est, quam nihili pendendum est si quid boni videor habere.

O, quam profunde me submittere debeo sub abys-

1. « Stellæ ceciderunt de cœlo super terram. » Joh. Apoc. VI, 13.

2. *Quid præsumo? Unde michi gloriatio esse datur? Nonne tuum est, Domine mi, quodquod bonum est in me? Tibi ergo laus, tibi gloria Domine meus. Nemo confidat, nemo gloriatur in te nisi Domine Jhesu. Nam quidam quorum opera videbantur mirabilia, ceciderunt* etc. Hæc legimus in cod. Bobiensi.

3. Allodit Magister ad gesta imperatoris Friderici Barbarossæ qui, sub fine sæcoli XII, terror fuit Italæ gentis ac Rerumpoblicarum.

4. » Panem angelorum manducavit. » Psalm. LXXVII, 25.

5. » Cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant. » Luc. XV, 16,

6. *Domine subtrahas*. Ita Gence, Enriquez et alii; attamen cod. Bobiensis et Cavensis, Caietanus et editores 1488 et 1608 nobis arrident.

7. « Non possum esse continens, nisi Deus det. » Sap. VIII, 21.

8. « Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. » Psalm. CXXVI, 1.

9. *Visitati vero erigimur et vivimus;* ita Enriquez, Gence et alii, quod spectat ad adverbium, sed juxta ordinem naturalem homo vivit indeque se extollit, ideoque editores 1488, 1608 et cæteri, excepto ipso Gence, secuti sunt nostram lectionem.

salibus tuis judiciis [1], Domine; ubi nihil aliud me esse invenio, quam nihil et nihil.

O, pondus immensum, o pelagus intransnatabile [2], ubi nihil de me reperio, quam in totum nihil.

Ubi est ergo latebra gloriæ? Ubi confidentia de gloria concepta [3]?

Absorpta est omnis gloria [4] vana in profunditate judiciorum tuorum super me.

IV. Quid est omnis caro in conspectu tuo [5]? Numquid gloriabitur lutum contra formantem se [6]?

Quomodo potest erigi vaniloquio, cujus cor in veritate subjectum est Deo?

Non eum totus mundus erigeret, quem sibi subjecit veritas. Nec omnium laudantium ore movebitur, qui totam spem suam in Deo firmavit.

Nam et ipsi qui loquuntur, ecce omnes nihil [7], et deficient cum sonitu verborum. Veritas autem Domini manet in æternum [8].

Qualiter standum sit ad dicendum [9] *in omni re desiderabili.*

CAPITULUM 15um.

I. Fili, si dicas in omni re: Domine, si tibi placitum

1. « Judicia tua abyssus multa. » Psalm. XXXV, 7.

2. *Pelagus intransmeabile* scripsit Enriques, Caietanus et Valgravius, juxta cod. Bob. et Cavensem, cæteri et ipse Gence nobis consonant; nec mireris minus rectam prosodiam in v. *pellagus* nostri cod. lectione exhibitam; nosti enim sæculi XIII barbariem, cui se Gersen monachus accommodabat.

3. *De virtute concepta*: ita Gence, Enriquez et alii; solus Caietanus, cod. Cavensis et Bobiensis, et editor 1488 secuti sunt nostram lectionem.

4. *Gloriatio vana* scripsere Enriquez, Gence, Elzevirius et Delfau, non ita cod. Cavensis, Bobiensis et alii, nam *gloriatio* est gloriæ vanæ synonymum, quod Itali appellant *vana gloria: Vanité*, ut Novitii lexicon.

5. « Non glorietur omnis caro in conspectu ejus. » 1 Cor. I, 29.

6. « Numquid dicet lutum figulo suo, quid facis? » Isai. XLV, 9; Rom. IV, 20, et alibi.

7. *Ecce omnes nihil, deficient enim*: ita Gence et alii. In editione 1697: *Et deficient etiam*; sed cod. Cavensis et Bobiensis, et editores 1488 ac 1608 conveniunt nobis.

8. « Veritas Domini », etc. Ps. CXVI, 2.

9. *Standum sit et dicendum*: ita

fuerit, fiat hoc ita; Domine, si sit[1] honor tuus, fiat in nomine tuo hoc; Domine, si mihi videris expedire et utile esse probaveris, tunc da mihi hoc uti ad honorem tuum.

Sed si mihi nocivum fore cognoveris, nec animæ meæ saluti prodesse, aufer a me tale desiderium. Non enim omne desiderium a Spiritu Sancto est, etiamsi homini videatur[2] justum, rectum et bonum[3].

Difficile est pro vero judicare, an[4] spiritus bonus, aut malus te impellat ad desiderandum hoc vel illud, an etiam ex proprio movearis spiritu[5].

Multi in fine sunt decepti, qui primo bono spiritu videbantur inducti[6].

II. Igitur semper cum timore Dei, et humilitate cordis desiderandum est et petendum, quidquid desiderabile menti occurrit, maximeque[7] cum propria resignatione mihi totum committendum est atque dicendum.

Domine, tu scis qualiter melius est[8] mihi hoc vel illud; sicut volueris, da mihi quod vis et quantum vis et quando vis.

Enriquez et alii : in eod. Cavensi et Bobiensi legimus *ac dicendum*.

1. *Si fecerit* scripsit Gence et Elzevirius cum Enriquez, cæteri vero non differunt a nobis.

2. *Videatur rectum et bonum* : ita Gence, Caietanus et alii : sola editio 1488 et illa 1608 referunt *rectum* aut *bonum*.

3. « Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint. » 1 Joan. IV, 1.

4. *Utrum spiritus bonus an alienus* legimus in editionibus Genceana et aliis, sed *alienus* et *malus* non sunt synonyma.

5. D. Paulus ait : « Omnia autem probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos. » Ep. 1 ad Thessal. V, 21. 22.

6. *Videbantur inducti, et seducti sunt. Igitur* etc. in eod. Bobiensi.

7. *Maximeque cum propria voluntate* scripserat noster Amanuensis, sed punctis delevit scripsitque *resignatione* etc.

8. *Melius est : fiat hoc vel illud sicut volueris. Da quod vis* ; ita Gence, Enriquez et alii. — *Fac hoc vel illud* scripsere Caietanus codices Bobiensis Padulironis et editores 1488 et 1608.

Fac mecum sicut scis et sicut tibi magis placuerit, et major honor fuerit tuus.

Pone me ubi vis, et liber age mecum [1] in omnibus.

In manu [2] tua ego sum, gira et reversa me per circuitum.

En ego servus tuus [3] paratus ad omnia: quoniam non desidero mihi vivere, sed tibi [4], utinam digne et perfecte.

Oratio pro beneplacito faciendo Dei[5].

III. Concede mihi, benignissime Jesu, gratiam tuam, ut mecum sit et mecum laboret [6], mecumque usque in finem perseveret.

Da mihi semper desiderare, et velle quod tibi magis acceptum est, et charius placet.

Tua voluntas mea sit [7], et mea voluntas tuam sequatur semper, et optime ei concordet.

Sit mihi unum velle [8], et unum nolle tecum: nec aliud posse velle, aut nolle nisi quod vis, aut nolis [9].

IV. Da mihi omnibus mori quæ in mundo sunt, et propter te amare contemni, et nesciri in hoc sæculo.

1. *Et libere age mecum* in edit. Genceana aliisque, cod. Bob. excepto.

2. *In manu tua sum*, omisso pronomine, Gence; sed hoc legitur in editionibus 1488 et 1608, atque in codd. Bobiensi et Cavensi.

3. « Servus tuus sum ego. » Psalm. CXVIII, 125.

4. « Mihi enim vivere Christus est. » Philip. I, 21.

5. *Dei perficiendo*: ita Caietanus, Gence, Enriquez et alii, sed hoc loco agitur non de *perficienda*, sed *facienda* voluntate *Dei*, juxta auctoris sensum.

6. « Mitte illam de cœlis sanctis tuis... ut mecum sit, et mecum laboret. » Sap. IX, 10.

7. « Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me: » ita in cap. VII Regul. S. Benedicti.

8. *Unum velle et nolle* in omnibus editionibus, sed repetitio numeri singularis elegantior est.

9. *Quod tu vis et nolis*: ita in pluribus editionibus.

Da mihi super omnia desiderata in te quiescere[1], et cor meum in te pacificare.

Tu vera pax cordis[2], tu sola requies; extra te omnia sunt dura, et inquieta[3].

In hac pace in idipsum, hoc est in te[4] uno et summo et æterno bono, dormiam et requiescam[5]. Amen[6].

Quod verum solatium in solo Deo est quærendum.

CAPITULUM 16um.

1. Quidquid desiderare vel cogitare possum ad solatium meum, non hic exspecto, sed in posterum[7]: quia, si omnia solatia mundi hujus haberem, et omnibus deliciis[8] frui possem, certum est quod diu durare non possent.

Unde non potes[9] plene, anima mea, consolari nec perfecte recreari, nisi in Deo[10], consolatione pauperum et susceptore[11] humilium.

1. *Requiescere:* sic Genec et alii; non ita in codd. Cavensi, Padolir. et Bobiensi, in edit. 1488 et 1608.

2. « Ipse enim est pax nostra qui fecit utraque unum. » Ephes. II, 14.

3. « Dura sunt omnia, et tu solus requies. » S. Augustini, Confess. lib. 6, cap. 10.

4. *In te uno summo, æterno bono* scripserunt Genec et alii; variant editiones 1488, 1608: ibi *in te uno summo et æterno bono;* sicut in codd. Bobiensi, Padolir. et Cavensi.

5. « In pace in idipsum dormiam et requiescam. » Psalm. IV, 9.— « Et tu es idipsum valde, qui non mutaris, et in te requies. » S. August., Confess. lib. 6, cap. 4.

6. « Respondeant omnes *amen* ». ita in cap. XI Regul. S. Benedicti, quod significat *ita verum est*, juxta ritum mozarabicum.

7. *In posterum. Quod si omnia solatia mundi solus:* ita Enriquez, Gence, Caietanus et alii; attamen Delfau cognovit sensum esse continuatum; editor 1608 scripsit *quid si omnia.* Nostram lectionem et illas codd. Bob. et Cav. originali proximas existimamus.

8. *Divitiis* scripserunt Caietanus, Delfau et editor 1697. Cæteri nobis adhærent.

9. *Non poteris* legitur in omnibus editionibus ac codicibus.

10. « Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, et delectatus sum. » Psalm. LXXVI, 4.

11. *Nisi in Deo consolatore paupe-*

Exspecta modicum, anima mea : exspecta divinum promissum[1], et habebis abundantiam omnium bonorum in cælo[2]; et, si nimis inordinate ista appetis præsentia, perdes æterna et cælestia.

Sint temporalia in usu, æterna in desiderio.

Non potes aliquo bono temporali satiari, quia ad hæc fruenda non es creata.

11. Etsi omnia bona creata haberes, non posses esse felix et beata; sed in Deo, qui cuncta creavit, tota beatitudo tua et felicitas consistit, non qualis videtur et laudatur a stultis mundi amatoribus, sed qualem exspectant boni Christi fideles, et prægustant interdum spirituales ac mundi corde, quorum conversatio est in cælis[3].

Vanum est et breve omne humanum solatium : beatum et verum solatium, quod intus a veritate percipitur.

Devotus homo ubique fert secum consolatorem suum Jesum et dicit ad eum : Adesto mihi, Domine Jesu, in omni loco et tempore.

Hæc mihi sit consolatio, libenter velle carere omni humano solatio[4].

Et si tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas, et justa probatio pro summo solatio.

Non in perpetuum enim irasceris[5], neque in æternum comminaberis[6].

rum et susceptore : sic in omnibus editionibus et codicibus.

1. « Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum ; » cap. 1 Pauli ad Ephesios, vers. 5.

2. *In cælo. Si nimis* etc. in editionibus Genceana, Elzeviriana et aliis, sed sensus est continuatus hoc in loco, ut nobis videtur.

3. « Nostra conversatio in cœlis est. » Philip. III, 20.

4. « Hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat. » Job. VI, 10.

5. « Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur. » Psalm. CII, 9; Isai. LVII, 16.

6. Valart immutato ordine in hoc capitulum inclusit sequens.

Quod omnis sollicitudo in Deo ponenda[1] *est.*

CAPITULUM 17um.

I. Fili, sine me tecum agere quod volo: ego scio quid expediat tibi.

Tu cogitas ut homo, in multis sentis, sicut tibi humanus suadet affectus[2].

II. Domine, verum est quod dicis. Major est sollicitudo tua pro me[3], quam omnis cura quam ego possem gerere pro me.

Nimis enim casualiter stat, qui non projicit omnem sollicitudinem suam in te[4].

Domine, dummodo voluntas mea recta et firma, in te permaneat[5], fac de me quidquid tibi placuerit.

Non enim potest esse nisi bonum quidquid de me feceris.

Si me vis esse in tenebris, sis benedictus; et si me vis esse in luce, sis iterum benedictus.

Si me dignaris consolari, sis benedictus; si me vis tribulari, æque sis semper benedictus.

III. Fili, sic oportet te stare, si mecum desideras ambulare.

Ita promtus debes esse[6] ad patiendum, sicut ad gaudendum.

1. *Ponenda sit:* ita Enriquez et Elzevirius; *in Deo statuenda sit* edidit Gence; codd. Bobiensis., Padolir. et Cavensis nobis adsentiunt.

2. *Sicut humanus suadet affectus*, in pluribus editionibus, omisso pronomine, quod legitur in edit. 1488 et 1608, uti in cod. Bobiensi.

3. *Circa me* edidit Gence, sed ne Elzevirius quidem secutus est eum.

4. «Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum (Deum), quoniam ipsi cura est de vobis.» I Petr. v, 7. «Jacta super Dominum curam tuam.» Psalm. LIV. 23.

5. *Ad te permaneat* scripsere omnes; at verbum hic non postulat accusativum.

6. *Esse debeas* edidit Enriquez ipse solus: adeo accurati editoris intelligentia nobis suadet, hoc verbum subjunctivum *debeas* inepte hic

Ita libenter debes esse inops et pauper, sicut plenus, et dives.

IV. Domine, libenter patiar pro te sicut [1] volueris venire super me.

Indifferenter volo de manu tua bonum et malum, dulce et amarum, lætum et triste suscipere, et pro omnibus mihi contingentibus gratias agere.

Custodi me ab omni peccato, et non timebo mortem neque infernum.

Dummodo in æternum non projicias [2], nec deleas me de libro vitæ [3], non mihi nocebit quidquid veniret tribulationis super me [4].

Quod temporales miseriæ Christi exemplo æquanimiter sunt ferendæ.

CAPITULUM 18um.

I. Fili, ego descendi de cælo pro tua salute[5]; suscepi tuas miserias, non necessitate, sed charitate trahente ut patientiam disceres et temporales miserias non indignanter ferres.

Nam ab hora ortus mei usque ad exitum in cruce[6] non defuit mihi tolerantia doloris, at defectum rerum [7] temporalium magnum habui. Multas querimo-

positum non ipsius, sed typographi culpa irrepsisse.

1. *Quidquid volueris:* ita Gence, Euriquez et alii.

2. « Numquid in æternum projiciet Deus? » Psalm. LXXVI, 8.

3. « Non delebo nomen ejus de libro vitæ. » Apoc. III, 5, et alibi.

4. « Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis. » Ita Petrus in Epist. I, cap. 4.

5. « Non misit Deus filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. » Joan. III, 17.

6. « Christus pro nobis ingemiscit, esurit, fatigatur ex itinere. » Matth. XXV, 35. « Fatigatus sedebat supra fontem. » Joan. IV, 6.

7. *Doloris. Defectum rerum:* Ita Gence, Euriquez et alii; in Ms. legimus *ad effectum rerum* etc.

nias de me frequenter audivi, confusiones et opprobria benigne sustinui, pro beneficiis ingratitudinem recepi, pro miraculis blasphemias, pro doctrina reprehensiones.

II. Domine, quia fuisti patiens in vita tua, in hoc maxime implendo præceptum Patris tui, dignum est ut ego misellus peccator secundum voluntatem tuam[1] patienter me sustineam, et donec ipse volueris, onus corruptibilis vitæ[2] pro salute mea portem.

Nam etsi sentitur onerosa præsens vita, facta est tamen jam per gratiam tuam valde meritoria[3], atque exemplo tuo atque Sanctorum tuorum vestigiis infirmis tolerabilior, et clarior.

Sed et multo magis consolatoria, quam olim in veteri[4] Testamento fuerat, cum porta cæli clausa persisteret, et obscurior etiam via[5] videbatur, quando tam pauci regnum cælorum quærere curabant.

Sed neque qui tunc justi erant et salvandi ante passionem tuam et sacræ mortis obitum[6], cæleste regnum poterant introire.

III. O, quantas tibi gratias teneor referre, quia rectam et bonam viam dignatus es mihi et cunctis fidelibus ad æternum regnum ostendere tuum.

1. « In monasterio usque ad mortem perseverantes, passionibus Christi per patientiam participemus, ut et regni ejus mereamur esse consortes. » S. Benedictus, in prologo.

2. « Corruptibilis vitæ tempus. » II Macc. VI, 25.

3. *Valde mitior*: sic Gence ipse solus, qui in nota alias lectiones improbat.

4. *In lege veteri* scripsere Enriquez, Gence et alii.

5. *Etiam via ad cælum videbatur*, in pluribus edit., exceptis illis 1488 et 1608, quæ cohærent cum nostro Ms. et codd. Cav., Padolir. et Bob.

6. *Sacræ mortis debitum* scripsere Gence, Enriquez, Elzevirius et alii; attamen nostra lectio magis est genuina, nam *obire mortem* apud latinos usitatum: sic *Mortis adventum, occursum, obitum*. Ita Forcellinus. *Prima della tua passione, e venuta della sacra morte* etc. Itala versio.

Nam vita tua via nostra, et per sanctam patientiam ambulamus ad te, qui es corona nostra.

Nisi tu nos præcessisses et docuisses, quis sequi curaret[1]?

Heu quanti longe retrocederent[2], nisi tua præclara exempla inspicerent.

Ecce adhuc tepescimus auditis tot signis tuis et doctrinis[3]. Quid fieret si tantum lumen ad sequendum te non haberemus[4]?

De tolerantia injuriarum, et quis verus patiens[5] perhibetur.

CAPITULUM 19um.

1. Quid est[6] quod loqueris o fili? Cessa conqueri, considera[7] meam et aliorum[8] Sanctorum passionem.

Nondum usque ad sanguinem restitisti.

Parum est quod tu pateris in comparatione eorum, qui tam multa passi sunt, tam fortiter tentati, tam graviter tribulati, tam multipliciter probati, et exercitati.

1. « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. » 1 Petr. II, 21.

2. *Retroque manerent*: ita Gence, Enriquez et alii; attamen nostra lectio retinenda videtur, nam ille qui retro manet non recedit, sed tarde ad metam pervenit; quod indicare auctor noster noluit.

3. « Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum. » Joan. XII, 37.

4. « Ambulate, dum lucem habetis. » Ibid. 35.

5. *Verus patiens probetur*: sic in pluribus codd. et editt.; sed Joannes sit: « Vos testimonium perhibebitis etc. » XV, 27

6. Jam diximus nobis videri diversa manu scriptum fuisse hunc pretiosum codicem; nova orthographia vocabuli *Qhuid* demonstrat alterum amanuensem fuisse scriptorem ac illum cap. X, lib. II.

7. *Considerata mea passione*: ita Gence et alii; editiones tamen 1488 et 1608 nobiscum conveniunt, sicut et cod. Bubiensis.

8. *Fili cessa conqueri considerata mea et meorum* etc. solus ipse Gence scripsit, inhærens Gallicæ versioni *Internarum consolationum*.

Oportet[1] igitur aliorum graviora ad mentem reducere, ut levius feras tua minima.

Et si tibi minima non videntur, vide ne et hoc tua faciat impatientia.

Sive tamen parva, sive magna sint, stude cuncta patienter ferre[2].

II. Quanto melius te ad patiendum disponis, tanto sapientius agis, et amplius promereris et feres levius animo et usu ad hoc non segniter paratus[3].

Nec dicas: Non valeo hæc ab homine tali pati, nec hujuscemodi mihi patienda sunt : grave enim intulit damnum, et improperat mihi quæ nunquam cogitaveram; sed ab alio libenter patiar, et sicut patienda videro[4].

Insipiens est talis cogitatio, quæ virtutem patientiæ non considerat, nec a quo coronanda erit; sed magis personas, et offensas sibi illatas perpendit[5].

III. Non est verus patiens qui non vult pati, nisi quantum sibi visum fuerit, et a quo sibi placuerit.

Verus autem patiens non attendit a quo homine, utrum a Prælato suo[6], an ab alio æquali, an inferiori, utrum a bono, et sancto viro, vel a perverso, et indigno exerceatur[7].

1. *Oportet te:* ita in pluribus editionibus.

2. « Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram. » Matthæus, cap. v, 39.

3. *Paratis* scripserunt Enriquez, Caietanus, Elzevirius, Valgravius et editores 1488, sed cod. Padolir., Gence et alii nobis arrident.

4. » Hunc ergo zelum ferventissimo amore exerceant boni monachi, ut infirmitates suas sive corporum sive morum patientissime tolerent. » Cap. 72 Regulæ S. Benedicti.

5. « Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. » Matth. x, 35.

6. *Prælatus* vel *præpositus* vel *subprior* appellabatur ille qui in monasterio majorem reliquis abbati subjectis habebat potestatem; ita Calmet.

7. *Indigna patiatur*: sic legimus in cod. Bobiensi; *exercitatur*, in cod. Cavensi. Cæteri nobis adhærent.

Sed indifferenter ab omni creatura, quantumcumque et quotiescumque ei aliquid adversi acciderit, totum hoc gratanter de manu Dei accipit, et ingens lucrum reputat, quia nihil apud Deum, quantumlibet parvum, pro Deo tamen passum, poterit sine merito transire.

IV. Esto igitur expeditus ad pugnam, si vis habere victoriam.

Sine certamine non potes venire ad patientiæ coronam; si pati non vis, recusas coronari.

Si autem coronari desideras, certa viriliter, sustine patienter[1].

Sine labore non tenditur ad requiem, nec sine pugna pervenitur ad victoriam.

V. Fac mihi possibile, Domine[2], per gratiam, quod mihi impossibile videtur per naturam[3].

Tu scis quod modicum possum pati, et quod cito dejicior, levi exsurgente[4] adversitate.

Efficiatur mihi quælibet exercitatio tribulationis, pro nomine tuo amabilis, et acceptabilis[5]: nam pati et vexari pro te valde salubre est animæ meæ.

1. « Non coronabitur, nisi legitime certaverit. » Tim. II, 5. — « Si sustinebimus, et conregnabimus. » Ibid. 12.

2. *Fiat Domine*: ita Gence, Enriquez, Elzevirius; at codd. cæteri assentiunt nostræ lectioni.

3. « Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. » Luc. XVIII, 27. — « Deus impossibilia non jubet; sed jubendo admonet et facere quod possis, et petere quod non possis.... Medicina poterit quod vitio non potest. » S. August. de Nat. et Grat., cap. XXXIII, n. 50. Opp. Tom. X, col. 148, et alibi.

4. *Quod cito deicior levi exurgente necessitate. Efficiatur* etc. Ita in codice Bobiensi.

5. *Pro nomine tuo amabilis et optabilis : nam pati* etc., scripsit Enriquez, et cum illo Gence, Caietanus, Valgravius et editores 1488, 1608. Solus Delfau, cod. Cavensis et editor Romanus 1697 nobiscum concordant.

De confessione propriæ infirmitatis, et hujus vitæ miseriis.

CAPITULUM 20[um].

I. Confiteor[1] adversum me injustitiam meam[2]; confitebor tibi, Domine, infirmitatem meam.

Sæpe parva res est quæ me dejicit et contristat.

Præpono me firmiter[3] acturum, sed cum modica tentatio venerit, magis mihi fit angustia.

Valde vilis quandoque res est, unde gravis tentatio provenit[4]; dum puto me aliquantulum tutum, cum non sentio, invenio me nonnunquam pæne devictum ex[5] levi flatu[6].

II. Vide ergo, Domine, humilitatem meam[7], et fragilitatem tibi undique notam.

Miserere mei, et eripe me de luto, ut non infigar[8], non permaneam devictus[9] usquequaque.

Hoc est quod me frequenter reverberat, et coram te confundit, quod tam labilis sum, et infirmus ad resistendum passionibus, et si non omnino ad consensionem[10], tamen mihi etiam molesta et gravis

1. *Confitebor* scripsere Gence, Enriquez, Caietanus et alii. Solus cod. Bobiensis et editio 1488 conveniunt cum nostra. In versione italica 1505, *io confesso* etc. legitur.

2. «Dixi: confitebor» etc. Ps. XXXI, 5.

3. *Propone me fortiter acturum* etc. Ita Gence et alii codices.

4. *Provenit. Et dum puto* legitur in editione Gencesna, non ita in illa 1488, ac in codd. Bobiensi et Cavensi.

5. *Ex levi statu:* ita Enriquez et Rosweydus: aptior exhibetur sensus *ex levi flatu*, ut in codd. Bobiensi et Cavensi.

6. *Ex levi flatu. Ah! Domine mi, quanta est infirmitas mea, quanta inconstantia, quanta impotentia mea. Vide ergo.* Ex cod. Bobiensi.

7. Psalm. XXIV, 18; et CXVIII, 153.

8. «Eripe me de luto» Ps. LXVIII, 15.

9. *Dejectus*: ita Gence, Enriquez et alii; sed in codd. Bobiensi ac Cavensi, in editione 1488 nostra reperitur lectio.

10. *Et si non omnino ad consentio*:

est earum insectatio, et tædet valde sic quotidie vivere in lite.

Exhinc nota fit mihi infirmitas mea, quia multo facilius irruunt abominandæ semper phantasiæ, quam discedunt.

III. Utinam, fortissime Deus Israel[1], zelator animarum fidelium, respicias servi tui laborem et dolorem[2], adsistasque illi in omnibus ad quæcumque perrexerit[3].

Robora me cælesti fortitudine[4], neque[5] vetus[6] homo[7], misera caro spiritui necdum[8] bene subjecta valeat dominari, adversus quam certare oportebit, quamdiu spiratur in hac vita miserrima.

Heu, qualis est hæc vita? Ubi non desunt tribulationes, et miseriæ; ubi plena laqueis, et hostibus sunt omnia.

Nam una tribulatione seu tentatione recedente, alia accedit, sed et adhuc priore durante conflictu aliæ plures superveniunt et insperatæ[9].

IV. Et quomodo potest amari vita[10] hominis habens

ita Gence ipse solus, dum Valgravius et editores 1488, 1608, scripserunt *ad consentionem trahit;* Enriquez *trahor;* at Delfan, Elzevirius ac Caietanus secuti sunt nostram lectionem quæ cum codd. Bobiensi et Cavensi concordat.

1. « Invocavit... fortissimum Deum Israel. » Gen. XXXIII, 20.

2. « Quoniam tu laborem et dolorem consideras. » Psalm. IX, 14.

3. « Tecum est Dominus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris. » Jos. I, 9

4. « Quia non in fortitudine sua roborabitur vir. » I Reg. II, 9.

5. *Fortitudine, ne vetus:* sic Gence, Enriquez et alii; sed ut cod. Cavensis, sic et editio 1488 cum nostra concordat.

6. « Vetus homo noster. » Rom. VI, 6, et alibi passim. »

7. *Homo prevaleat et interior corrumpatur, neque misera caro* etc.: sic in cod. Bobiensi.

8. *Necdum plene subacta prævaleat* scripsit Gence, atque defendit suam lectionem, sed contra illam cæteræ clamant, excepta Elzeviriana.

9. S. Bernard. Serm. V. in Psalm. « Qui habitat » n. 3. Vid. notam ad cap. 13, lib. I.

10. *Amari vita, tantas* etc., Gence, Enriquez et alii; attamen nostra lectio magis suo autographo accedere vide-

tantas amaritudines, et tot subjecta calamitatibus et miseriis [1]?

Quomodo etiam dicitur vita tot generans mortes et pestes?

Et tamen amatur, et delectari in ea quæritur a multis.

Reprehenditur frequenter mundus tanquam [2] fallax sit, et vanus, nec tamen facile relinquitur, cum concupiscentiæ [3] carnis dominantur.

Sed alia trahunt ad amandum, alia ad contemnendum, alia ad [4] amorem mundi, carnis desiderium, desiderium oculorum et superbia vitæ [5]; sed pœnæ et [6] miseriæ sequentes ea odium mundi pariunt et tædiunt [7].

v. Sed vincit, proh dolor, delectatio prava mentem mundo deditam, et esse sub sentibus delicias reputat [8], quia Dei suavitatem, et internam virtutis amœnitatem nec vidit nec gustavit.

Qui autem mundum perfecte contemnunt, et Deo vivere sub sancta disciplina student, isti dulcedinem divinam veris abrenuntiatoribus promissam non ignorant, et quam graviter mundus errat, et varie fallitur, vident [9].

tur, uti ex conformi lectione codd. Bobiens. et Cavens. probatur.

1. « Cuncti dies ejus doloribus et ærumnis pleni sunt. » Eccl. II, 23.

2. *Quod fallax sit* scripserunt Enriquez, Gence aliique; *quod tam fallax sit* legimus in codd. Bobiensi, Padolir. et Cavensi.

3. *Quia concupiscentiæ carnis nimis* etc.; ita omnes editores, exceptis codd. Cavensi, Padolir. et edit. 1488, qui nobis arrident.

4. *Alia ad contemnendum... Trahunt ad amorem:* ita Gence, Enriquez et alii; sed sensus clarior nobis videtur per interpunctionem nostri Ms.

5. « Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. » I Joan. II, 16.

6. *Sed pœnæ ac miseriæ juste sequentes ea, odium mundi pariunt et tædium :* sic Gence, Enriquez; at adverbium *juste* non legitur in Caietano et aliis codicibus.

7. Verbum *tædiunt* redolet barbaram latinitatem sæculi XIII.

8. « Et esse sub sentibus delicias computabant. » Job. XXX, 7.

9. *Fallitur, clarius vident* scripsere Gence, Enriquez; non ita in edition. 1488, 1608, 1697, nec in illis Caie-

Quod in Deo super omnia bona et dona requiescendum est.

CAPITULUM 21[um].

I. Super omnia et in omnibus requiesces, anima mea, in Domino semper, quia ipse est Sanctorum æterna requies.

Da mihi, dulcissime et amantissime Jesus, in te super omnem creaturam requiescere[1], super omnem salutem, et pulchritudinem, super omnem gloriam et honorem, super omnem potentiam et dignitatem, super omnem scientiam et subtilitatem, et super omnes divitias et artes, super omnem lætitiam et exultationem, super omnem famam et laudem, super omnem suavitatem, et consolationem, super omnem spem et promissionem, super omne meritum et desiderium, super omnia dona et munera quæ potes dare et infundere, super omne gaudium et jubilationem, quam potest mens capere et sentire.

Denique super omnes Angelos[2] et Archangelos, et super omnem exercitum cæli et super omnia visibilia et invisibilia, et super omne, Deus meus, quod tu, non es: quia tu, Deus meus, super omnia optimus es.

II. Tu[3] solus altissimus, tu solus potentissimus, tu solus sufficientissimus et plenissimus, tu solus suavis-

tani et Delfau, neque in codd. Padolir., Bob. atque Cavensi.

1. « Timeamus ergo ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquid ex nobis deesse. » Paulus ad Hebræos, IV, 1.

2. *Denique super Angelos*, omisso adjectivo *omnes*, scripsera Gence et alii, exceptis editoribus 1488 et 1608, qui concordant cum nostro Ms. et codd. Bobiensi et Padolir.

3. *Super omnia optimus es, tu solus etc.*: ita Gence, Delfau, Caietanus et alii; solæ editiones 1488 et 1608 et Cav. cod. concordant cum nostra interpunctione.

simus et solatiosissimus, tu solus pulcherrimus et amantissimus, tu solus nobilissimus et gloriosissimus super omnia; in quo bona cuncta simul perfecta sunt, fuerunt et erunt[1].

Atque ideo minus est et insufficiens quidquid præter te ipsum mihi donas, et de te ipso[2] revelas, vel promittis, te non viso nec plene adepto[3]: quoniam quidem non potest cor meum veraciter requiescere, nec totaliter contentari, nisi in te requiescat[4], et omnia dona omnemque creaturam transcendat.

III. O, mi dilectissime sponse Jesu Christe, amatór purissime, dominator universæ creaturæ, quis mihi det pennas veræ libertatis, ad volandum et pausandum in te[5]?

O, quando ad plenum dabitur vacare mihi, et videre quam suavis es, Domine Deus meus[6]?

Quando ad plenum recolligam me in te, ut præ amore tuo non sentiam me, sed te solum supra omnem sensum et modum in modo non omnibus noto?

Nunc autem frequenter gemo, et infelicitatem meam cum dolore porto, quia multa mala in hac valle miseriarum occurrunt, quæ me sæpius conturbant, et contristant et obnubilant, sæpius impediunt, et distrahunt, alliciunt et implicant, ne liberum accessum ha-

1. *Fuerunt et semper erunt*: ita Enriquez aliique, exceptis codicibus Cavens. et Bob., et editionibus 1488 et 1608, quæ nobiscum conveniunt.

2. *Donas aut de te ipso* scripsit Gence, sed codd. Boh., Cav. et edit. 1488 nobis cohærent.

3. « Nullo modo sufficit (creaturæ rationali) ad beatam requiem quidquid te minus est. » S. August. Confess. lib. 13, c. 8.

4. « Inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. » S. Augustin. Confess. lib. 1, cap. 1.

5. Ita in omnibus lectionibus; fatemur hic errare nostrum amanuensem, dum scripsit *in se*. « Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam. » Psalm. LIV, 7.

6. « Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus : Beatus vir qui sperabit in eo. » Psalm. XXXIII, 9.

beam ad te, et ne jucundis fruar amplexibus, præsto semper cum beatis[1] spiritibus[2].

Moveat te suspirium meum, et desolatio multiplex in terra.

IV. O, Jesu splendor æternæ gloriæ[3], solamen peregrinationis animæ[4] meæ, apud te est os meum sine voce, et silentium meum loquitur tibi.

Usquequo tardat Deus meus venire? Veniat ad me pauperculum suum, et lætum faciat, mittat manum suam, et miserum eripiat de omni angustia[5].

Veni, veni[6], quia nulla erit sine te quieta dies[7] aut hora, quia tu lætitia mea, et sine te vacua est mensa mea[8].

Miser sum, et quodammodo incarceratus, et compeditus ac gravatus[9], donec luce præsentiæ tuæ me reficias, ac libertati dones, et vultum amicabilem reddas ac demonstres[10].

V. Quærant alii pro te aliud quodcumque libuerit, et mihi aliud interim nihil placet, nec placebit, nisi Deus[11] meus, spes mea[12], salus æterna[13].

1. *Præsto semper beatis spiritibus*: ita Gence et alii; in editione 1608 legitur *qui præsto es semper beatis spiritibus;* nostra vero lectio, quæ ponit particulam *cum*, clarior videtur et accommodatior.

2. Vid. S. Bernard. Serm. XXI in Cantic. n. 1.

3. « Cum sit (Jesus) splendor gloriæ. » Hebr. 1, 3.

4. *Peregrinantis animæ:* ita Enriquez, Gence et alii; solus Cavensis codex nobis assentitur.

5. « Emitte manum tuam de alto, eripe me, et libera me de aquis multis. » Psalm. CXLIII, 7.

6. *Veni, veni, Domine mi quia sine te nulla erit quieta dies* legimus in cod. Bobiensi solo.

7. *Læta dies* scripsere Gence et alii, sed nobiscum concordant accuratæ edd. 1488, 1608 et codd. Bob. et Cav.

8. *Mens mea:* ita Gence solus, qui perperam sequitur versionem italam anni 1505; rectius Enriquez: *E senza te la mia mensa non ha cibo per satollarmi*, ut in codd. Cav., Padol., Bob.

9. *Compedibus gravatus:* sic Enriquez, Gence et alii, dum in citata edit. italica legitur: *incarcerato e legato, ed aggravato.*

10. *Amabilem demonstres:* ita Gence, Caietanus et alii.

11. « In primis Dominum Deum dilige ex toto corde, tota anima, tota virtute. » Cap. 4 Regul. S. Benedicti.

12. « Tu es, Domine, spes mea. » Psalm. LXX, 9, et alibi.

13. « In Domino salute æterna. » Isaia, XLV, 17.

Non reticebo nec deprœcari cessabo, donec gratia tua revertatur mihi[1], quia tu intus loquaris.

VI. Ecce adsum[2], ecce ego ad te venio, quia[3] invocasti me[4].

Lacrymæ tuæ, et desiderium animæ tuæ, humiliatio tua, et contritio cordis[5] inclinaverunt me, et adduxerunt ad te.

VII. Et dixi : Domine, invocavi te[6], et desideravi te frui, paratus omnia respuere propter te : tu enim prior excitasti me, ut quærerem te; sis ergo benedictus, Domine, qui fecisti hanc bonitatem cum servo tuo[7], secundum multitudinem misericordiæ tuæ[8].

Quid habet ultra dicere, Domine, servus tuus coram te, nisi ut humiliet se valde ante te, memor semper propriæ iniquitatis, et infirmitatis et vilitatis[9].

Non enim est similis tui in cunctis mirabilibus cæli, et terræ[10].

Sunt opera tua bona valde[11], Domine, judicia[12] vera[13], et providentia tua reguntur universa[14].

1. *Mihique tu* in pluribus editionibus, cod. Bob. excepto.

2. « Clamabis, et dicet (Dominus): ecce adsum. » Is. LVIII, 9.

3. *Ego ad te, quia* in omnibus editionibus legitur, omisso verbo *venio*, quod attamen videtur in codice, superadjectum post comparationem cum originali.

4. « Et sit : Ecce ego, quia vocasti me. » 1 Reg. III, 6. 9.

5. *Cordis tui* edidit Enriquez, Caietanus, Delfau, Valgravius; sed Gence, Elzevirius et alii nobis arrident.

6. *Et dixi : Domine vocavi te et desideravi frui te* etc. : ita Gence et alii, sed Caietanus, Delfau et accuratæ editt. 1488, 1608 cum nostra concordant.

7. « Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine. » Ps. CXVIII, 65.

8. « Secundum multitudinem miserationum tuarum. » Ps. L, 2.

9. *Iniquitatis et vilitatis :* Ita in omnibus editionibus, sed infirmitas propria est hominis, ac cod. Bobiens. concordat cum nostro Ms.

10. « Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua, ... et non est, qui similis sit tibi. » Psalm. XXXIX, 6, et alibi.

11. « Opera Domini universa bona valde. » Eccl. XXXIX, 21 et alibi.

12. *Valde, judicia*, omissa invocatione, fere in omnibus editionibus, exceptis illis anni 1488 et 1607, quæ nobiscum conveniunt una cum codd. Padolir., Cav. et Bobiensi.

13. « Judicia Domini vera justificata in semetipsa. » Psalm. XVIII, 10.

14. « Tua, Pater, providentia gubernat. » Sap. XIV, 3.

Laus ergo tibi et gloria, o Patris sapientia, te laudet et benedicat os meum, anima mea, et cuncta creata simul.

De recordatione multiplicium beneficiorum Dei.

CAPITULUM 22[um].

I. Aperi, Domine[1], cor meum in lege tua[2], et in præceptis tuis doce me ambulare[3].

Da mihi intelligere voluntatem tuam[4] et cum magna reverentia ac diligenti consideratione beneficia tua, tam in generali, quam in[5] particulari memorare tibi, ut hinc valeam gratias referre[6].

Verum scio et confiteor, nec pro minimo puncto me posse debitas gratiarum laudes persolvere.

Minor ego sum omnibus bonis mihi præstitis[7]; et cum tuam nobilitatem attendo, deficit præ magnitudine illius spiritus[8] meus.

II. Omnia quæ in anima habemus et in corpore et quæcumque exterius vel interius naturaliter vel supernaturaliter possidemus, tua sunt beneficia, et beneficum pium, ac bonum commendant, a quo bona cuncta accepimus[9].

1. « Aperite mihi portas justitiæ: ingressus in eas confitebor Domino. » Psalmus CXVII, 19. « Aperi, Domine, os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum. » Ita in Oratione ante divini officii recitationem.

2. « Adaperiat cor vestrum in lege sua, et in præceptis suis et faciat pacem. » II Maccab. I, 4.

3. « In præceptis meis ambulate. » Ezech. XX, 19, et alibi.

4. « Intelligentes, quæ sit voluntas Dei. » Ephes. V, 17.

5. *Quam in speciali memorari, ut digne tibi ex hinc:* ita Gence, Enriquez, Delfau, Caietanus et alii; attamen Enriquez vertit *si in generale, come in particulare.*

6. « Gratias agentes semper pro omnibus. » Ephes. V, 20.

7. « Minor sum cunctis miserationibus tuis. » Genesis, XXXII, 10.

8. *Magnitudine spiritus:* ita Gence, Elzevirius ipsi soli, dum cæteri concordant cum nostro codice.

9. « Omne datum optimum, et

Et si alius plura alius pauciora accepit, omnia tamen tua sunt[1], nec minimum sine te haberi potest.

Ille qui majora accepit, non potest merito suo gloriari, nec super alios extolli, nec minori insultare[2], quia ille major et melior est, qui sibi minus adscribit, et in regratiando humilior est atque devotior[3]: et qui omnibus viliorem se esse existimat[4], et indigniorem se judicat, aptior est ad percipiendum majora.

III. Qui autem pauciora accepit, contristari non debet, nec indignanter ferre, neque ditiori invidere: sed te potius attendere, et tuam bonitatem maxime laudare, quod tam affluenter, tam gratis, tam libenter[5] sine personarum acceptione[6] tua munera largiris.

Omnia ex te, et ideo omnibus es laudandus[7].

Tu scis quid unicuique donari expediat, et cur iste minus et ille amplius habeat, non nostrum, sed tuum est discernere[8], apud quem singulorum defuita sunt merita.

IV. Unde, Domine Deus, pro magno etiam reputo beneficio, non multa habere unde exterius et secundum homines laus et gloria appareat[9]: ita ut quis consi-

omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre luminum. » Epist. Jacobi I, 17.

1. « Unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic... unicuique sicut divisit Dominus. » I Cor. VII, 7. 17.

2. « Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? » I Cor. IV, 7.

3. *Melior atque devotior. Et qui:* ita Gence et alii; sed quia non videt hoc loco sensum esse continuatum?

4. *Viliorem se existimat* scripsere Enriquez et alii; attamen verbum *esse* clariorem reddit sensum.

5. *Gratis et libenter* in pluribus editionibus, exceptis illis 1488 et 1608, quæ utpote magis accuratæ nobis et codd. Bob. et Cav. accedunt.

6. « Non est acceptatio personarum apud Deum. » Rom. II, 11, et alibi passim.

7. « Quoniam ex ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula. » Rom. 11, 36.

8. *Tuum est hoc discernere* fere in omnibus codicibus, sed pronomen inutile videtur.

9. *Apparet:* ita Gence, Enriquez,

derata paupertate et vilitate personæ suæ, non modo gravitatem[1], aut tristitiam, vel dejectionem inde concipiat, sed potius consolationem, et hilaritatem magnam; quia tu, Deus, pauperes et humiles atque huic mundo despectos tibi elegisti in familiares et domesticos[2].

Testes sunt ipsi Apostoli tui, quos principes super omnem terram constituisti[3].

Fuerunt enim[4] sine querela conversati[5] in mundo, tam humiles quam simplices[6] sine omni malitia et dolo[7], ut etiam pati contumelias gauderent pro nomine tuo[8], et quæ mundus abhorret, ipsi amplecterentur affectu magno.

v. Nihil ergo amatorem tuum, et cognitorem beneficiorum tuorum ita lætificare debet, sicut voluntas tua in eo, et beneplacitum æternæ dispositionis tuæ, de qua[9] tantum contentari debet et consolari, ut ita libenter velit esse minimus, sicut aliquis optaret esse maximus, et ita[10] pacificus et contentus in novissimo

Caietanus, Elzevirius et Valgravius; ast Delfau, codd. Bob., Cav. et editores 1488, 1608 et 1697 omnes nobis accedunt.

1. *Nullam gravitatem* scribunt Delfau, Enriquez, Caietanus; dum Gence, codd. Bob. et Cav. et editores 1488, 1608 concordant cum nostra lectione.

2. « Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? » Jacob. II, 5.

3. « Constitues eos Principes super omnem terram. » Psalm. XLIV, 17.

4. *Fuerunt tamen:* ita Gence, Enriquez, Elzevirius et alii codices; solus Delfau addit *et fuerunt tamen.* Nos censemus nostram lectionem respondere præcedenti articulo.

5. « Secundum justitiam, quæ in lege est, conversatus sine querela. » Ad Philip. III, 6.

6. *Humiles et simplices* ediderunt Gence, Enriquez aliique; sed *tam* indiget *quam* ut illi respondeat. Ita legimus in cod. Bobiensi qui magis autographo accedit.

7. « Deponentes omnem malitiam et omnem dolum. » I Petr. II, 1.

8. « Ibant (Apostoli) gaudentes... quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. » Actor. V, 41.

9. *Dispositionis tuæ. De qua:* ita Gence, Enriquez, sed codices cæteri secuti sunt nostram interpunctionem.

10. *Maximus. Et ita* edidit Gence contra alias lectiones, nam per conjunctionem sensus est continuatus.

loco sicut[1] in loco[2] primo[3] atque ita libenter despicabilis, et abjectus, nullius quoque nominis et famæ sicut cæteris honorabilior, et major in mundo.

Nam voluntas tua et amor honoris tui, omnia excedere debet, et plus eum consolari, magisque placere, quam omnia beneficia sibi data vel danda[4].

De 4.or.[5] magnam importantibus pacem.

CAPITULUM 23um.

I. Fili, nunc docebo te viam pacis[6] et veræ libertatis[7].

II. Fac, Domine, quod dicis, quia hoc mihi est gratum audire.

III. Stude, Fili, alterius potius facere voluntatem[8] quam tuam[9].

Elige semper minus quam plus habere.

1. *In novissimo sicut :* sic Gence, sed non est ibi inepta repetitio vocaboli *loco*.

2. Hisce verbis incipit specimen codicis nostri De Advocatis, quod ad præfationem adjonximus. Vide nostram Tabulam II, pag. x.

3. « Non discumbas in primo loco... recumbe in novissimo loco. » Luc. XIV, 10.

4. « Omnia ergo vanitas præter amare Deum et illi soli servire. » Vide cap. 24 libri I.

5. Adhibuit noster amanuensis numerum arabicum uti in tabola ænea incidi curavimus.

6. « Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. » Luc. I, 79.

7. « Inquire pacem et sequere eam. » Ita Sanctus Benedictus in prologo.

8. « Secundus humilitatis gradus est si propriam quis non amans voluntatem desideria sua non delectetur implere. » Ex regula S. Benedicti, capitulo VII.

9. *Quam tuam. Nam propria voluntas parit penam, et hominem non facit quietum. Amara radix et venenosa est propria voluntas, que ex toto extirpanda est ne germinet fructum dampnationis. Multi sunt, fili mi, de quorum numero esse non velis, qui promittunt obedientiam, et propriam querunt ut plurimum facere voluntatem. Hi nunquam sunt quieti, non considerant quid et cui profitenda promisserunt, et ideo professionis sue executores non facti, tendunt ad infernum, et arras penarum eternarum hic habent, quare ut dixi, propria voluntas semper habet penam. Studio elige* etc. Hæc omnia in cod. Bob. legimus.

Quære semper inferiorem locum et [1] omnibus subesse [2].

Opta semper et ora, ut voluntas Dei integre in te fiat [3].

Ecce talis homo ingreditur fines pacis et quietis.

IV. Domine, sermo tuus iste brevis multum continet perfectionis; parvus [4] est dictu, sed plenus sensu et uber in fructu.

Nam si posset a me fideliter custodiri, non deberet tam facilis in me turbatio oriri.

Nam quoties me impacatum sentio et gravatum, ab hac doctrina me recessisse invenio.

Sed tu qui omnia potes [5], et animæ profectum semper diligis, adauge majorem gratiam, ut possim tuum complere sermonem, et meam perficere salutem.

Oratio contra cogitationes malas [6].

V. Domine Deus meus [7], ne elongeris a me; Deus meus, in auxilium meum respice [8]: quoniam in me [9] surrexerunt cogitationes [10] vanæ et timores magni affligentes animam meam.

1. *Et in omnibus subesse* voluit Gence contra omnes lectiones, atque ad codicem Claromontanum se refert. S. Gregorius Magnus dixit : « Evidentissimum reproborum signum superbia est. » Lib. 34 moral. in Job.

2. *Subesse. Reputa te omnibus inferiorem et viliorem, omnes propone tibi in corde tuo tanquam meliores et virtuosiores. Opta* etc., Ita in codice Bobiensi.

3. « Adveniat regnum tuum ; fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra. » Matth. VI, 10.

4. *Multum in se continet perfectionis. Parvus* etc., ita Enriquez; sed sensus est continuatus, uti cernimus in codicibus Bob. et Cav.

5. « Scio quia omnia potes. » Job. XLII, 2.

6. « Cogitationes malas cordi suo advenientes, mox ad Christum allidere et seniori spirituali patefacere. » Ita in cap. IV Regulæ S. Benedicti.

7. *Meus obsecro te ne :* Ita in cod. Bobiensi.

8. « Deus ne elongeris a me, Deus meus in auxilium meum respice. » Ps. LXX, 12.

9. « Quoniam insurrexerunt in me testes iniqui. » Psalm. XXVI, 12.

10 *In me variæ cogitationes* Gence, Enriquez et alii contra cod. Bob. et Cav. lectionem. In codice Bobiensi, *Cogitationes vane ac turpes et immonde et timores* etc., glossator addidit.

Quomodo pertransibo illæsus? Quomodo perfringam eas?

VI. Ego, inquit, ante te[1] ibo, et gloriosos terræ humiliabo; aperiam januam carceris, et arcana secretorum revelabo tibi[2].

VII. Fac, Domine, ut loqueris, et fugiant a facie tua omnes iniquæ cogitationes[3].

Hæc est spes et unica consolatio mea, ad te in omni tribulatione confugere, tibi confidere, ex intimo invocare, et patienter consolationem tuam exspectare[4].

Oratio pro illuminatione mentis.

VIII. Clarifica me, bone Jesu, claritate æterni luminis. Educ de habitaculo cordis mei tenebras[5] universas[6].

Cohibe evagationes multas et elide vim facientes tentationes.

Pugna pro me fortiter, et expugna malas bestias[7], concupiscentias[8] dico illecebrosas, ut fiat pax in virtute tua et habundantia laudis tuæ resonet in aula sancta, hoc est in conscientia pura[9].

Impera ventis et tempestatibus; dic, mari quiesce; dic Aquiloni, ne flaveris: et erit tranquillitas magna[10].

1. *Ego inquit ante te* Gence et alii, contra codd. Boh. et Cav. lectionem.

2. «Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo: portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam, et dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum etc.» Isai. XLV, 2. 3.

3. « Quantus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi suo advenientes per humilem confessionem abbati non celaverit suo. » Capite VII. Regulæ Sancti Benedicti.

4. *Consolationem tuam expectare, amen.* Ita in solo Bob. cod.

5. *Tenebras meas universas*, ita in codice Bobiensi.

6. « Clarifica me .... claritate » Joan. XVII, 5. — « Lumen refulsit in habitaculo. » Act. XII, 7. — « Illumina tenebras meas. » Ps. XVII, 29.

7. « Auferam malas bestias, et gladius non transibit » etc. Lev. XXVI, 6.

8. « Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc, ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Concupiscitis et non habetis » etc. Jac. IV, 1. 2.

9. « Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis. « Psalm. CXXI, 7. — « In conscientia pura. » 1 Tim. III, 9.

10. «Imperavit ventis et mari » etc. Matth. VIII, 26 — « Comminatus est vento, et dixit mari, tace, obtu-

IX. Emitte lucem tuam[1] et veritatem[2], ut luceant super terram, quia terra sum inanis et vacua[3], donec illumines me.

Effunde gratiam tuam desuper, perfunde[4] cor meum gratia cælesti[5], ministra devotionis aquas ad irrigandum faciem terræ[6], ad producendum fructum bonum et optimum[7].

Eleva mentem pressam mole peccatorum et ad cælestia totum desiderium meum suspende : ut gustata suavitate supernæ felicitatis pigeat de terrenis cogitare[8].

X. Rape me et eripe me ab omni creaturarum indurabili consolatione[9], quia nulla res creata appetitum meum plenarie valet quietare et consolari

Junge me tibi inseparabili dilectionis vinculo, quoniam tu solus sufficis amanti[10] et absque te frivola sunt[11] universa[12].

mesce, et cessavit ventus, et facta est tranquillitas magna. » Marc. IV, 39.

1. « Emitte lucem tuam et veritatem tuam ipsa etc. » Psalm. XLII, 3.

2. *Veritatem tuam* scripserunt Enriquez, Delfau et edit. 1488, 1608, 1697. Sed cæteri secuti sunt nostram lectionem et mentem auctoris, qui semper aliquid omisit vel immutavit, ut biblicum textum suum faceret.

3. « Terra autem erat inanis et vacua. » Genes. I, 2.

4. « Rore cæli infunderis. » Daniel IV, 22.

5. *Cor meum rore celesti :* ita Gence et alii; soli codd. Bob., Cav. et edit. 1488, 1608 nobis conveniunt immutando biblicum textum, uti moris erat.

6. « Fons... irrigans universam superficiem terræ. » Genesis II, 6.

7. « Et aliud cecidit in terram bonam et ortum fecit fructum centuplum. » Lucas, cap. VIII, 8.

8. « Præcipue hoc vitium peculiare radicitus amputandum est de monasterio ne quis præsumat aliquid habere proprium, nullam omnino rem. » Ex cap. XXXIII Regulæ S. Benedicti.

9. *Consolatione. Esto tu solus Deus meus, consolatio mea et gaudium meum, quia nulla res* etc. Hæc adjecta in cod. Bob legimus.

10. « Quoniam tu Deus diligenti te,... sufficis ei. » S. Augustin. Conf lib. 12, cap. 14.

11. *Frivola sunt universa, sine te vana, nichil ei sufficere potest nec eius saturare desiderium :* sic in Bob. cod.

12. « Tres affectus vel tres furiæ sunt quæ hominum animum perturbant : 1° Ira quæ vindictam cupit ; 2° avaritia quæ desiderat opes ; 3° libido quæ appetit voluptates. His vitiis ante omnia resistendum est, hæ stirpes eruendæ ut virtutes inseri possint. » Ita Lactantius in Epitome. cap. 61.

De evitatione curiosæ inquisitionis super alterius vita.

CAPITULUM 24 um.

1. Fili, noli esse curiosus nec vacuas[1] gerere sollicitudines.

Quid hoc vel illud ad te? Tu me sequere[2].

Quid enim ad te, utrum ille sit talis, vel talis, aut iste sic agit[3], vel loquitur[4]?

Tu non indiges respondere pro aliis, sed pro te ipso rationem reddas[5]: quid ergo te implicas?

Ecce ego omnes cognosco[6], et cuncta[7], quæ fiunt sub sole, video[8], et scio qualiter cum unoquoque sit, quid cogitet, quid velit, et ad quem finem tendat ejus intentio.

Mihi igitur committenda sunt omnia; tu vero serva te in bona pace[9], et dimitte agitantem agitare quantum voluerit[10].

Veniet super eum quidquid fecerit vel dixerit, quia me fallere non potest.

1. *Nec vacuus gere* scripsit Gence, Delfau et edit. 1608; at Caietanus, Valgravius, edit. 1697 scripsere *geras*, dum cod. Cav., Bob. et edit. 1488, Elzevirius, Enriquez et Rosweydus nobis arrident.

2. « Quid ad te? tu me sequere. » Joan. XXI, 22.

3. *Vel talis, aut iste sic et sic agit* scripsit Gence. Non ita in cod. Bob., Cav. et edit. 1488. Legitur *sic agat vel loquatur* in edit. 1608.

4. « Nonus humilitatis gradus est si linguam ad loquendum prohibeat monachus. » Cap. 7 Regulæ S. Benedicti.

5. « Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. » Rom. XIV, 12.

6. « Quod ipse nosset omnes.... ipse enim sciebat, quid esset in homine. » Joan. II, 24. 25.

7. *Cuncta quæ sub cælo sunt video, scrutator enim sum cordium, et me nullum latet seorsum et scio qualiter* etc. Hæc in cod. Bobiensi.

8. « Vidi cuncta, quæ fiunt sub Sole. » Eccl. I, 14.

9. « In mansuetudine serva animam tuam. » Eccles. X, 31.

10. « Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicumque causa in aliquo qualicumque verbo vel significatione appareat. » Cap. XXXIV ex Regula S. Benedicti.

11. Non sit tibi curæ de magni nominis umbra[1], non de multorum familiaritate, nec de privata hominum dilectione : ista enim generant distractiones, et magnas in corde obscuritates[2].

Libenter tibi loquerer Verbum meum, et abscondita revelarem, si adventum meum diligenter observares, et ostium cordis mihi aperires.

Esto prudens, et vigila in orationibus[3] et humilia[4] te in omnibus[5].

In quibus firma pax cordis, et verus profectus consistit[6].

CAPITULUM 25um.

1. Fili, ego locutus sum : Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis ; non quomodo hic mundus dat ego do vobis[7].

Pacem omnes desiderant : sed quæ ad veram pacem pertinent, non omnes curant[8].

1. Lucan. Pharsal. lib. I, vers. 135, ibi : « Magni nominis umbra. » Et D. Bernardus, sermone primo de Circumcisione.

2. « Omnis qui se exaltat humiliabitur. Cum hæc dicit sacra scriptura, ostendit nobis omnem exaltationem genus esse superbiæ : quod se cavere Propheta indicat dicens : Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me. » Ex Regula S. Benedicti, cap. VII.

3. « Estote prudentes, et vigilate in orationibus. » I Petri IV, 7.

4. Eccles. III, 20 : « Et omnia pergunt in unum locum, de terra facta sunt, et in terram revertuntur. »

5. « Duodecimus humilitatis gradus est, si non solum corde monachus, sed etiam corpore humilitatem videntibus se semper indicet. » Ex Regula S. Benedicti, cap. VII.

6. S. Benedictus in prologo ostendit viam tabernaculi Dei, dicens : « Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam, qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, qui non fecit malum proximo suo. »

7. Joan. XIV, 27 : « Non quomodo mundus dat, ego do vobis ; non turbetur cor vestrum neque formidet. » Omnes editores secuti sunt textum Evangelii contra auctoris mentem qui semper aliquid immutavit, ut in hoc loco adjecto pronomine *Hic mundus*.

8. « Si vis habere vitam, prohibe

Pax mea cum humilibus et mansuetis corde [1], pax tua erit in multa patientia [2].

Si me audieris, et vocem meam secutus fueris, poteris multa pace frui.

Quid igitur faciam [3] in omni re? Attende tibi quid facias et quid dicas et omnem intentionem tuam ad hoc dirige, ut mihi soli placeas, et extra me nihil cupias, vel quæras.

Sed et de aliorum dictis vel factis nil temere judices, nec cum rebus tibi non commissis te implices, et poterit fieri ut parum vel raro turberis [4].

II. Nunquam autem sentire aliquam turbationem, nec pati aliquam cordis vel corporis molestiam non est præsentis temporis, sed status æternæ quietis [5].

Non ergo exstimes te veram pacem invenisse, si nullam senseris gravitatem, nec tunc totum esse bonum, si neminem pateris adversarium, nec hoc esse perfectum, si cuncta fuerint [6] secundum tuum affectum.

linguam tuam a malo et labia tua ne loquantur dolum, diverte a malo et fac bonum. Inquire pacem et sequere eam. » In prologo Regulæ S. Benedicti.

1. « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris. » Matth. XI, 29.

2. « Pacem falsam non dare; » XXV instrumentum bonorum operum cap. IV. « Quartus humilitatis gradus est si in ipsa obedientia duris et contrariis rebus vel etiam quibuslibet irrogatis injuriis tacita conscientia patientiam amplectatur. » Cap. VII Regulæ S. Benedicti.

3. *Quid igitur faciam? In omni re attende tibi* etc. scripsere Gence, Enriquez et alii; attamen nostra melior videtur lectio, quæ cum cod. Cavensi concordat.

4. « Falsos fratres sustinent et persecutionem : et maledicentes se benedicat. » Cap. VII Regulæ S. Benedicti. Hoc loco falsos fratres, ait Calmetus, esse qui suis machinationibus monasterii utilitates impediunt, quique sunt tolerandi sed fugiendi.

5. S. Augustinus de Civitate Dei, lib. XIV, cap. IX, num. 4 : « Exaltatus sum et humiliatus et confusus » — « Et item bonum mihi quia humiliasti me ut discam mandata tua. » Ita in cap. VII Regulæ S. Benedicti.

6. *Si cuncta fiant:* ita Gence, Enriquez; scripsere *fiunt* editores

Neque tunc magni aliquid[1] te reputes aut specialiter dilectum existimes, si in magna fueris devotione aut dulcedine[2]: quia in istis non cognoscitur verus amator virtutis, nec in istis consistit profectus, et perfectio hominis.

III. In quo ergo, Domine?

In offerendo te ex toto corde tuo voluntati divinæ, non quærendo quæ tua sunt[3], nec in parvo nec in magno, nec in tempore nec in æternitate, ita ut una æquali facie in gratiarum actione permaneas inter prospera et contraria omnia æqua lance pensando[4].

Si fueris tam fortis et longanimis in spe, ut subtracta interiori consolatione etiam ad ampliora sustinenda cor tuum præparaveris, nec te justificaveris[5] et sanctum laudaveris[6]: tunc in vera et recta via pacis ambulas, et spes indubitata erit, quod rursus in jubilo faciem meam sis visurus[7].

Quod si ad plenum tui ipsius contemtum perveneris, scito quod tunc abundantia pacis[8] perfrueris secundum possibilitatem tui incolatus[9].

1488 et 1608; at nostra lectio magis consona auctoris menti videtur, ac concordat cum cod. Cavensi.

1. «Omnem exaltationem genus esse superbiæ.» Cap. VII Reg. S. Benedicti.

2. *Devotione atque dulcedine :* ita Gence, Enriquez, Elzevirius, Rosweydus, edit. 1488 et 1608; sed particulam disjunctivam adhibuerunt Caietanus, Delfau, Valgravius et editor 1697, juxta Cav. cod.

3. « Non quærit quæ sua sunt. » Ep. I Cor. XIII, 5, et alibi.

4. » Ante te omne desiderium meum: cavendum malum desiderium quia mors secus introitum delectationis posita est; nam scriptura dicit: Voluntas habet pœnam, et necessitas parit coronam. » Capite VII Regulæ Sancti Benedicti.

5. *Nec te justificaveris quasi hæc tantaque pati non deberes, sed me in omnibus dispositionibus justificaveris :* ita Gence, Enriquez, Elzevirios, Rosweydus, Valgravius atque Delfau; veteres attamen editiones annorum 1488, 1608, 1697, codd. Bobiensis, Cavensis et Caietanus concordant cum nostra lectione; hæc fortasse a Kempis vel glossatoribus adjecta fuerunt.

6. « Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. » Psalm. CXLIV, 17.

7. « Et videbit faciem ejus in jubilo. » Job. XXXIII, 26.

8. » In diebus ejus.... abundantia pacis. » Psalm. LXXI. 7.

9. « Beati pacifici, quoniam filii

De eminentia liberæ mentis quam supplex oratio magis meretur quam lectio[1].

CAPITULUM 26um.

I. Domine, hoc opus est perfecti viri, nunquam ab intentione cælestium animum relaxare et inter multas curas quasi sine cura transire, non more torpentis, sed prærogativa quadam liberæ mentis, nulli creaturæ inordinata affectione adhærendo.

II. Obsecro te, piissime Domine Deus meus[2], præserva me a curis hujus vitæ[3], ne nimis implicer a multis necessitatibus corporis, ne voluptate capiar[4] ab universis animæ obstaculis, ne molestiis fractus dejiciar[5].

Non dico ab his rebus, quas toto affectu ambit vanitas mundana, sed ab his miseriis, quæ animam servi tui communi maledicto mortalitatis pœnaliter gravant et retardant, ne in libertatem spiritus quoties libuerit valeat introire.

III. O, Deus meus, dulcedo ineffabilis, verte mihi in amaritudinem omnem consolationem carnalem ab æternorum amore me abstrahentem, et ad se in intuitu cujusdam boni delectabilis præsentis male allicientem.

Non me vincat, Deus meus, non me vincat caro[6]

Dei vocabuntur. » Matth. cap. v, 9.

1. *Quam frequens lectio* scripsit Gence, juxta Allat. cod., et cum illo Delfau; sed codd. Bob., Cavensis, Padolir., editor 1697 et cæteri omnes nobis arrident.

2. *Piissime Deus meus :* ita in omnibus supra dictis editionibus.

3. « A sollicitudinibus et divitiis et voluptatibus hujus vitæ. » Luc. VIII, 14.

4. « Necessitates, multæ miseriæ hujus corporis detinent nos. » S. Bernard. Serm. II in Vigil. Nat. Dom. n. 3.

5. *Molestiis fractus dejiciar!* Solus Gence adhibuit hoc loco punctum exclamationis, sed ad quid? Videatur cod. Bobiensis ubi sensus est continuatus.

6. Vide caput XXXVI Reg. S. Be-

et sanguis, non me decipiat mundus, ac brevis gloria ejus, non me supplantet diabolus et astutia illius.

Da mihi fortitudinem resistendi, patientiam tolerandi, constantiam perseverandi.

Da pro omnibus mundi consolationibus suavissimam spiritus tui unctionem, et pro carnali amore tui nominis infunde amorem.

IV. Ecce cibus, potus[1], vestis ac cætera utensilia ad corporis sustentaculum[2] pertinentia, ferventi spiritui sunt[3] onerosa[4].

Tribue talibus fomentis temperate uti, non desiderio nimio implicari.

Abjicere omnia non licet, quia natura sustentanda est; requirere autem superflua et quæ magis delectant, lex sancta prohibet: nam alias caro adversus spiritum insolesceret[5].

Inter hæc quæso manus tua, Domine, me regat[6] et doceat, ne quid nimium fiat[7].

Quod privatus amor a summo bono maxime retardat.

CAPITULUM 27[um].

I. Fili, oportet te dare totum pro toto, et nihil tui ipsius esse.

nedicti, ibi : « Balneorum usus infirmis conceditur. » Bis in anno et pluries sanguinis emissionibus subjiciebantur monachi, uti Calmet testatur. « Sanguinis minutio generaliter fiat in kalendis. » Vide Marten. Antiq. Const. Mss.

1. « Vinum non ad satietatem, sed parce bibat monachus, quia vinum apostatare facit etiam sapientes. » Cap. XL Regulæ S. Benedicti.

2. Asserit Gence in pluribus codicibus legi *sustentationem*, sed cum codd. Gallicis, Belgicis atque Germanis *sustentaculum* servavisse, quod quidem concordat cum nostris codicibus Cavensi et Aronensi, dum in Bob. et Allatian. *substentationem* legitur.

3. S. Bernard. Serm. 1. in Septuag. n. 5. Vide lib. 1 cap. XXII.

4. Vide Regulam S. Benedicti, cap. 39, de mensura ciborum; cap. 40, de mensura potus; cap. 55, de vestimentis et calceamentis fratrum.

5. « Caro concupiscit adversus spiritum. » Galat. v, 17.

6. *Manus tua me regat*: ita Gence, Enriquez, Elzevirius et cæteri.

7. *Ne quid nimium fiat*, aut mi-

Scito quod amor tui ipsius magis nocet tibi, quam aliqua res hujus mundi [1].

Secundum amorem et affectum quem geris quælibet res plus vel minus adhæret.

Si fuerit amor tuus purus et simplex et bene ordinatus, eris sine captivitate rerum.

Noli concupiscere [2] quod non licet habere; noli habere quod te potest impedire et libertate interiori privare.

Mirum quod non ex toto fundo cordis te ipsum mihi comittis cum omnibus quæ desiderare potes, vel habere.

II. Quare vano mærore consumeris? cur superfluis curis fatigaris [3]? Sta ad beneplacitum meum, et nullum patieris detrimentum [4].

Si quæris hoc [5] vel illud, et volueris esse ibi vel ibi propter tuum commodum et proprium beneplacitum magis habendum, nunquam eris in quietudine, nec liber a sollicitudine, quia in omni re reperietur aliquis defectus, et in omni loco erit qui adversetur [6].

III. Juvat ergo non quælibet res adepta, vel multiplicata exterius, sed potius contemta et decisa ex corde radicitus [7].

nimum, sed inter utrumque pugnans medio tutissimus eam: ita in eod. Bobiensi.

1. *Quam aliæ res mundi*: ita Enriquez, Caietanus, Delfau, Valgravius; sed Gence et alii nobis adhærent. *Quam alias res mundi* in eod. Cavensi legimus.

2. « Concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret : Non concupisces. » Paulus ad Romanos, cap. VII, 8.

3. « Quare mærore contraheris? » Mich. IV, 9. — « Stulto labore consumeris. » Exod. XVIII, 18.

4. « Si Dominus voluerit et si vixerimus, faciemus hoc aut illud. » Ita Jacob. in Epist. cap. IV, 15.

5. *Si quæsieris hoc*: ita Enriquez contra lectiones codd. Bob., Cav., Padolir. et alias editiones.

6. « Ingressus est autem David rex et sedit coram Domino et dixit : Quis ego sum Domine Deus et quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque? » Regum II, cap. 7.

7. « Nemo servus potest duobus dominis servire.. Non potest quis Deo servire et Mamonæ. » Lucas, cap. XVI, 13.

Quod non tantum de censu æris [1], et divitiarum intelligat, sed de honoris etiam ambitu ac vanæ laudationis desiderio [2], quæ omnia transeunt cum mundo.

Munit parum locus, si deest spiritus fervoris; nec diu stabit pax illa quæsita forinsecus, si vacat a vero fundamento status cordis: hoc est, nisi steteris in me, permutare te potes, sed non meliorare. Nam occasione orta et accepta [3] invenies quod fugisti et amplius [4].

Oratio pro purgatione cordis et cælesti sapientia.

IV. Confirma me, Deus [5], per gratiam Sancti Spiritus; da mihi virtutem corroborari [6] in interiori homine [7], et cor meum ab omni inutili sollicitudine et angore evacuare, nec variis desideriis trahi cujuscumque rei vilis, aut prætiosæ: sed omnia inspicere sicut transeuntia, et me pariter cum illis transiturum [8], quia nihil permanens sub sole, quia omnia vanitas et afflictio spiritus [9]. O, quam sapiens qui ita considerat.

V. Da mihi, Domine, cælestem sapientiam [10], ut discam te super omnia quærere, et invenire, super

1. « Amen dico vobis quod dives difficile intrabit in regnum cœlorum. » Matthæus, cap. XIX, 23.

2. « Quomodo probatur in conflatorio argentum et in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis. » Proverb. cap. XXVII, 21.

3. « Nam occasione accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. » Paulus ad Romanos, cap. VII. 8.

4. « Dicebant Patres: Si tibi contigerit tentatio in loco, quo habitas, non deseras locum.... quia si deserueris, quocumque perrexeris, ante te invenies, quod fugiebas. » Apud Rosweyd. de Vitis Patrum, pag. 589, edit. Antuerp. an. 1615.

5. « Apprehendit comam capitis ejus et ait: Confirma me, Domine Deus. » Judith. XIII, 9.

6. *Da virtute corroborari*: ita Gence, Delfau, edit. 1488; cæteri scripserunt *da virtutem*; sed omiserunt pronomen quod necessarium videtur hoc loco.

7. « Det.... virtute corroborari per spiritum ejus in interiorem hominem. » Ephes. III, 16.

8. *Transiturum. Quia nihil permanet* ceteri; sed sensus est continuatus hoc loco, uti in edit. 1488 et 1608, et in codd. Bob. et Cav.

9. « Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas, et afflictio spiritus. » Ecclesiasta I, 14.

10. « Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam. » Sap. IX, 4.

omnia sapere et diligere, et cætera secundum ordinem sapientiæ tuæ, prout sunt, intelligere.

Da prudenter declinare blandientem et patienter ferre adversantem [1], quia hæc magna sapientia, omni vento non moveri verborum [2], nec aurem male blandienti præbere [3]: sic enim incepta pergitur via secure [4].

Contra linguas obtrectatorum.

CAPITULUM VIGESIMUM OCTAVUM.

1. Fili, non ægre feras, si quidam de te male senserint [5], et dixerint quod non libenter audias.

Tu deteriora de te ipso sentire debes, et neminem inferiorem [6] te credere.

Si ambulas ab intra, non multum ponderabis volantia verba ab extra [7].

Est non parva prudentia silere in tempore malo [8], et introrsus ad me converti, nec humano judicio disturbari.

1. *Adversantem. Quia hæc* : ita Gence, sed oratio hoc loco videtur continua, uti in cod. Bobiensi, ubi amanuensis scripsit *et patienter ferre patientem*, quod est pleonasmus.

2. « Non ventiles te in omnem ventum. » Eccles. v, 11. — « Ad increpandum tantum eloquia concinnatis et in ventum verba profertis. » Job., cap. vi, 26.

3. *Nec aurem male blandienti præbere Sirenæ* : ita Gence, Enriquez, Rosweydus, Valgravius, Elzevirius : cæteri scripsere *præbere Sireni*, sed noster amanuensis hoc vocabulum lineola delevit, contra codd. Cav. et Bob. lectiones.

4. « In oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua et conversione morum et obedientia. » Ex Regula S. Benedicti, cap. LVIII.

5. *De te male senserint* : ita Gence et alii loco *sentierint*, uti in nostro codice, qui est barbarismus italicus. In cod. Cav. legitur *male sentiunt* etc.

6. *Et neminem infirmiorem* scripsere Gence, Elzevirius cæterique omnes, exceptis cod. Cavensi et editione 1608, qui concordant cum nostra lectione, quæ videtur emendata post collationem.

7. *Volantia verba* : ita in omnibus editionibus, at noster amanuensis superaddidit *ab extra*, quod antecedenti respondet.

8. « Nec confundentur in tempore malo. » Psalm. xxxvi, 19.

11. Non sit pax tua in ore hominum : sive enim bene sive male interpretati fuerint, non es alter homo.

Ubi est vera pax et vera gloria ? Nonne in me ? Et qui non appetit hominibus placere, nec displicere timet, multa fruetur [1] pace [2].

Ex inordinato amore, et vano timore, oritur omnis inquietudo cordis et distractio sensuum.

Qualiter instante tribulatione Deus invocandus est[3].

CAPITULUM 29um.

1. Sit nomen tuum, Domine, benedictum in sæcula[4], qui voluisti hanc tentationem et tribulationem venire super me.

Non possum eam effugere, sed necesse habeo ad te confugere, ut me adjuves et in bonum mihi convertas[5].

Domine, modo sum in tribulatione[6], et non est cordi meo bene, sed multum vexor a præsenti passione.

Et nunc, Pater dilecte, quid dicam[7]? Deprehensus sum inter angustias[8]. Salvifica me in hac hora[9].

1. *Multa perfruetur pace* : ita Gence et alii ; solus codex Allatii nobis concordat.

2. « In me pacem habeatis : in mundo pressuram habebitis. » Joan. xvi, 33.

3. *Invocandus est et benedicendus* scripsere Gence et alii ; sed hæc a glossatore aliquo adjecta : nam in toto capite non agitur nisi de invocando Deo in tribulatione.

4. « Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, et usque in sæculum. » Psalm. cxii, 2. — Daniel. ii, 20 : « Sit nomen Domini benedictum in sæculum. » — Tobias, cap. 23 : « Sit nomen tuum, Deus Israël, benedictum in sæcula. »

5. « Dolentem consolari ; in tribulatione subvenire. » Caput 4 Regulæ S. Benedicti.

6. « Nunc anima mea turbata est. » Joan. xii, 27.

7. « Et quid dicam, Pater ? » Ibid.

8. « Omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias. » Threni Jeremiæ, i, 3.

9. *Ex hora hac* scripsit Gence sequendo textum Evangelii, quod est contra mentem auctoris, ut jam demonstravimus. « Salvifica me ex hac hora. » Joan. xii, 27.

Sed propterea veni in hanc horam, ut tu clarificeris [1], cum fuero valde humiliatus [2], et per te liberatus [3].

Complaceat tibi, Domine, ut eruas me [4]. Nam quid ego pauper agere possum? et quo ibo sine te?

Da patientiam, Domine, etiam hac vice.

Adjuva me, Deus meus [5], et non timebo quantumcumque gravatus fuero.

II. Et nunc inter hæc quid dicam?

Domine, fiat voluntas tua.[6] Ego bene merui tribulari et gravari.

Oportet itaque ut sustineam, et utinam patienter, donec transeat tempestas, et melius fiat.

Potens est autem omnipotens manus tua [7], etiam hanc tentationem a me auferre, et ejus impetum mitigare, ne penitus succumbam, quemadmodum et prius sæpe egisti mecum [8]. Deus meus misericordia mea [9].

Et quanto mihi difficilius, tanto tibi facilior est hæc mutatio dexteræ [10] Excelsi [11].

1. « Sed propterea veni in horam hanc. Pater, clarifica nomen tuum. » Joannes ibid. 27. 28.

2. *Valde humiliatus* : ita legitur in omnibus vetustioribus editionibus, ut ipse Gence affirmat, *valide* adverbium qualitatis non improbans.

3. « Custodiens parvulos Dominus, humiliatus sum et liberavit me. » Psalm. CXIV, 6.

4. Psalm. XXXIX, 14 : « Ut eruas me, Domine, ad adjuvandum me respice. »

5. Psalm. CVIII, 26 : « Adjuva me, Domine Deus meus, salvum me fac secundum misericordiam tuam. »

6. Matth. VI, 10 : « Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. » — Ibidem. XXVI, 42 : « Pater mi, fiat voluntas tua. »

7. « Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua quæ creavit orbem terrarum ex materia invisa. » Sap. XI, 18.

8. *Et prius sæpius egisti mecum* : ita Gence et alii, exceptis vetustis codd. et editionibus 1488 et 1608.

9. Psalm. LVIII, 18 : « Adjutor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus es. Deus meus misericordia mea. »

10. Psalm. LXXVI, 11 : « Et dixit : Nunc cœpi : hæc mutatio dexteræ Excelsi. »

11. Sanctus Benedictus, in cap. IV Regulæ, remedium præbet contra

De divino auxilio petendo, et confidentia recuperandæ gratiæ.

CAPITULUM 30um.

1. Fili, ego Dominus confortans in die tribulationis[1]. Veni ad me[2], cum tibi non fuerit bene.

Hoc est quod maxime impedit consolationem cælestem, quia tardius convertis te ad orationem.

Nam antequam me intente roges, me, multa[3] interim solatia quæris et recreas te in externis.

Ideoque fit ut parum omnia prosint, donec advertas, quia sum ego qui curo[4] sperantes in me[5]; nec est extra me valens consilium[6] neque utile, sed neque durabile remedium.

Sed jam reassumto spiritu post tempestatem reconvalesce in lucem miserationum[7] mearum[8], quia prope sum[9], dicit Dominus, ut restaurem in universa, non solum integre, sed et abundanter et cumulate.

tentationes : 1° mortem quotidie ante oculos suspectam habere; 2° actus vitæ suæ omni hora custodire; 3° in omni loco Deum se respicere pro certo scire; 4° cogitationes malas mox ad Christum allidere et seniori spirituali patefacere. Hæc omnia continentur in præcepto Ecclestic. VII, 40 : « Memorare novissima tua et in æternum non peccabis. »

1. « Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis. » Nahum. I, 7.

2. *Venias ad me* in omnibus editionibus, at italica versio nostræ lectioni respondet, *Vieni à me quando avrai male*. Vide editionem 1505, Florentiæ.

3. *Me intente roges, multa* etc. : ita Gence et alii; in editione 1608 legimus *antequam me interroges*. Attamen nostra lectio magis autographæ respondet, quia post collationem pronomen fuit superpositum.

4. *Qui erno* scripsere Gence, Enriquez, etc., sed *curo* idem est ac *invigilo*, *guberno*, *dirigo*, ac menti auctoris respondet.

5. « Qui salvos facis sperantes in te. » Psalm. XVI, 7.

6. *Nec valens auxilium nec utile consilium* scripsere Gence, Elzevirius, Enriquez, edit. 1608; at Caietanus, Delfau, cod. Padolir., Cav., Bob., et edit. 1488, 1697 nobis conveniunt.

7. « Ostende nobis lucem miserationum tuarum. » Eccles. XXXVI, 1.

8. *In luce miserationum mearum* : ita Gence et alii; solus Bobiensis codex nostræ respondet lectioni.

9. « Prope es tu, Domine. » Psalm.

II. Numquid mihi quidquam difficile est[1]? aut similis ero dicenti et non facienti[2]?

Ubi est fides tua? Sta firmiter et perseveranter. Esto longanimis et vir fortis. Veniet tibi consolatio in tempore suo.

Exspecta me, exspecta[3]: veniam et curabo te[4].

Tentatio est quæ te vexat, et formido vana quæ te exterret.

Quid importat sollicitudo de futuris contingentibus, nisi ut tristitiam super tristitiam habeas[5]? Sufficit diei malitia sua[6].

Vanum est et inutile de futuris conturbari vel gratulari, quæ forte nunquam evenient.

III. Sed humanum est hujusmodi imaginationibus illudi, et parvi est adhuc animi signum, tam leviter trahi a suggestione inimici[7].

Ipse enim non curat an veris an falsis illudat et decipiat et utrum præsentium amore an futurorum[8] formidine prosternat.

Non ergo turbetur cor tuum neque formidet; crede in me[9], et in misericordia mea habeto fiduciam.

CXVIII, 151. — « Dominus prope est. » Philip. IV, 5, et alibi.

1. « Numquid mihi difficile erit omne verbum? » Jerem. XXXII, 27.

2. « Non est Deus quasi homo.... Dixit, et non faciet? Locutus est, et non implebit? » Numer. XXIII, 19.

3. « Exspectans exspectavi Dominum. » Psalm. XXXIX, 1.

4. « Ego (Jesus) veniam, et curabo eum. » Matth. VIII, 7.

5. « Tristitiam super tristitiam habeam. » II Cor. II, 3.

6. « Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua. » Matthæus cap. VI, v. 34.

7. *Trahi ad suggestionem inimici*: ita Gence, Enriquez, Elzevirius, Valgravios et Rosweydus; cæteri, ut Caietanus, codd. Bobiensis, Padulir., editiones 1488, 1608 et 1697 atque Delfau nobis conveniunt.

8. *Amore aut futurorum* scripsit Gence atque Enriquez, etc.; attamen veteres editiones 1488 et 1608 concordant cum nostra, omissa particula conjunctiva.

9. « Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite. » Joan. XIV, 1. — « Non turbetur cor vestrum, neque formidet. » Ibid. 27.

Quando tu te elongatum exstimas a me, sæpe sum propinquior.

Quando exstimas te totum perditum, tunc sæpe magis[1] merendi instat lucrum.

Non est totum perditum, quando res accidit in contrarium.

Non debes judicare secundum præsens sentire, nec sic gravitati alicui undecumque venienti adhærere[2] et accipere, tamquam omnis spes sit ablata emergendi.

IV. Noli putare te relictum ex toto, quamvis ad tempus permiserim tibi aliquam tribulationem[3]: sic enim transitur ad regnum cælorum.

Et hoc sine dubio magis expedit tibi et cæteris servis meis, ut exercitemini a diversis, quam[4] si cuncta ad libitum haberetis.

Ego novi cogitationes absconditas[5]: quia multum expedit pro salute tua, ut interdum sine sapore relinquaris, ne forte eleveris in bono successu, et tibi ipsi placere velis in eo quod non es.

Quod dedi auferre possum et restituere, cum mihi placuerit.

V. Cum dedero, meum est; cum subtraxero, tuum

1. *Quando tu æstimas pene totum perditum, tunc sæpe majus merendi instat lucrum* scripsere Gence, Enriquez et alii; attamen legitur *magis* in editionibus 1488 et 1608 atque in codicibus Padolironia, Cavensia et Bobiensia.

2. *Inhærere:* ita Enriquez, Gence et alii; sed nostra lectio melior est.

3. *Tibi miserim aliquam tribulationem, vel etiam optatam subtraxerim consolationem:* ita legitur in fere omnibus editionibus, in cod. Claromontano *gustatam*. Hæc omnia a glossatore adjecta fuere, nam in cod. Bob. et in editione 1488 non leguntur.

4. *Adversis quam:* ita in omnibus editionibus; attamen in nostro codice correxit amanuensis et intelligitur *a diversis tribulationibus*, uti sensus indicat.

5. « Nonne Deus requirit ista? Ipse enim novit abscondita cordis. » Psalm. XLIII, 22.

non tuli[1]: quia meum est omne datum optimum[2], et omne donum perfectum[3].

Si dimisero tibi[4] gravitatem, aut quamlibet contrarietatem, non indigneris, neque concidat cor tuum, quia ego cito[5] sublevare possum, et omne onus in gaudium transmutare.

Verumtamen justus sum et commendabilis multum, cum sic facio tecum.

VI. Si recte sapis et in veritate aspicis, nunquam debes propter adversa tam dejecte contristari, sed magis gaudere, et gratias agere[6].

Immo hoc unicum reputare gaudium, quod affligens te doloribus, non parco tibi[7].

Sicut dilexit me Pater, et ego diligo vos[8], dixi dilectis discipulis meis, quos utique non misi ad gaudia[9] temporalia, sed ad magna certamina; non ad honores, sed ad despectiones; non ad otium[10], sed ad

1. « Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? Omnia, quæ sub cœlo sunt, mea sunt. » Job. XLI, 2.

2. *Datum bonum*. Concordant omnes editiones, sed discordant a textu epistolæ Divi Jacobi et a cod. Cavensi.

3. « Omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre luminum. » Jacob. I, 17.

4. *Si tibi admisero* scripsere Gence, Enriquez, aliique; vel *immisero*, uti Delfau, juxta Bob. codicem; *Misero* in edit. 1608; *Si tibi mandavero gravitatem* etc. in cod. Padolir., sed Caietanus, cod. Cav. et editor 1697 concordant cum nostro codice.

5. *Cor tuum. Ego cito* : ita Gence, sed in aliis editionibus sensus est continuus atque nobis cohæret. In cod. Cav., et Bob. *et ego cito* legimus.

6. « Omne gaudium existimate.... cum in tentationes varias incideritis. » Jacob. I, 2.

7. « Hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat. » Job. VI, 10.

8. « Sicut dilexit me pater, et ego dilexi vos. » Joan. XV, 9.

9. *Non misi ad gaudia* Gence et alii; attamen perantiquus Bobiensis codex cum nostro Ms. concordat, atque orthographiæ sæculi XIII præbet argumentum.

10. *Ocium, sed ad exercitium non ad quietem, sed ad laborem et ad ferendum multum fructum in patientia. Horum memento fili verborum et esto contentus eorum omnium quæ tibi evenire facio.* Ita glossator in cod. Bobiensi.

labores[1]; non ad requiem, sed ad afferendum fructum multum in patientia[2].

Horum memento, fili mi[3], verborum[4].

De neglectu omnis creaturæ, ut Creator[5] possit inveniri.

CAPITULUM 31 um.

1. Domine mi, adhuc indigeo majori gratia, si debeo[6] illuc pervenire, ubi nemo me poterit, nec ulla creatura impedire.

Nam quamdiu res aliqua me retinet, non possum libere ad te volare.

Cupiebat libere volare qui dicebat: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabó, et requiescam[7]?

Quid simplici oculo[8] quietius[9], et quid liberius nil desiderante in terris?

Oportet igitur omnem pertransire creaturam, et se ipsum perfecte deserere ac in excessu mentis[10] stare, et videre te omnium Conditorem cum creaturis nil simile habere.

Et nisi quis ab omnibus creaturis fuerit expeditus, non poterit libere intendere divinis.

1. « Ociositas inimica est animæ, et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum. » Cap. XLVIII Regulæ S. Benedicti.

2. « Et fructum afferunt in patientia. » Luc. VIII, 15.

3. « Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis. » Joan. XV, 20.

4. En magister monachus loquens ad novitios suos, uti ex toto opere fit luculentum.

5. *Ut creator melius possit*: ita in cod. Bobiensi.

6. *Domine bene indigeo adhuc majori gratia, si debeam*: ita Gence, Enriquez, Elzevirius et alii; sed Valgravius, cod. Bob., Cav. et editores 1488, 1608 nobis conveniunt.

7. « Et dixi: Quis dabit » etc. Ps. LIV, 7.

8. *Simplici avicula quietius* scripsit Gence ipse solus; non video quid gravem hanc vocis mutationem eidem suadere potuerit.

9. « Si oculus tuus fuerit simplex etc. » Matth. VI, 22. « Lucerna est oculus tuus. » Lucas XI, 34.

10. « In mentis excessu. » Psalm. LXVII, 28.

Ideo enim pauci inveniuntur contemplativi, quia pauci sciunt se a perituris creaturis[1] ad plenum sequestrari.

II. Ad hoc magna requiritur gratia, quæ animam levet et supra semetipsam rapiat.

Et nisi homo sit super se levatus in spiritu[2], et ab omnibus creaturis liberatus ac Deo totus unitus quidquid scit, quidquid etiam habet, non est magni ponderis, diu parvus erit. Et infra jacebit qui aliquid magni existimat nisi solum unum immensum bonum æternum.

Et quidquid[3] Deus non est, nihil est et pro nihilo computari debet[4].

Est quippe magna differentia inter[5] sapientiam illuminati et devoti viri, et scientiam litterati, et studiosi Clerici[6].

Multo nobilior est illa doctrina quæ desursum ex divina influentia manat, quam quæ laboriose humano acquiritur ingenio.

III. Plures reperiuntur contemplationem desiderare, sed quæ ad eam requiruntur non student exercere.

Est et magnum[7] impedimentum quia in signis et rebus sensibilibus statur, et parum de perfecta mortificatione habetur.

1. *A perituris et creaturis :* ita Gence et alii; sed non ita Delfau, non ita codd. Bob., Cav. et edit. 1488, 1608. Revera aliena a recto sensu hic videtur particula conjunctiva.

2. *Sit in spiritu elevatus* ediderunt Gence, Enriquez, Elzevirius et alii, contra lectionem codd. Bob. et Cav.

3. *Nam quidquid* scripsere Enriquez, Rosweydus, Caietanus, Delfau et Valgravius; sed ipse Gence cum cæteris nobis arridet.

4. « Omnia mihi copia, quæ Deus non est, egestas est. » S. Augustinus Conf. XIII, 8.

5. *Differentia sapientia:* ita Enriquez, et Gence, omissa voce *inter.* Quæ legitur in cod. Padolir.

6. *Philosophi* edidit Delfau. Sæculo XIII adhuc scientia erat in monasteriis atque in ecclesiis, ideoque clericus vocabatur, doctus laïcus ignarus.

7. *Est magnum*, omissa copulatione, editur a Gence, Elzevirio, Caietano, contra lectiones 1488, 1608 et illam Enriquez.

Nescio quid est, et quo spiritu ducimur[1] et quid prætendimus qui spirituales dici videmur quod totum laborem et ampliorem sollicitudinem pro transitoriis et vilibus rebus agimus, et de interioribus nostris vix raro plene recollectis sensibus cogitamus.

IV. Proh dolor, statim post modicam recollectionem foris erumpimus, nec opera nostra destricta examinatione trutinamus.

Ubi jacent affectus nostri, non attendimus, et quam impura sint omnia nostra, non deploramus.

Omnis quippe caro corruperat viam suam, et ideo sequebatur diluvium magnum[2].

Cum ergo interior affectus noster corruptus sit[3], necesse est ut actio sequens index carentiæ interioris vigoris corrumpatur.

Ex puro corde procedit fructus bonæ vitæ[4].

V. Quantum quis fecerit non quæritur[5], sed ex quanta virtute agit, non tam studiose pensatur.

Si fuerit fortis, dives, pulcher, habilis vel bonus scriptor, vel bonus cantor, aut bonus laborator, investigatur; sed quam pauper[6] sit spiritu, quam patiens et mitis, quam devotus et internus, a multis tacetur.

Natura exteriora hominis respicit: gratia ad interiora se convertit.

1. *Nescio quid est, quo spiritu ducimur:* ita Gence et plerique, sed editiones 1488, 1608 nobis conveniunt.

2. « Cumque vidisset Deus terram esse corruptam, dixit: Ecce adducam aquas diluvii. » Genes. VI, 12. 17.

3. *Affectus noster multum corruptus sit:* ita Gence et alii; ast codices Bob. et Cav., et editores 1488, 1608 non dissentiunt a nostra lectione.

4. « Charitas de corde puro. » I Pauli ad Timotheum. I, 5.

5. *Quis fecerit quæritur:* ita Euriquez, Gence, Elzevirius et alii; attamen particula *non*, in nostro Ms. fuit superadjecta post collationem cum originali.

6. *Investigatur. Quam pauper* legitur ubique, verum nostra lectio clarior adparet.

Illa frequenter fallitur; ista in Deo sperat, ut non decipiatur[1].

De abnegatione sui ipsius[2] et abdicatione omnis cupiditatis.

CAPITULUM 32um.

I. Fili, non potes perfecte[3] possidere libertatem nisi totaliter abneges temetipsum[4].

Compediti sunt omnes proprietarii et sui ipsius amatores, cupidi[5], curiosi, gyrovagi[6], quærentes semper curiosa et mollia[7], non quæ Jesu Christi: sed sæpe hoc fingentes et componentes hoc, quod non stabit. Peribit enim totum hoc quod non est ex Deo ortum.

Tene breve et consummatum verbum: Dimitte omnia, et invenies omnia: dimitte cupidinem, et invenies[8] requiem.

Hoc mente pertracta et cum impleveris, omnia intelliges.

II. Domine, hoc non est opus unius diei[9] nec ludus parvulorum: immo in hoc brevi[10] concluditur omnis perfectio Religiosorum.

1. « Quidquid agendum inchoas bonum, id ab Domino Christo perfici instantissima oratione deposcas. » Ita S. Benedictus in prologo Regulæ.

2. *De abnegatione sui:* legitur in omnibus editionibus.

3. *Perfectam:* ita Gence et alii; sed adverbium præbent editiones 1488 et 1608, juxta codd. Bob. et Cav.

4. « Si quis vult post venire, abneget semetipsum. » Matth. XVI, 24.

5. « Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati. » II Tim. III, 2.

6. « Circumeuntes provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes; quærunt semper curiosa isti Gyrovagi » Augustinus cap. XXVIII, De opere Monachorum.

7. *Quærentes semper mollia*, ita Enriquez, Caietanus et alii.

8. *Relinque cupidinem et reperies:* sic Gence, Enriquez et alii, ast cod. Bob., Cav. et editiones 1488, 1608 concordant cum nostro Ms.

9. « Opus non est diei unius. » I Esdr. X, 13. — « Hoc opus non in uno fit momento conversionis, non est unius diei. » Auctor epistol. ad Fratres de Monte Dei, cap. 8, n. 24, inter Opp. S. Bernard. vol. 2.

10. *Brevi verbo* scripserunt Enriquez, Delfau et editor 1697; cæteri

III. Fili, non debes averti, nec statim dejici audita via perfectorum, sed magis ad sublimiora provocari, et ad minus ad hoc ex desiderio suspirare.

Utinam sic tecum esses[1], et ad hoc pervenisses, ut tui ipsius amator non esses, sed ad nutum meum pure stares, et ejus quem tibi præposui Patris : tunc mihi valde placeres, et tota vita tua cum gaudio[2] et pace transiret.

Habes adhuc multa ad relinquendum quæ nisi mihi[3] ex integro resignaveris, non acquires quod postulas.

Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, ut locuples fias[4], idest sapientiam cælestem, omnia infima conculcantem.

Postpone terrenam sapientiam omnem ac humanam complacentiam et propriam[5].

IV. Dixi tibi viliora emenda pro prætiosis, et altis[6] rebus humanis.

Nam vilis[7] et parva, et pene oblivioni tradita videtur vere cælestis sapientia, non sapiens alta de se[8], nec magnificari quærens in terra[9]. Quam multi ore

respondent nostræ lectioni. *In hoc brevi includitur* legimus in cod. Cav. et Bobiensi.

1. *Sic tecum esset:* ita Gence, Enriquez, Elsevirius et cæteri omnes; attamen traductor italus scripsit : *Oh fossi tu in tale disposizione* etc.

2. *Tota vita tua in gaudio :* sic Gence et alii, exceptis tamen editionibus 1488, 1609, Caietano, Delfau et Velgravio. *Tunc profecto mi valde placeres et tota vita tua cum gaudio maneret et in pace transiret:* sic in cod. Bob.

3. *Non michi* in nostro Ms.

4. « Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum ut locuples fias. » Apocalypsis Joannis, III, 18.

5. *Sapientiam, omnem humanam et propriam complacentiam:* ita in editionibus Genceana, Elzeviriana et aliis; Caietanus, cod. Bob. et editor 1488 nobis consentiunt; *omnem mundanam* legimus in cod. Cavensi.

6. *In rebus:* ita Gence et alii; sed amanuensis delevit præpositionem in nostro Ms. Avogadiensi.

7. *Nam valde vilis:* ita Enriquez et Gence, non ita codices Bob., Cav., Padolir., editor 1488, neque Caietanus, Delfau et Velgravius.

8. « Non alta sapientes. » Rom. XII, 16.

9. « Magnificare se... super terram. » Psalm. X, 18.

tenus prædicant, sed vita longe dissentiunt: ipsa tamen est prætiosa margarita[1] multis abscondita.

De instabilitate cordis et de intentione finali ad Deum habenda.

CAPITULUM 33um.

1. Fili, noli credere affectui tuo, qui nunc est[2]: cito mutabitur in aliud.

Quamdiu nam vixeris[3], mutabilitati subjectus eris[4], etiam nolens[5]: ut modo lætus, modo tristis, modo pacatus, modo turbatus, nunc devotus, nunc indevotus, nunc studiosus, nunc acidiosus[6], nunc gravis, nunc levis inveniaris[7].

Sed stat super hæc mutabilia sapiens et bene doctus in spiritu, non attendens quid in se sentiat nec qua parte[8] flet ventus instabilitatis, sed ut tota intentio mentis ejus ad debitum et ad optimum proficiat finem.

Nam sic poterit unus et idem[9] inconcussus ma-

1. « Inventa una prætiosa margarita abiit, et vendidit omnia, quæ habuit, et emit eam. » Matth. XIII, 46.

2. « Noli nimis credere affectui tuo, qui nunc est. » S. Bern. de Confid. lib. I, cap. 2.

3. *Quamdiu vixeris*, omissa conjunctione a Gence, ab Elzevirio, Delfau, Caietano et Valgravio; solæ edit. 1488 et 1609 nobis concordant.

4. *Subjectus es :* ita Gence et alii, exceptis cod. Bob. et edit. 1488, 1609, 1697, quæ non distant a nostra lectione quæ fuit in margine emendata post collationem factam.

5. « Vanitati enim creatura subjecta est non volens sed propter eum, qui subjecit eam in spe. » Epistole divi Pauli ad Romanos VIII, 20.

6. *Nunc acediosus:* ita Caietanus. Jam observevimus, juxta DuCange, secidiam esse monachorum infirmitatem.

7. « Homo natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur et conteritur et fugit velut umbra et nunquam in eodem statu permanet. » Job. XIV, 1. 2.

8. *Non attendens quid in se sentiat vel qua parte :* ita Gence, Enriquez, Elzevirius et alii.

9. *Nam sic poterit unus et idem inconcussusque permanere* scripsere Gence, Enriquez, Caietanus, et alii exceptis codd. Bob. et Padolir., qui cum nostro Ms. concordant.

nere, simplici intentionis oculo[1] per tot varios eventus ad me imprætermisse directo[2].

II. Quanto autem purior fuerit intentionis oculus, tanto constantius inter diversas itur procellas.

Sed in multis caligat oculus puræ intentionis. Respicit enim cito in aliquod delectabile quod occurrit et raro[3] totus quis liber invenitur a nævo propriæ inquisitionis.

Sic Judæi olim venerunt Bethaniam ad Martham et Mariam[4], non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent[5].

Mundandus est ergo intentionis oculus, ut sit simplex et rectus atque ultra omnia varia media ad me dirigendus[6].

Quod[7] amanti sapit Deus super omnia et in omnibus.

CAPITULUM 34um.

I. Ecce Deus meus et omnia[8]. Quid volo amplius? Et quid felicius desiderare possum?

1. « Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex: totum corpus tuum lucidum erit. » Matth. VI, 22. — « Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. » Luc. XI, 34.

2. *Pretermisse directos:* sic in solo Bobiensi codice.

3. *Quod occurrit. Nam et raro* ediderunt Gence, Enriquez, Caietanus, Delfau; nobis conveniunt codd. Bub., Cav., Padulir., editores 1488, 1609, uti accuratissimi.

4. « Multi ex Judæis venerant ad Martham, et Mariam. » Joan. XI, 19.

5. « Venerunt (Judæi Bethaniam) non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent. » Joan. XII, 9.

6. Ex hoc capitulo et sequenti Beata Osanna Andreasi sæculo XV suam epistolam depromsit quam Papebrochius latine edidit die 18 mensis Junii, ut videri oportet.

7. Hoc capitulum est 39 in cod. Allatii, quia in eo omnes orationes tanquam tot capita enumerantur.

8. « Ut Deus sit omnia in omnibus. » I Pauli ad Cor. XV, 28.

O, sapidum et dulce verbum, sed amanti verbum non mundum, nec ea quæ in mundo sunt[1].

Deus meus et omnia. Intelligenti satis dictum est, et sæpe repetere jucundum est amanti.

Te siquidem præsente jucunda sunt omnia : te autem absente fastidiunt[2] cuncta.

Tu facis cor tranquillum, et pacem magnam, lætitiamque festivam.

Tu facis bene sentire de omnibus, et in omnibus te laudare : nec potest aliquid diu sine te placere; sed si debet gratum esse et bene sapere, oportet gratiam tuam adesse, et condimento tuæ sapientiæ condiri.

II. Cui tu sapis, quid ei recte non sapiet? Et cui tu non sapis, quid ei[3] recte ad jucunditatem esse poterit?

Sed deficiunt in tua sapientia[4] mundi sapientes, et qui carnem sapiunt[5] : quia ibi plurima vanitas, et hic mors invenitur.

Qui autem te per contemtum mundanorum et carnis mortificationem sequuntur, vere sapientes esse cognoscuntur, quia de vanitate ad[6] veritatem, et de carne ad spiritum transferuntur.

Istis sapit Deus, et quidquid[7] invenitur in crea-

1. « Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. » I B. Joannis II, 15.

2. *Fastidio sunt cuncta* scribet Delfau, sed cod. Bob. et Cav. et alii nobis cohærent.

3. *Quid ei ad jucunditatem :* ita in omnibus editionibus, sed repetitio adverbii clariorem facit sensum.

4. *In sua sapientia* ediderunt Enriquez atque Delfau, quod Gence non probat in suis notis juxta codices Padolir., Bobiensem et Cavensem.

5. «Perdam sapientiam sapientium.» I Cor. I, 19, et alibi. — « Confusi sunt sapientes ... et sapientia nulla est in eis. » Jerem. VIII, 9, et alibi. — « Quæ carnis sunt, sapiunt. » Paulus ad Romanos VIII, 5.

6. *Ad veritatem*, *de carne ad spiritum* etc., omissa conjunctione, edidit Enriquez atque Gence.

7. *Et quidquid boni invenitur* : ita Gence, Enriquez, Valgravius et Elze-

turis totum referunt ad laudem sui Conditoris.

Dissimilis tamen[1] est et multum dissimilis sapor Creatoris et creaturæ, æternitatis, et temporis, lucis increatæ et lucis illuminatæ.

III. O, lux perpetua, cuncta creata transcendens lumina : fulgura coruscationem[2] de sublimi penetrantem omnia intima cordis mei.

Purifica, lætifica, clarifica, et vivifica spiritum meum cum suis potentiis ad inhærendum tibi jubilosis successibus[3].

O, quando veniet hæc beata et desiderabilis hora, ut tua me saties præsentia, et sis mihi omnia in omnibus[4].

Quamdiu hoc non datum fuerit, nec gaudium plenum erit. ·

Adhuc, proh dolor, vivit in me vetus homo, non est totus crucifixus, non est perfecte mortuus[5], adhuc[6] concupiscit fortiter adversus spiritum. Bella movent intestina, nec regnum animæ patitur esse quietum[7].

IV. Sed tu qui dominaris potestati maris, et mo-

virios; sat edit. 1488, 1608, 1697, Caietanus, Delfau et codd. Padolir., Bob., Cav. nobis conveniunt.

1. *Tamen et multum dissimilis*, omisso verbo, a Gence, Enriquez et aliis contra lectionem codd. Bobiensis so Cavensis.

2. « Fulgura coruscationem. » Psal. CXLIII, 6.

3. *Jubilosis excessibus:* Ita apod Geoce, Enriqnez et cæteros omnes, cod. Bob. exeepto; nostraqoe lectio melior videtur: nam *successus, eventus, exitus, casus* snnt synonyma. *Excessus* pro peccato accepitur : its Forcellinus, in ano latinitatis lexico.

4. « Ut sit Deus omnia in omnibus. » Epistola I Paoli ad Cor. XV, 28.

5. « Vetus homo noster crucifixus est... mortuus est peccato. » Paulus ad Romanos VI, 6. 10.

6. *Adhuc concupiscit fortiter contra* etc. ediderunt Gence et alii, Rosweydus et Enriquez; cæteri nobis arrident.

7. « Caro concupiscit adversus spiritum : spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur. » Galat. V, 7. Rom. VII, 23.

tum fluctuum ejus tu mitigas [1], exsurge, adjuva me [2].

Dissipa gentes quæ bella volunt [3]; contere eas in virtute tua [4].

Ostende quæso magnalia tua [5], et glorificetur dextera tua [6]: quia non est spes alia, nec refugium mihi nisi in te, Domine Deus meus [7].

Quod non est securitas a tentatione in hac vita.

CAPITULUM 35um.

1. Fili, nunquam es securus in hac vita [8]: sed quoad vixeris, semper arma spiritualia tibi sunt necessaria [9].

Inter hostes versaris; a dextris et a sinistris [10] impugnaris.

Si ergo non uteris undique scuto patientiæ, non eris diu sine vulnere.

Insuper si non ponis cor tuum fixe in me cum

1. *Ejus mitigas:* ita in edit. omnibus; in nostro codice pronomen fuit hic superadjectum, quod cod. Cav. et editioni 1488 convenit. — « Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas. » Psalm. LXXXVIII, 10.

2. « Exsurge Domine, adjuva nos. » Psalm. XLIII, 26.

3. « Dissipa gentes quæ bella volunt. » Psalm. LXVII, 32.

4. « Disperge illos in virtute tua. » Psalm. LVIII, 12. — « Allide virtutem eorum in virtute tua, cadat virtus eorum in iracundia tua, qui promittunt se violare sancta tua. » Judith. IX, 11.

5. « Ostendere illis magnalia operum suorum. » Eccles. XVII, 7.

6. « Glorifica manum, et brachium dextrum. » Ecclesiasticus XXXVI, 7.

7. « In te Domine speravi... quoniam fortitudo mea, et refugium meum es tu. » Psalm. XXX, 1. 4, et alibi. Vid. Valart cap. 25.

8. « Nemo securus esse debet in ista vita, quæ tota tentatio nominatur. » S. Augustin. Confess. lib. 10, cap. 32. — « Præpara animam tuam ad tentationem. » Ecclesiasticus, II, 1.

9. « Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui malignum diabolum aliquid suadentem sibi cum ipsa suasione sua a conspectibus cordis sui respuens deduxit ad nihilum et parvulos cogitatus ejus tenuit et illisit ad Christum. » Ita in prologo Regulæ S. Benedicti.

10. « In virtute Dei per arma justitiæ a dextris et a sinistris. » II Cor. VI, 7.

vera[1] voluntate cuncta patiendi propter me, non poteris ardorem istum sustinere, nec ad palmam pertingere Beatorum[2].

Oportet ergo te viriliter omnia pertransire, et potenti manu uti adversus objecta.

Nam vincenti datur manna[3] et torpenti relinquitur multa miseria.

II. Si quæris in hac vita requiem : quomodo tunc pervenies[4] ad æternam requiem?

Non ponas te ad multam requiem, sed ad magnam patientiam.

Quære veram pacem[5] non in terris sed in cælis, non in hominibus nec in cæteris creaturis, sed in Deo solo[6].

Pro amore[7] Dei debes omnia libenter subire, labores scilicet et dolores, tentationes et vexationes, anxietates et necessitates, infirmitates, injurias, oblocutiones, reprehensiones, humiliationes, confusiones, correctiones et despectiones.

Hæc juvant ad virtutes, hæc probant Christi[8] tironem, hæc fabricant cælestem coronam.

Ego reddam[9] ei æternam mercedem pro brevi

1. *Cum mera voluntate* Gence, Enriquez et alii.

2. « Monachus non lassescat, vel discedat, dicente scriptura : Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. » Cap. VII Regulæ S. Benedicti.

3. « Vincenti dabo manna absconditum. » Apoc. II, 17.

4. *Pervenies ad æternam* scripsit Gence, omissa repetitione sequendo cod. Bob. lectionem.

5. « Inquire pacem. » Ps. XXXIII, 15.

6. « In me pacem habeatis : in mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum. » Joan. XVI, 33.

7. Pax est hereditas monachi ; ideo divus Benedictus in suo prologo dicit : « Inquire pacem et sequere eam. »

8. Scripserat *terrorem*, punctis signavit errorem, inde scripsit *tyronem;* hæc probant quanta cum diligentia codex fuerit exaratus. In cod. Bobiensi scripserat *tyrones* quod ipse Amanuensis marginaliter correxit.

9. *Ego reddam mercedem æternam :* ita Gence, Enriquez, Valgravius, Elzevirius et Rosweydus; cæteri concordant cum nostra lectione.

labore, et infinitam gloriam pro transitoria confusione.

III. Putas, quod semper habebis pro tua voluntate consolationes spirituales.

Sancti mei non[1] habuerunt tales, sed multas gravitates et tentationes varias[2], magnasque desolationes, sed patienter sustinuerunt se in omnibus et magis confisi sunt Deo quam sibi : scientes quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam[3] promerendam.

Vis tu statim habere, quod multi post multas lacrymas et magnos labores vix obtinuerunt?

Exspecta Dominum, viriliter age et confortare[4]; noli diffidere, noli discedere, sed corpus et animam expone constanter pro gloria Dei[5].

Ego reddam plenissime ; ego tecum ero in omni tribulatione[6].

Contra hominum vana judicia.

CAPITULUM 36um.

I. Fili, jacta cor tuum firmiter in Domino[7]; et humanum ne metuas judicium, ubi te conscientia pium reddit insontem[8].

1. *Non semper* legitur in Genceuse editione, in illa Valgravii, Rosweydi, et Elzevirii, sed hæc repetitio adverbii omittitur in codd. Padolir., Bob. et Cav. cæterisque editionibus.

2. « Cum in tentationes varias incideritis. » Jacob. I, 2.

3. « Existimo enim quod non sunt condignæ passiones. » Rom. VIII, 18.

4. « Et confortare cor meum et sustine Dominum. » Ps. XXVI, 14.

5. « Confortetur cor tuum et sustine Dominum. » Ita in cap. IV Regulæ S. Benedicti.

6. « Cum ipso sum in tribulatione. » Psalm. XC, 15.

7. « Jacta super Dominum curam tuam. » Psalm. LIV, 23.

8. « Non murmuriosum, non detractorem. » Cap. IV. — « Murmurans si non emendaverit, objurgetur publice; si vero neque sic correxerit, excommunicationi subjaceat. » Cap. 23 ex Reg. S. Benedicti.

Bonum est et beatum taliter pati : nec hoc erit grave humili cordi[1] et Deo magis quam sibi ipsi confidenti[2].

Multi multa loquuntur et ideo parva fides[3] est adhibenda. Sed et omnibus satis esse non est possibile. Et si Paulus studuit omnibus in Domino placere[4], et omnibus omnia factus est[5], tamen etiam pro minimo duxit, quod ab humano die judicatus fuerit[6].

II. Egit satis pro aliorum ædificatione et salute, quantum in se erat, et poterat : sed ne ab aliis aliquando judicaretur, vel[7] non despiceretur, cohibere non potuit.

Ideo totum commisit Deo, qui totum noverat; et patientia et humilitate contra ora loquentium iniqua[8], ac etiam vana et mundana[9] cogitantium, atque pro libitu suo quæque jactantium se defendit.

Respondit tamen interdum[10], ne infirmis pro[11] sua taciturnitate generaretur scandalum[12].

1. « Benedicite Sancti et humiles corde. » Daniel. III, 87.

2. « Non simus fidentes in nobis, sed in Deo. » II Cor. I, 9.

3. « Faciamus quod ait Propheta : Dixi, custodiam vias meas ut non delinquam in lingua mea. » Cap. VI Regulæ S. Benedicti.

4. « Ego (Paulus) per omnia omnibus placeo. » I Cor. X, 33.

5. « Omnibus omnia factus sum. » I Cor. IX, 22.

6. « Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die. » I Cor. IV, 3.

7. *Vel ne despiceretur* scripsit Gence ipse solus; at Caietanus, Delfau, Valgravius particulam omiserunt, dum editores 1488, 1608, Elzevirius Rosweydus et Enriques nobis conveniunt.

8. « Os loquentium iniqua. » Psalmorum LXII, 12.

9. *Aut etiam vana ac mendosa*: ita Gence, Enriques, Elsevirius cæterique unanimiter; attamen *mundana cogitantium* italica phrasis est, *giudicavano mondanamente*.

10. Act. XXVI, I : « Tunc Paulus extenta manu cœpit rationem reddere. »

11. *Ne infirmis ex sua taciturnitate*: sic Gence et alii.

12. « Omni tempore silentio debent studere monachi. » Cap. XLII Regulæ S. Benedicti.

III. Quis es tu, ut timeas a mortali homine[1]? Hodie est, et cras non comparet[2].

Deum time[3], et hominum pavores[4] non expavesces[5].

Quis[6] potest in te aliquid? Verbis, aut iniuriis sibi potius nocet, quam tibi; nec poterit judicium Dei fugere[7] quicumque est ille.

Tu habe Deum præ oculis[8], et noli contendere verbis querulosis.

Quod si ad præsens videris succumbi[9], et confusionem pati quam non meruisti, non indigneris ex hoc neque per impatientiam minuas coronam tuam[10].

Sed ad me potius respice in cælum, qui potens sum eripere ab omni confusione et injuria et unicuique reddere secundum opera sua[11].

1. « Quis tu, ut timeres ab homine mortali?... » Is. LI, 12.

2. « Hodie extollitur, et cras non invenitur, quia conversus est in terram suam. » I Maccab. II, 63.

3. Eccl. XII, 13 : « Deum time et mandata ejus observa. »

4. *Hominum terrores* legitur ubique, nos tamen censemus agi hoc loco de *metu*, non de *terrore* incutiendo.

5. « Qui timet Dominum, nihil trepidabit, et non pavebit. » Ecclesiasticus XXXIV, 16.

6. *Quid potest aliquis in te verbis*: ita Gence et alii; at verus sensus est: *E che potrà alcuno contro te ?*

7. « Quia tu effugies judicium Dei? » Rom. II, 3.

8. « In mente habeto Deum. » Tob. IV, 6. — « Deum semper habeto præ oculis tuis. » Rufinus in Vit. Patr. lib. 3, n. 108.

9. *Succumbere*: ita Gence, Valgravius, Caietanus, Delfau et edit. 1608, 1697. Cæteri, uti Elzevirius, Rosweydus et editor 1488, nobis accedunt. Sed dissimulare non juvat rectius usurpari verbum succumbere quam succumbi, quod latinum non est. In cod. Bob. legimus *Qui si ad præsens videris subcumbere* etc. In cod. Antuerpensi legitur *succumbi*, uti et in nostro Ms.

10. « Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. » Hebr. XII, 1.

11. « Reddet unicuique secundum opera ejus. » Matth. XVI, 27. « Qui reddet unicuique secundum opera ejus. » Rom. II, 6.

De pura et integra[1] *resignatione cordis ad obtinendam sui libertatem.*

CAPITULUM 37um.

I. Fili, relinque te, et invenies me[2]; sta sine electione, et omni proprietate et semper lucraberis.

Nam et adjicietur tibi amplior gratia statim, ut te resignaveris nec resumseris.

II. Domine, quoties me resignabo? et in quibus[3] me relinquam?

III. Semper et in omni hora: sicut in parvo, sic et in magno. Nihil excipio, sed in omnibus te nudatum inveniri volo.

Alioquin quomodo poteris esse meus et ego tuus, nisi fueris ab omni propria voluntate intus et foris spoliatus?

Quanto celerius hoc agis, tanto melius habebis; et quanto plenius et sincerius, tanto mihi plus placebis, et amplius lucraberis.

IV. Quidam se resignant, sed cum aliqua exceptione: non enim plene in Deo confidunt; ideo providere sibi satagunt.

Quidam etiam primo offerunt totum, sed postea tentatione pulsante[4] ad propria redeunt; ideo minime in virtute proficiunt.

1. *De pura et integra resignatione*: sic legitur in cod. Bobiensi absque cæteris verbis. In cod. Cav. *ad optinendum* littara P loco B adhibita.

2. Sanctus Benedictus in Prologo ait: « Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuntians propriis voluntatibus D. Christo vero regi militaturus obedientia assumis. »

3. S. Benedictus in Prologo admonet discipulos suos, ibi: « Quidquid agendum inchoas bonum, a Deo perfici instantissima oratione deposcas. »

4. *Tentatione pulsati*: ita Gence, Enriquez, Rosweydus et Elzevirius; cæteri concordant cum nostro codice.

Hi ad veram puri cordis libertatem, et jucundæ familiaritatis meæ gratiam non pertingent, nisi integra resignatione, et quotidiana sui immolatione prius facta, sine qua non stabit, nec stat unio fruitiva.

v. Dixi tibi sæpissime et iterum nunc dico: Relinque te, resigna te, et frueris magna interna pace[1].

Da totum pro toto, nihil exquire, nil repete, sta pure et inhæsitanter in me, et habebis me.

Eris liber in corde, et tenebræ non conculcabunt te[2].

Ad hoc conare, hoc[3] ora, hoc stude desiderare, ut ab omni proprietate possis exspoliari et nudus nudum Jesum sequi[4], tibi mori, et mihi æternaliter vivere.

Tunc deficient[5] omnes vanæ phantasiæ, conturbationes iniquæ, et curæ superfluæ.

Tunc etiam recedet immoderatus timor, et inordinatus amor morietur[6].

De bono regimine in externis, et recursu ad Deum in periculis.

CAPITULUM 38[um].

1. Fili, ad istud diligenter tendere debes, ut in omni loco, actione[7] seu occupatione externa sis intus

1. « Abnegare semetipsum sibi ut sequatur Christum. Delicias non amplecti. » Cap. iv Regulæ S. Benedicti.

2. « Tenebræ conculcabunt me. » Psalm. cxxxviii, 11.

3. *Hoc ora, hoc desidera* Gence, Enriquez, Elzevirius, Rosweydus; cæteri nobis arrident; solus Delfau edidit *hoc stude, hoc desidera ut* etç.

4. « Nudam crucem nudus sequar. » S. Hieron. Ep. 34, 5. 2 ad Nepot.

5. *Tunc decident omnes vanæ fantasiæ* legimus in Bob. cod. Vocabulum vulgare italum *fantasia*.

6. Doctrina hujus capituli deprompta fuit a cap. 33 Regulæ S. Benedicti. « Si quid debeant monachi proprium habere, » ibi: « Nec quisquam suum esse aliquid dicat aut præsumat. »

7. In cap. xx Regulæ S. Benedicti legimus: « Si cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non

liber[1], et tui ipsius potens, et sint omnia sub te, et tu non sub eis[2], ut sis dominus actionum tuarum, et rector, non servus, nec emptitius, sed magis exemtus[3] verusque Hebræus, in sortem ac libertatem transiens filiorum Dei[4]; qui stant supra præsentia et speculantur æterna; qui transitoria intuentur sinistro oculo, et dextro cælestia, quos temporalia non trahunt ad inhærendum, sed trahunt ipsi ea magis ad bene serviendum, prout ordinata sunt a Deo, et instituta a summo Opifice, qui nil inordinatum reliquit in sua creatura[5].

II. Si autem[6] in omni eventu stas non in apparentia externa, nec oculo carnali lustras visa vel audita, sed mox in qualibet causa intras cum Moyse in tabernaculum ad consulendum Dominum[7]: et audies nonnunquam divinum responsum et redies instructus de multis præsentibus et futuris.

Semper enim Moyses recursum habuit ad tabernaculum pro dubiis et quæstionibus solvendis fugitque ad orationis adjutorium[8] pro periculis et improbitatibus hominum sublevandis.

præsumimus nisi cum humilitate et reverentia, quanto magis Deo supplicandum est. »

1. *Sis intimus liber* : ita Gence, Elsevirius, Enriquez, ast editor 1608 scripsit *interius*. Cod. Bob. : *In intimis liber* etc. Cæteri autem nobis assentiunt, quod quidem sensum exhibet magis perspicuum.

2. « Si bene egeris, recipies ; sin autem male, statim in foribus peccatum aderit, sed sub te erit appetitus ejus et tu dominaberis illius. » Genesis, cap. IV, 7.

3. *Verus ac bonus Israelita* dicitur vulgo de homine simplici, cujus voluntas non sit pravorum affectuum dominationi mancipata, instar servi emptitii.

4. « In partem sortis Sanctorum. » Coloss. I, 12. — « In libertatem gloriæ filiorum Dei. » Rom. VIII, 21.

5. « Dei perfecta sunt opera. » Deut. XXXII, 4. — « Mundus per ipsum factus est. » Ita Joan. Evangel. cap. I, 10. — « Viditque Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona. » Genesis, cap. I, 31.

6. *Si etiam in omni* scribit Gence.

7. « Cumque intrasset tabernaculum » etc. Exodi XVIII, 7.

8. « Orationi frequenter incumbere. » Cap. IV. — « Non in multiloquio, sed in puritate cordis et com-

Sic et tu confugere debes in cordis tui secretarium[1] divinum intentius implorando[2] auxilium.

Propterea namque Josue, et filii Israel a Gabaonitis leguntur decepti, quia os Domini non prius interrogaverunt[3], sed nimium creduli dulcibus sermonibus falsa pietate delusi sunt.

[4] *Quod non sit importunus in negociis.*

CAPITULUM 39um.

I. Fili, committe mihi semper causam tuam, ego bene disponam in tempore suo[5].

Exspecta ordinationem meam et senties exinde profectum[6].

II. Domine, satis libenter omnes res tibi committo, quia parum potest cogitatio mea proficere.

Utinam non multum adhærerem futuris eventibus, sed ad beneplacitum tuum me incunctanter offerrem.

III. Fili mi, sæpe homo rem aliquam[7] agitat, quam

punctione lacrymarum nos exaudiri sciamus. » Cap. XX Regulæ S. Benedicti. Matth. VI, 7.

1. « Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito. » Matth. VI, 6. — « Hoc auxilium a nullo duro corde respuitur : ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia penitus auferatur. » S. Augustinus de Præd. 55, cap. 8, num. 13.

2. *Implorando suffragium* Gence aliique. Aptius hic quadrat vox *auxilium*.

3. « Susceperunt igitur de cibariis eorum et os Domini non interrogaverunt. » Lib. Josuæ, cap. IX, 14.

4. *Quod homo non sit* in editionibus cæteris. Nota quod hoc capitulum fuerat ab amanuense omissum, ac litteris microscopicis in ima pagina transcriptum.

5. « Unde et Dominus in evangelio ait : Qui audit verba mea hæc, et facit ea, similabo eum viro sapienti qui ædificavit domum suam super petram. » S. Benedictus in Prologo ad Regulam monasticam.

6. *Senties inde* edidit Gence et alii.

7. *Fili, sæpe homo rem aliquam vehementer agitat* : ita Gence et alii, exceptis editionibus 1488 et 1608 quæ concordant cum nostra ut cod. Bob., Padolir. et Cavensis.

desiderat: sed cum ad eam pervenerit, aliter incipit sentire, quia affectiones circa idem non sunt durabiles, sed magis de uno vel in aliud nos impellunt[1].

Non est ergo minimum etiam in minimis se relinquere.

IV. Verus profectus hominis est abnegatio sui ipsius, et homo abnegatus valde liber est et securus[2].

Sed antiquus hostis, omnibus bonis adversans, a tentatione non cessat, et die noctuque graves molitur insidias, si forte in laqueum deceptionis possit præcipitare incautum[3].

Vigilate et orate, dicit Dominus, ut non intretis in tentationem[4].

Quod homo nihil boni ex se habet, et de nullo gloriari[5] debet.

CAPITULUM 40um.

I. Domine, quid est homo, quod memor sis ejus, aut filius hominis, quia visitas eum[6]?

Quid promeruit homo, ut dares illi gratiam tuam?

Domine, quid possum conqueri, si deseris me?

1. *De uno ad aliud impellunt*: ita Gence et alii; soli editores 1488 et 1608 secuti sunt veram lectionem.

2. « Monachis nec corpora sua nec voluntatem licet habere in propria potestate, omniaque omnibus sint communia ut scriptum est. » Cap. XXXIII Regulæ S. Bened.

3. « Et projectus est Satanas qui seducit universum orbem. » Apocal. cap. XII, 9. — « Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens, quem devoret. I Petr. V, 8.

4. « Vigilate et orate ut non intretis in tentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. » Matth. XXVI, 41.

5. *Gloriari potest* legimus obique, cod. Cav. reservato; sed aliud est *posse*, aliud *debere*: unde opportune S. Benedictus cap. IV præcipit, ibi: « Non velle dici sanctum antequam sit, sed prius esse quod verius dicatur. »

6. « Quid est, homo, quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum? » Psalm. VIII, 5.

aut quid juste obtendere possum[1], si quod peto non feceris?

Certe hoc in veritate cogitare possum et dicere: Domine, nihil sum; nihil[2] boni ex me habeo, sed in omnibus deficio, et ad nihil semper tendo.

Ego[3] nisi a te fuero adjutus et interius informatus, totus efficior tepidus et dissolutus.

II. Tu autem, Domine, semper idem ipse es, et permanes in æternum: semper[4] bonus et justus et sanctus; bene, juste et sancte agens omnia et disponens in sapientia[5].

Sed ego, qui ad defectum magis pronus sum quam ad profectum, non semper sum in uno statu perdurans[6], quia septem[7] tempora mutantur super me[8].

Verumtamen cito melius fit, cum tibi placuerit, et manum porrexeris adjutricem: quia tu solus sine humano suffragio poteris auxiliari et in tantum con-

1. « Quid loquemur, aut juste poterimus obtendere? » Genes. XLIV, 16.

2. *Nihil possum, nihil boni* Enriquez, Elzevirius, Valgravius, Rosweydus; sed ipse Gence et cæteri concordant cum nostra lectione.

3. *Et nisi a te fuero* legitur ubique.

4. « Tu autem, Domine, in æternum permanes.... Tu autem idem ipse es. » Ps. CI, 13. 28.

5. « Cum ergo sis justus, juste omnia disponis. » Sap. XII, 15.

6. « Homo.... nunquam in eodem statu permanet. » Job. XIV, 2.

7. *Septem tempora* referuntur juxta philosophorum observationes ad vitæ humanæ vicissitudines; seu ad *infantiam* an. 7, *pueritiam* an. 7, *pubertatem* an. 7, *juventutem* an. 21, *virilitatem* an. 21, *senectutem* annorum 21, ut in Psalmo LXXXIX, 10.: « Anni nostri sicut aranea meditabuntur: dies annorum nostrorum in ipsis LXX anni. Si autem in potentatibus, LXXX anni: et amplius eorum labor et dolor. » Quare hominum ætas dividitur in *septem tempora*? quia ultra annos *octoginta quatuor* labor et dolor seu imbecillitas invenitur. Vide cap. 37, De senibus et infantibus, Regulæ S. Benedicti, ibi: « Senectus anno *sexagesimo tertio* incipit, » juxta Calmet. Liceat mihi hoc loco profani auctoris auctoritatem emittere. Varro, de vita Pop. Rom., ait: « Cum in quintum gradum pervenerant atque habebant sexaginta annos, tum denique erant à publicis negotiis liberi atque otiosi. »

8. « Cor ejus ab humano commutetur et cor feræ detur ei. Et septem tempora mutantur super me. » Daniel, IV, 13.

firmare, ut vultus meus amplius in diversa non mutetur[1], sed in te uno cor meum convertatur et quiescat.

III. Unde si bene scirem omnem humanam consolationem abjicere, sive propter devotionem adipiscendam, sive propter necessitatem qua compellor te quærere, quia non est homo qui me consoletur: tunc merito possem de gratia sperare tua, et de dono novæ consolationis exultare[2].

IV. Gratias tibi, unde totum venit quotiescumque mihi bene succedit. Ego autem vanitas, et nihilum ante te, inconstans[3] homo et infirmus.

Unde[4] possum gloriari? Aut cur appeto reputari? Numquid de nihilo? et hoc vanissimum est.

Vere inanis gloria pestis mala, vanitas maxima, quia a vera[5] trahit gloria, et cælesti spoliat gratia.

Dum enim homo complacet sibi, displicet tibi; dum inhiat laudibus humanis, privatur veris virtutibus.

V. Est autem vera gloria et exultatio sancta gloriari in te[6] et non in se, gaudere in nomine tuo, non in virtute propria, nec in aliqua creatura delectari nisi propter te.

Laudetur nomen tuum[7], non meum; magnificetur opus tuum[8], non meum; benedicatur nomen sanctum

1. « Vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati. » I Regum I, 18.

2. *De dono gratiæ novæ*: ita Caietanus juxta cod. Aronæ: ita Delfau et editor 1697; cæteri nobis arrident.

3. « Substantia mea tamquam nihilum ante te...... Universa vanitas omnis homo vivens. » Ps. XXXVIII, 6.7.

4. *Unde ergo possum gloriari*: sic Gence, Enriquez, et alii.

5. *Retrahit gloria* scripsere Delfau, Enriquez, editor 1697, non autem alii.

6. « Bonum omne Deo applicet, non sibi, malum vero semper a se factum sciat et sibi reputet. » Cap. IV Regulæ S. Benedicti.

7. « Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini. » Ps. CXII, 1.

8. « Magnificata sunt opera tua, Domine. » Psalmus XCI, 6.

tuum[1], non meum[2]; nihil autem attribuatur mihi de laudibus hominum[3].

Tu gloria mea[4], tu exaltatio cordis mei[5]. In te gloriabor et exultabo tota die[6]; pro me autem nihil, nisi in infirmatibus meis[7].

VI. Quærant[8] Judæi gloriam quæ ab invicem est: ego hanc requiram quæ a solo Deo est[9].

Omnis quidem gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana æternæ gloriæ tuæ comparata vanitas est et stultitia.

O, veritas mea, et misericordia mea Deus meus[10], Trinitas beata: tibi soli laus, virtus, honor et gloria per infinita sæculorum sæcula[11].

De contemtu omnis honoris temporalis.

CAPITULUM 41um.

I. Fili, noli tibi attrahere, si videas alios honorari et elevari, te autem despici et humiliari.

Erige cor tuum ad me in cælum et non contristabit te contemtus hominis in terris[12].

1. « Sit nomen Domini benedictum. » Ps. CXII, 2.

2. *Nomen sanctum tuum, nihil mihi autem* ediderunt Gence, Elzevirius, et alii; verum repetitio consentanea est sermoni antecedenti.

3. Vid. S. Bernardus in Cant. Sermones, 13, num. 9.

4. « Tu.... gloria mea. » Ps. III, 4.

5. « Quia exultatio cordis mei » etc. Psal. CXVIII, 111.

6. « In nomine tuo exultabunt tota die. » Ps. LXXXVIII, 17.

7. « Pro hujusmodi gloriabor » etc. Ep. II ad Cor. XII, 5.

8 *Quærant in die* legitur in cod. Quesqniere; cæteri omnes *quærant Judæi*, nempe qui temporalibus inhærent negotiis. Vid. Gence in notis.

9. « Gloriam ab invicem accipitis; et gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis. » Joan. V, 44.

10. « Adjutor meus, tibi psallam, quia susceptor meus es, Deus meus, misericordia mea. » Ps. LVIII, 18.

11. « Soli Deo honor, et gloria in sæcula sæculorum. » I Tim. I, 17.

12. «State super vias et videte et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona et ambulate in ea. » Jeremias, VI, 16. » Humilitas est virtus qua homo verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit. » S. Gregorius noster magnus lib. 34 moral.

II. Domine, in cæcitate sumus et vanitate cito seducimur[1].

Si recte me inspicio, nunquam facta mihi est injuria ab aliqua creatura : unde nec juste habeo conqueri adversum te : quia autem frequenter et graviter peccavi tibi, merito armatur contra me omnis creatura[2].

Mihi igitur juste debetur confusio[3], et contemtus : tibi autem laus, honor, virtus et gloria.

Et nisi ad hoc me præparavero, quod velim libenter ab omni[4] creatura despici et relinqui, atque penitus nihil videri, non possum interius pacificari et stabiliri nec spiritualiter illuminari, neque tibi plene uniri.

Quod pax non est ponenda in hominibus[5].

CAPITULUM 42um.

I. Fili, si ponis pacem tuam cum aliqua persona propter tuum sentire[6] vel convivere, instabilis eris et implacatus[7].

Sed si recursum habes ad semper viventem et

1. « Vanitate seducti sumus et non custodimus mandatum tuum et ceremonias » etc. II Esdr. I, 7.

2. « Armabit creaturam ad ultionem inimicorum. » Sap. v, 18.

3. « Tibi Domine justitia, nobis autem confusio. » Daniel, IX, 7. « Et dicetis : Domino Deo nostro justitia, nobis autem confusio faciei nostræ. » Bar. I, 15.

4. « Exaltatione descendimus et humilitate ascendimus : » ita docet D. Benedictus, cap. VII Regulæ.

5. « Inquire pacem et sequere eam. Oculi mei super vos et aures meæ ad preces vestras, et antequam me invoceris, dicam : Ecce adsum. » S. Benedictus in Prologo.

6. *Sentire et convivere :* ita Gence, et alii ; non ita cod. Cav., Delfau, Valgravius, Caietanus et editor 1697.

7. *Impacatus* in edit. 1488, 1608. *Implicatus* scripsere Gence, Caietanus, cæteri omnes. *Implacatus* uti *insatiabilis*, quæ quidem significatio respondet sensui auctoris atque lectioni codicum Bob. at Cavensis.

manentem veritatem[1], non contristabit te amicus recedens aut moriens.

In me debet amici dilectio stare, et propter me diligendus est quisquis tibi bonus visus est, et multum carus in hac vita[2].

Sine me non valet, nec durabit amicitia; nec est vera et munda dilectio, quam ego non copulo[3].

Ita mortuus esse debes talibus affectionibus dilectorum hominum, ut quantum ad te pertinet sine humano optes[4] esse consortio.

Tanto homo magis Deo appropinquat, quanto ab omni solatio terreno longius recedit.

Tanto etiam altius ascendit ad Deum, quanto profundius in se descendit, et plus sibi ipsi vilescit.

II. Qui autem aliquid boni sibi attribuit, gratiam Dei in se invenire impedit: quia gratia Spiritus sancti cor humile quærit semper[5].

Si scires te perfecte annihilare, atque ab omni creato amore evacuare, tunc deberem in te cum magna gratia emanare.

Quando tu respicis ad creaturas, subtrahitur tibi aspectus Creatoris.

Disce te in omnibus propter Creatorem vincere: tunc ad divinam valebis cognitionem pertingere[6].

Quantumcumque modicum sit, si quid inordinate

1. « Hic (Jesus) eo quod maneat in æternum.... semper vivens. » Hebr. VII, 24. 25.

2. «Beatus, qui amat te, et amicum in te, et inimicum propter te. Solus enim nullum carum amittit, cui omnes in illo cari sunt, qui non amittitur. » S. August. Confess. lib. IV, cap 9.

3. « Amicitia non est vera, nisi cum eam tu adglutinas.» Ibid. cap. 4.

4. *Sine omni humano optares* ediderunt Gence, Enriquez, et cæteri.

5. «Quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. » Epistola I Petri V, 5.

6. « Custodiens se hora omni a peccatis et vitiis, id est cogitationum, linguæ, oculorum, manuum, pedum, vel

diligitur [1] et respicitur, retardat a summo bono, et vitiat.

Contra vanam, et sæcularem scientiam.

CAPITULUM 43[um].

I. Fili, non moveant te pulchra et subtilia dicta hominum : non est enim regnum Dei in sermone, sed in virtute [2].

Attende verba mea quæ corda accendunt et mentes illuminant, inducunt compunctionem, et variam ingerunt consolationem.

Nunquam ad hoc legas verbum, ut doctior aut sapientior possis videri; sed stude [3] mortificationem vitiorum, quia hoc amplius tibi proderit, quam notitia multarum difficilium quæstionum.

II. Cum multa legeris et cognoveris, ad unum oportet te venire [4] principium.

Ego sum qui doceo hominem scientiam [5], et clariorem intelligentiam parvulis tribuo [6] quam ab homine possit doceri.

voluntatis, et desideria carnis amputare festines. » Cap VII Regulæ S. Benedicti.

1. *Si inordinate diligitur :* ita Gence, et alii codices, omisso vocabulo *quid.*

2. « Non enim in sermone est Regnum Dei, sed in virtute. » I Cor. IV, 20. Subtilitates ex philosophia aristotelica et ex libris prædicabilium Porphyrii depromebant scholastici sæculi XIII, atque in archivo Ecclesiæ Eusebianæ codex cum titulo « Introductio Porphyrii in cathegorias » servatur adhuc Vercellis, ut jam adnotavimus capite 3, lib. I, pag. 7.

3. *Stude*, omissa conjunctione, scripserunt Gence, Elzevirius; non ita cæteri omnes qui cum nostro et Bob., Padolir. codicibus concordant.

4. *Ad unum semper oportet redire* Euriques, Gence, et alii. In edit. 1488 legitur *ad unum tantum oportet venire*, in illa 1608; quæ lectio et accuratior videtur, et Cod. Bobiensi conformis; solus cod. Cavensis omnino cum nostro Ms. concordat.

5. « Qui (Deus) docet hominem scientiam. » Ps. XCIII, 10.

6. « Intellectum dat parvulis. » Psalm. CXVIII, 130.

Cui ego loquar, cito sapiens erit et multum in spiritu proficiet.

Væ illis qui multa curiosa ab hominibus quærunt, et de via mihi[1] serviendi parum curant.

Veniet tempus quando apparebit Magister magistrorum Christus[2], Dominus Angelorum, cunctorum auditurus lectiones, et singulorum examinaturus conscientias[3], et tunc scrutabitur Hierusalem in lucernis[4] et manifesta erunt abscondita tenebrarum[5], tacebuntque argumenta linguarum.

III. Ego sum qui humilem in puncto elevo mentem, ut plures æternæ veritatis capiat rationes quam si quis decem annis studuisset in scholis.

Ego doceo sine strepitu verborum, sine confusione opinionum, sine fastu honoris, sine[6] pugnatione argumentorum.

Ego sum qui doceo terrena despicere, præsentia fastidire[7], æterna quærere, æterna sapere[8], honores fugere, scandala sufferre[9], omnem spem in me ponere, extra me nihil cupere, et super omnia ardenter me amare[10].

1. *Et de via oe modo miehi serviendi parum curant. Quid illis proderit sua scientio, cum onte me apparuerint eum maculata et onerosa conscientia. Ipsorum scientia sibi erit in ougmentum pœnorum. Veniet tempus* etc. Sic legimus in cod. Bobiensi.

2. « Cum Christus apparuerit. » Epistola ad Coloss. III, 4.

3. *Conscientias. Et tunc:* ita Gence, Enriquez, et alii; solæ editiones 1488, 1608, atque cod. Bob. et Cav. agnoverunt sensum esse continoatum.

4. « Scrutabor Jerusalem in lucernis. » Sophon. I, 12.

5. « Illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. » I Pauli ad Corinthios IV, 5.

6. *Sine impugnatione* scribunt Gence et alii; ast cum nostra lectione concordant edit. 1488, 1608, Rosweydus, cod. Bob. et Cavensis.

7. *Præsentia fastidire, cœlestia quærere* Gence et Delfau ipsi soli, nam cæteri et codd. Bob., Cav. nobis arrideot.

8. *Æterna sopere, extra me niehil cupere* etc., cæteris omissis, ita legimus in solo Cav. codice.

9. « Oratio dominica dicatur a Priore propter scandalorum spinas, quæ oriri solent in monasterio. » Cap. XIII Regulæ S. Benedicti.

10. *Amore hæc est doctrino utilis*

IV. Nam quidam amando me intime, didicit divina, et loquebatur mirabilia[1].

Plus profecit in relinquendo omnia, quam in studendo subtilia.

Sed loquor communia aliis, aliis specialia, aliquibus in signis et figuris dulciter appareo; quibusdam vero in lumine[2], multa revelo mysteria[3].

Una vox librorum, sed non æque omnes informat, quia intus sum doctor veritatis[4], cordis scrutator, cogitationum intellector[5], actionum promotor, distribuens singulis sicut dignum judicavero[6].

De non attrahendo res exteriores[7].

CAPITULUM 44[um].

I. Fili, oportet te in multis esse inscium et æstimare te tamquam mortuum[8] super terram et cui mundus totus crucifixus sit[9].

deo salubris, qua homo docetur venire in amorem Dei sui. Nam quidam. Hæc adjecit glossator in Cod Bob.

1. Agitur hic de Fratre Antonio Patavino eloquentissimo oratore, qui Vercellis fuit, abbatis Thomæ Galli Crescentinatis nostri concivis discipulus, quique in odore sanctitatis, anno 1230, in cælum migravit. Vid. Historiam Vercellensem, tom. 1, pag. 297.

2. *Quibusdam vero in multo lumine revelo* Genee, Enriquez, Elzevirius; solus cod. Cavensis concordat cum nostro.

3. « Est Deus in Cœlo revelans mysteria. » Daniel. II, 28.

4. « Docebit vos omnem veritatem. » Joan. XVI, 13.

5. « Corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit. » 1 Paral. XXVIII, 9.

6. « Omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis, prout vult. » 1 Cor. XII, 11. — « Confortetur cor tuum et sustine Dominum. » S. Benedictus in cap. VII Regulæ.

7. *Attrahendo sibi res*: ita in omnibus editionibus, non immerito tamen pronomen exprimitur; sed codd. Bob., Cav. ac Padolir. concordant cum nostro Ms.

8. « Mortui enim estis et vita vestra est abscondita cum Christo Deo. » Paulus ad Coloss. III, 3.

9. « Mihi mundus crucifixus est. » Galat. VI, 14.

Multa etiam oportet surda aure pertransire et quæ tuæ pacis sunt magis cogitare.

Utilius est oculos a rebus displicentibus avertere, et unicuique suum sentire relinquere, quam contentiosis sermonibus deservire[1].

Si bene steteris cum Deo, et ejus judicium aspexeris, facilius te victum portabis[2].

11. O, Domine, quousque venimus? Ecce damnum defletur temporale: pro modico quæstu laboratur[3] et curritur et spirituale detrimentum in oblivionem transit, et vix sero reditur.

Quod parum vel nihil prodest, attenditur et quod summe necessarium est, negligenter præteritur, quia totus homo ad externa defluit, et nisi cito resipiscat, libens in exterioribus jacet[4].

Quod omnibus non est credendum, et de facili lapsu verborum.

CAPITULUM 45[um].

1. Da mihi auxilium, Domine, de tribulatione, quia vana salus hominis[5].

Quam sæpe ibi non inveni fidem, ubi me habere putavi: quoties etiam ibi reperi, ubi minus præsumsi.

1. « Faciamus quod ait Propheta: Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. » Cap vi Regulæ S. Benedicti.

2. Hic deesse folium saltem unum censuit Valart; vid. c. 34, ed. 1758.

3. *Pro modico questu laboratur multum et curritur:* ita in cod. Bob.

4 « Monachus debet abnegare se ipsum sibi ut sequatur Christum: » ex Regula S. Benedicti, cap. iv. S. Ambrosius scripsit: « Christus autem dixit: Qui vult post me venire, abneget se ipsum sibi, ut ipse suum detrimentum sit quo fiat lucrum Christi. » Ambros. epist. 1 ad Constantinum, n° 26.

5. « Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominum. » Psalm. lix, 13. Ex quo textu Psalmistæ clare dignoscitur semper aliquid Scripturæ sanctæ fuisse immutatum a nostro Auctore.

Vana ergo spes in hominibus, salus autem justorum in te, Deus[1].

Benedictus sis, Domine Deus[2], in omnibus quæ nobis accidunt.

Infirmi sumus et instabiles; cito fallimur et permutamur.

II. Quis est homo qui ita caute et circumspecte in omnibus se custodire valeat: ut aliquando in aliquam deceptionem, vel perplexitatem non veniat?

Sed qui in te, Domine, confidit, ac simplici ex corde quærit[4], non tam facile labitur[5].

Et si inciderit in aliquam tribulationem, quomodocumque[6] etiam fuerit implicatus, citius per te eruetur[7], aut a te consolabitur, quia tu non deseris in te sperantem[8] usque in finem.

Rarus fidus amicus, in cunctis amici perseverans pressuris[9].

Tu, Domine, tu solus es fidelissimus in omnibus, et præter te non est alter talis.

III. O, quam bene sapuit illa anima sancta[10], quæ dixit: Mens mea solidata est, et in Christo fundata.

Si ita mecum foret, non tam facile timor huma-

1. « Salus autem justorum à Domino. » Ps. XXXVI, 39.

2. « Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium et digitos meos ad bellum. » Psalmus CXLIII, 1.

3. « Qui confidunt in Domino. » Ps. CXXIV, 1., et alibi passim.

4. « In simplicitate cordis quærite illum. » Sap. I, 1.

5. « Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. » Prov. X, 9.

6. *Quocumque modo fuerit* scripsere Gence, Enriquez et alii; Caietanus *quo modo etiam;* sed edit. 1488, 1608, codd. Bob., Cav. et Padolir. perfecte nostro accedunt.

7. « Si in tribulatione fuerit, liberabitur. » Tob. III, 21.

8. Judith. XIII, 17: « Laudate Dominum Deum nostrum qui non deseruit sperantes in se. »

9. « Si possides amicum, in tentatione posside eum, et ne facile credas ei. » Eccles. VI, 7. — « Amicus fidelis protectio fortis; qui autem invenit illum, invenit thesaurum. » Ibid. 14.

10. Sancta Agatha, uti ex vita ejus legitur in Breviario Romano die V februarii. Vid. Enriquez in notis.

nus me sollicitaret, nec verborum jacula moverent[1].

Quis omnia prævidere, quis præcavere futura mala sufficit?

Si prævisa etiam lædunt sæpe, quid improvisa nisi graviter feriunt?

Sed quare mihi misero non melius providi? Cur etiam tam facile aliis credidi?

Sed homines sumus[2], nec aliud quam fragiles homines sumus, etsi Angeli a multis æstimamur, et dicimur.

Cui credam, Domine? Cui credam nisi tibi[3]? Es veritas quæ non fallis, nec falli potes[4].

Et rursum: Omnis homo mendax[5], infirmus, instabilis, et labilis maxime in verbis, ita ut statim vix credi debeat, quod rectum in facie sonare videtur[6].

IV. Quam prudenter præmonuisti, cavendum[7] ab hominibus[8] esse, et quia inimici hominis domestici ejus[9], nec credendum, si quis dixerit: Ecce hic, aut ecce illic[10].

1. «Non occidere.» Cap. IV. Reg. S. Benedicti. «Occiditur sæpe per verborum jacula. Mors et vita in manibus linguæ, et in multiloquio non effugies peccatum.» Cap. VI, ibidem.

2. *Sed homines sumus. Et si Angeli a multis* etc.: ita in cod. Boh.

3. *Cui nisi tibi?* scripsere Gence, Enriquez et alii, ast duæ editiones 1488, 1608 et codd. Padolir., Boh. concordant cum nostra.

4. « Dicit Thomæ Deus: Ego sum via et veritas et vita, nemo venit ad Patrem, nisi per me. » Joann. XIV, 6.

5. « Ego dixi in excelso meo: Omnis homo mendax. » Psal. CXV, 2. « Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax sicuti scriptum est. » Paulus ad Rom. cap. III, 4.

6. « Monachus leniter cum humilitate et dignitate loquatur, nec sit clamorosus in voce. » Cap. VII Regulæ S. Benedicti.

7. *Cavendum ab hominibus et quia:* ita Enriquez, Gence, cæterique omnes, omisso verbo, adjecta solummodo particula conjunctiva.

8. « Cavete autem ab hominibus; tradent enim vos in Conciliis et Synagogis suis etc. » Matth. X, 17.

9. « Quia filius contumeliam facit patri, et filia consurgit adversus matrem suam, nurus adversus socrum suam. Et inimici ejus domestici ejus.» Michææ Prophetia, cap. VII, 6. — « Et inimici hominis domestici ejus.» Matth. X, 36.

10. « Si quis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. » Matth. XXIV, 23, et alibi.

Doctus sum damno[1] et utinam ad cautelam majorem, non ad insipientiam mihi[2].

Cautus esto, quidam ait; cautus esto, serva apud te quod dico: et dum ego sileo et absconditum credo, nec ille silere potest, quod silendum petiit; sed statim prodit me, et se, et abit.

Ab hujusmodi rabulis[3] et incautis hominibus protege me, Domine, ne in manus eorum incidam, nec unquam talia committam.

Verbum verum, et stabile da in os meum et linguam calidam longe fac a me[4].

Quod pati nolo, omnimode cavere debeo[5].

v. O, quam bonum et pacificum de aliis silere, nec indifferenter omnia credere, nec de facili ulterius effari[6], paucis seipsum revelare, te semper inspectorem cordis[7] quærere[8], nec omni verborum vento circumferri, sed omnia intima et externa secundum tuæ beneplacitum voluntatis optare perfici[9].

Quam tutum pro conservatione cælestis gratiæ, humanam fugere apparentiam nec appetere quæ foris admirationem videntur præbere: sed ea tota sedulitate sectari, quæ vitæ emendationem dant, et fervorem.

1. *Doctus sum damno meo* Gence et alii, exceptis codd. Bob., Padolir., et editione 1488 qui concordant cum nostro Ms. *Doctus sum dampno et utinam* in Cavensi codice.

2. « Deus meus clamabo per diem et non exaudies; et nocte, et non ad insipientiam mihi. » Psalm. xxi, 3.

3. *Ab hujusmodi famulis* scripsit Gence, suamque defendit lectionem. In aliis legitur *fabulis*; solus Delfau edidit *rabulis* ut in nostro codice.

4. *Linguam calidam fac a me*: Elzevirius ipse solus omisit adverbium.

5. «Quod sibi quis fieri non vult, aliis non faciat.» Cap. iv Regulæ S. Benedicti.

6. *Ulterius effari. Paucis se ipsum* etc.: in sola edit. Genceana hæc adest interpunctio.

7. « Qui inspector est cordis. » Prov. xxiv, 12.

8. « Non.... circumferamur omni vento doctrinæ. » Ephes. iv, 14.

9. « Si quis monachus contentiosus reperitur, corripiatur. . . . Contentionem non amare.» Ex Regula S. Benedicti, cap. iv.

Quam multis nocuit virtus scita, ac proprie laudata [1].

Quam sane profuit gratia servata silentio in hac fragili vita, quæ tota tentatio fertur et militia [2].

De confidentia in Deo habenda, quando insurgunt verborum jacula.

CAPITULUM 46um.

I. Fili, sta firmiter et spera in me. Quid enim sunt verba, nisi verba? per aerem volant, sed lapidem non lædunt [3].

Si reus es, cogita, quod libenter velis emendare.

Si nihil tibi conscius es, pensa : pensa quod velis [4] libenter pro Deo hoc sustinere.

Parum satis est ut vel verba interdum sustineas [5], qui necdum fortia verbera tolerare vales.

Et quare tam parva tibi ad cor transeunt : nisi quia adhuc carnalis es, et homines magis, quam oportet, attendis?

Nam quia despici metuis, reprehendi pro excessibus non vis, et excusationum quæris umbracula.

II. Sed inspice te melius, et cognosces quia vivit adhuc in te mundus, et vanus amor placendi hominibus.

1. *Ac præpropere laudata ;* ita Gence, Enriquez et alii. *Prepore* in Cod. Padol.; at adverbium *proprie* non inconsulto adhibetur a nostro Auctore.

2. « Militia est vita hominis super terram. » Job. VII, 1 ; et juxta editionem LXX : « Tentatio est vita hominis super terram. » — Vid. S. Bernard. Serm. 5. in Ps. « Qui habitat » num. 1.

3. « Ad increpandum tantum eloquia concinnatis et in ventum profertis verba. » Job. VI, 26.

4. *Pensa quod velis :* ita Gence et alii ; attamen non inelegans est hæc repetitio in nostro Ms.

5. *Interdum sustineas*, scripsere Gence et alii ; ast *substineas* uti in Ms. redolet sæculi XIII orthographiam.

Cum enim bassari[1] refugis, et confundi etiam pro defectibus, constat utique, quod nec verus humilis sis, nec vere mundo mortuus, nec tibi mundus crucifixus[2].

Sed audi verba mea, et non curabis decem millia hominum verba[3].

Ecce, si cuncta contra te dicerentur quæ fingi malitiosissime possunt, quid tibi noceret[4], si omnino transire permitteres, nec plus, quam festucam perpenderes?

Numquid vel unum capillum tibi extrahere possent[5]?

III. Sed qui cor intus non habent, nec Deum præ oculis, facile faciliterque verbo moventur[6] vituperationis.

Qui autem in me confidit, nec proprio judicio stare appetit, absque humano terrore erit[7].

Ego sum enim judex[8], et cognitor omnium secretorum[9]; Ego scio, qualiter res acta est; Ego injuriantem novi, et sustinentem.

A me exiit verbum istud; me permittente hoc accidit, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes[10].

1. *Bassari*, vocabulum medii ævi, uti Du Cange in suo lexico juxta conventionem abbatis S. Trudonis 1241; in editione 1608 et illa Rosweydi *quassari*; in cod. Cav. *villificari* legimus.

2. « Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. » Galat. VI, 14.

3. *Audi verbum meum*: ita Geoce et alii; sola editio 1488 convenit cum nostra et codd. Bob, Padolir. ac Cav. « Quam decem millia verborum in lingua. » Paol. I Corinth. XIV, 19.

4. *Possent*, *quid tibi nocerent* Enriques, Geoce, cod. Cav. et cæteri, exceptis cod. Bob., edit. 1488, 1608, in quibus legitur *noceret* ut in nostro Ms.

5. « Et capillus de capite vestro non peribit. » Lucas, XXI, 48.

6. *Faciliter verbo movetur*: ita Genee, Enriquez, et alii; sat nobis convenit hæc repetitio.

7. « Justus, quasi leo confidens, absque terrore erit. » Prov. XXVIII, 1.

8. « Ego sum judex, et testis, dicit Dominus. » Jerem. XXIX, 23.

9. « Absconditorum es (Deus) cognitor. » Daniel. XIII, 42.

10. « Et tuam ipsius animam pertransivit gladius, ut revelentur ex multis cordibus » etc. Luc. II, 35.

Ego reum et innocentem judicabo; sed utrumque occulto judicio volui probare ante.

IV. Testimonium hominum sæpe fallit; meum judicium verum est[1], stabit et non subvertetur.

Latet plerumque, et paucis ad singula patet; numquam tamen errat, nec errare potest, etiamsi oculis insipientium non rectum videatur.

Ad me ergo recurrendum est in omni judicio, nec proprio innitendum arbitrio; justus enim non conturbabitur, quidquid a Deo ei acciderit[2].

Et si injuste aliquid contra eum prolatum fuerit, non multum curabit; sed nec vane exultabit, si per alios rationabiliter excusetur.

Pensat namque quia ego sum scrutans corda et renes[3]; qui non judico secundum faciem[4] et humanam apparentiam[5].

Nam sæpe etiam oculis meis[6] reperitur culpabile, quod hominum judicio creditur laudabile[7].

V. Domine Deus, judex juste, fortis et patiens[8], qui hominum nosti fragilitatem et pravitatem, esto robur meum[9], et tota fiducia mea; non enim mihi sufficit conscientia mea.

Tu nosti, quod ego non novi, et ideo in omni

1. « Judicia Domini vera justificata in semetipsa. » Ps. XVIII, 10 et alibi.

2. « Non contristabit justum, quidquid ei acciderit. » Prov. XII, 21.

3. « Consumetur nequitia peccatorum et diriges justum, scrutans corda et renes Deus. » Psal. VII, 10 et alibi.

4. « Nolite judicare secundum faciem. » Joann. VII, 24.

5. « Non juxta intuitum hominis ego judico. » 1 Reg. XVI, 7.

6. *Sæpe in oculis meis;* ita Gence, Enriquez et alii; observandum attamen hanc dictionem esse italicam *Imperciochè spesso ancora ai miei occhi* etc.

7. « Non omnis, qui justus est ante homines, justus est ante Deum. Aliter vident homines, aliter Deus; homines in facie, Deus in corde. » S. Ambros. lib. 1 in Luc.

8. « Deus judex justus, fortis, et patiens. » Ps. VII, 12.

9. « Domine fortitudo mea et robur meum. » Jerem. XVI, 19.

reprehensione me humiliare debui, et mansuete sustinere.

Ignosce ergo mihi[1] propitius, quoties sic non egi; et dona iterum gratiam amplioris sufferentiæ.

Melior est enim mihi tua copiosa misericordia[2] ad consecutionem indulgentiæ, quam mea opinata justitia pro defensione latentis conscientiæ[3].

Et si mihi nihil conscius sum, tamen in hoc justificare me non possum[4]: quia remota misericordia tua[5] non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens[6].

Quod omnia gravia pro æterna vita sunt toleranda.

CAPITULUM 47um.

1. Fili, non frangant te labores[7] quos assumsisti propter me, nec tribulationes te dejiciant usquequaque[8]; sed mea promissio in omni eventu te roboret, et consoletur[9].

Ego sufficiens sum ad reddendum supra omnem modum[10] et mensuram.

1. *Ignosce quoque mihi* Gence, Elzevirius, Rosweydus, cod. Bob. ipsi soli; cæteri editores nobis ac codici Cavensi conveniunt.

2. « Quoniam melior est misericordia tua. » Ps. LXII, 4.

3. In cod. Bobiensi legimus vocabula *justicia*, *consciencie* etc., juxta nostri Ms. orthographiam.

4. « Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum. » 1 Pauli ad Cor. IV, 4.

5. « Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam. » S. August. Confess. IX, 13.

6. « Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens » Psalm. CXLII, 2.

7. « Otiositas inimica est animæ, verum labor est virtus animæ et corporis » : ita S. Benedict., cap. XLVIII Reg.

8. « Bonum mihi quia humiliasti me. » Ita S. Benedictus. cap. VII.

9. II Regum XI, 15, ibi : « Varius est eventus belli : conforta bellatores et exhortare eos. »

10. In Ms. hic vox *Nota* in margine.

Non hic diu laborabis, nec semper gravaberis doloribus.

Exspecta paulisper, et videbis celerem finem malorum.

Veniet una hora, quando cessabit omnis labor et tumultus.

Modicum est, et breve omne, quod transit cum tempore.

11. Age quod agis[1]; fideliter labora in vinea mea, ego ero merces tua[2].

Scribe, lege, canta, geme, tace, ora[3], sustine viriliter contraria : digna est his omnibus et majoribus præliis vita æterna.

Veniet pax in die una, quæ nota est Domino[4]. Non enim erit dies vel nox[5] hujus scilicet temporis[6], sed lux perpetua, claritas infinita, pax firma et requies secura.

Non dices tunc : Quis me liberabit de corpore mortis hujus[7]? Nec clamabis : Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est[8], quoniam præcipitabitur mors[9],

1. Hoc præceptum usui erat apud veteres Romanos, juxta Brissonium, de Formulis libro primo. Nec hic est locus auctores profanos miscere cum sacris litteris. « Certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione divina. » Regul. S. Bened. cap. 48.

2. « Ego merces tua magna nimis. » Genes. xv, 1. — « Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam etc. » Evangel. Matth. cap. xx, 1, 2, 3.

3. «Quod vero restat post vigilias, a fratribus qui psalterii vel lectionum aliquid indigent meditationi inserviatur. » Cap. VIII Regulæ S. Bened.

4. « De die autem illa, et hora nemo scit.... nisi solus Pater. » Matth. xxiv, 36.

5. *Domino, et erit non dies neque nox* : ita Gence, Enriquez, Elzevirius, Rosweydus et edit. 1608. Cæteri autem secuti sunt nostram lectionem.

6. « Et nox ultra non erit et non egebunt lumine lucernæ. » Joannes Apoc. cap. XXII, 5.

7. Rom. VII, 24 : « Infelix ego homo, quis me liberabit etc. »

8. «Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est : habitavi cum habitantibus Cedar. » Psalm. CXIX, 5.

8. « Præcipitabit mortem in sempiternum. » Isai. xxv, 8.

et salus erit indefectiva, anxietas nulla, jucunditas beata, societas dulcis et decora.

III. O, si vidisses Sanctorum in cælo coronas perpetuas, quanta quoque nunc exultant gloria, qui huic mundo olim contemtibiles, et quasi vita ipsa indigni putabantur[1]: profecto statim te humiliares usque ad terram et affectares potius omnibus subesse, quam uni præesse[2]; nec hujus vitæ lætos dies concupisceres, sed magis pro Deo tribulari gauderes, et pro nihilo inter homines computari maximum lucrum duceres.

IV. O, si tibi hæc saperent, et profunde ad cor transirent, quomodo auderes vel semel conqueri?

Nonne pro vita æterna cuncta laboriosa sunt toleranda?

Non est parvum quid lucrari, aut perdere regnum Dei.

Leva igitur faciem tuam in cælo. Ecce ego et omnes Sancti mei mecum, qui in hoc sæculo magnum habuerunt certamen[3], modo gaudent modo consolantur modo securi sunt et modo requiescunt[4], et sine fine in regno Patris mei[5] permanebunt mecum[6].

1. Lib. Sapientiæ II, 10: «Opprimamus pauperem justum.» — Capite III, 2: «Visi sunt oculis insipientium mori.» — Cap. V, 1: «Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt.»

2. «Obedientiæ bonum non solum abbati exhibendum est ab omnibus, sed sibi invicem obediant fratres, scientes se per hanc obedientiæ viam ituros ad Deum.» Cap. LXXI Regul. S. Bened.

3. «Magnum certamen sustinuistis passionum.» Epist. ad Hebr. X, 32.

4. «Ut requiescant a laboribus suis.» Apoc. XIV, 13.

5. «In Regno Patris mei.» Matth. XXVI, 29.

6. *Permanebunt mecum, ad quod suspirare et anhelare toto spiritu debes: ad hoc enim in animam viventem factus ut mecum sine fine gaudeas in regno meo.* Hæc in cod. Bobiensi.

De die æternitatis, et hujus vitæ angustiis.

CAPITULUM 48um.

I. O, supernæ civitatis mansio beatissima[1]. O, dies æternitatis clarissima, quam nox non obscurat, sed summa veritas semper irradiat. Dies semper læta, semper secura et numquam statum mutans in contraria.

O, utinam dies illa illuxisset, et cuncta hæc temporalia finem accepissent[2].

Lucet quidem Sanctis perpetua claritate splendida[3], sed non nisi a longe per speculum[4] peregrinantibus in terra[5].

II. Norunt cæli cives, quam gaudiosa sit illa; gemunt exules filii Evæ quod amara et tædiosa sit ista[6].

Dies hujus temporis parvi et mali[7], pleni doloribus et angustiis[8]: ubi homo multis peccatis inquinatur[9], multis passionibus irretitur, multis timoribus stringitur, multis curis distenditur, et multis curiositatibus distrahitur, multis vanitatibus implicatur, multis erroribus circumfunditur, multis laboribus atteritur,

1. « Vidi sanctam civitatem Jerusalem. » Apoc. XXI, 2.

2. Sanctus Chrysostomus ad populum Antiochenum, sermone 6, ibi loquitur de mortis desiderio monachorum proprio.

3. « Luce splendida fulgebis. » Tob. XIII, 13.

4. *Per speculum :* Enriquez vertit : *E come per ispecchio, riflette sui pellegrini quaggiù in terra.*

5. « Sed a longe eas aspicientes.... quia peregrini, et hospites super terram. » Hebr, XI, 13. — « Videmus nunc per speculum in ænigmate. » Epistola I Pauli ad Cor. XIII, 12.

6. « Exules filii Evæ in hac lacrymarum valle. » Ita in Salutatione Angelica.

7. « Dies peregrinationis meæ parvi, et mali. » Genes. XLVII, 9.

8. « Doloribus, et ærumnis pleni sunt. » Eccl. II, 23.

9. « Militia est vita hominis super terram; induta est caro mea putredine et sordibus pulveris; cutis mea aruit et contracta est. » Job. capite VII, 1 et 5.

multis tentationibus gravatur, deliciis enervatur, egestate cruciatur.

III. O, quando erit finis horum multorum laborum [1]? Quando liberabor a misera servitute [2] vitiorum [3]? Quando memorabor, Domine, tui solius [4]? Quando ad plenum lætabor in te?

Quando ero sine omni impedimento in vera libertate, sine omni gravamine mentis, et corporis?

Quando erit pax solida, pax imperturbabilis et secura pax intus et foris, pax ab omni parte firma?

Jesu bone, quando stabo ad videndum te? Quando contemplabor regni tui gloriam? Quando eris mihi omnia in omnibus [5]?

O, quando ero tecum in regno tuo, quod præparasti dilectis [6] tuis ab æterno [7]?

Relictus sum pauper et exul in terra hostili, ubi bella quotidiana et infortunia maxima.

IV. Consolare exilium meum, mitiga dolorem meum, quia ad te suspirat omne desiderium meum. Nam onus totum mihi est, quidquid hic mundus offert ad

1. *O quando finis horum malorum:* ita Gence, Enriquez, Elzevirius, Valgravius, Rosweydus, Delfau, et edit. 1697. Cæteri autem concordant cum nostro codice, omisso verbo *erit* quod subintelligitur hoc loco, ut in codd. Padolir., Cavensi, Bob.

2. « Liberabitur a servitute corruptionis. » Rom. VIII, 21.

3. *A misera servitute vitiorum? O, infelices peccatores, cur tam obscurentur oculi intelligentiæ vestre, cur marcesitis in fectoribus vitiorum vestrorum? Surgite dum tempus habetis et mecum venite ad regem nostrum Yhesum Xptum; ploremus ante illum; flectamus iratum judicem. Domine Yhesu quando memorabor tui solius, quando ad plenum letabor* etc. Hæc legimus in cod. Bobiensi, qui nobis tot variantes lectiones præbet, ut sine temeritate judicemus tractatum scholasticum ab ipso Magistro fuisse aliquando immutatum.

4. « Domine, memorabor justitiæ tuæ solius. » Ps. LXX, 16.

5. « Ut sit Deus omnia in omnibus. » 1 Cor. XV, 28. — « Omnia et in omnibus Christus. » Paulus ad Colossenses III, 11.

6. « Possidete paratum vobis regnum. » Matth. XXV, 34.

7. *Ab æterno. Bone Yhesu aspice in me, et miserere mei propter magnam misericordiam tuam. Relictus* etc., in cod. Bob.

solatium, desidero te[1] intime frui, sed nequeo apprehendere.

Opto inhærere cælestibus, sed deprimunt res temporales, et immortificatæ passiones[2].

Mente omnibus rebus superesse opto[3], carni autem invite subesse cogor.

Sic ego infelix homo[4] mecum pugno et factus sum mihimetipsi gravis[5], dum spiritus sursum, et caro quærit esse deorsum.

v. O, quid intus patior, dum mente cælestia tracto et mox carnalium tentationum et cogitationum turba occurit oranti[6].

Deus meus, ne elongeris a me[7] neque declines in ira a servo tuo[8].

Fulgura coruscationem tuam et dissipa eas, emitte sagittas tuas et conturbentur omnes phantasiæ inimici[9].

Recollige omnes sensus[10] meos ad te ; fac me

1. *Ad solatium. Desidero te :* ita Gence, Enriquez et alii, quamvis hic sensus indivisus videatur.

2. *Immortificatæ passiones. Ah! ah Domine mi, cur tam longe factus sum a te, cur elongavit animam a dulcedine bonitatis tuæ. Mente tunc, Domine, superesse volo omnibus rebus, carni autem invite tum subesse cogor. Dominatur qui debet ancilari et tirampnizatur super me caro mea. Sic ergo infelix* etc. Non glossatoris hæc, sed verba auctoris nobis videntur, quæ in cod. Bob. legimus.

3. *Superesse volo; carne autem* in edit. Gencesna et aliis: editt. 1488, 1608, 1697 scripserunt *carni*. Cod. Cav. cum nostro Ms. consentit.

4. « Infelix ego homo. » Paulus ad Rom. VII, 24.

5. Job. VII, 20: « Quam posuisti me contrarium tibi et factus sum mihimetipsi gravis. »

6. *Et mox carnalium turba occurrit oranti* : ita Gence, Enriquez, cæterique, editione 1608 excepta, in qua legitur *et mox carnalium cogitationum turba* etc., quæ quidem lectio nostræ magis accedit.

7. Psalm. LXX, 12: «Deus, ne elongeris a me ; Deus meus, in auxilium meum respice. »

8. Psalm. XXVI, 9 : « Ne avertas faciem tuam a me, ne declines » etc.

9. Psalm. CXLIII, 6 : « Fulgura coruscationem et dissipabit eos; emitte sagittas tuas et conturbabit eos. »

10. *Recollige sensus meos ad te* Enriquez, Gence, ut in pluribus editionibus ac codicibus.

oblivisci omnium mundanorum; da cito abjicere et contemnere phantasmata vitiorum.

Succurre mihi, æterna Veritas, ut nulla me moveat vanitas.

Adveni, cælestis suavitas, et fugiat a facie tua omnis impuritas [1].

Ignosce quoque mihi, et misericorditer indulge, quoties præter te aliud in oratione revolvo.

Confiteor etenim vere, quia valde distracte me habere consuevi.

Nam ibi multoties non sum, ubi corporaliter sto, aut sedeo, sed ibi magis sum, ubi cogitationibus feror.

Ibi sum, ubi cogitatio mea est; ubi est frequenter cogitatio mea, ibi est id quod amo [2].

Hoc mihi cito occurrit, quod naturaliter delectat aut ex usu placet.

VI. Unde tu, Veritas æterna, aperte dixisti [3]: Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum [4].

Si cælum diligo, libenter de cælestibus penso.

Si mundum amo, felicitatibus mundi congaudeo, et de adversitatibus ejus tristor.

Si carnem diligo, quæ carnis sunt sæpissime imaginor [5].

1. « Cavendum ergo ideo malum desiderium, quia mors secus introitum dilectationis posita est; ab Angelis nobis deputatis die noctuque Domino opera nostra nunciantur. » Cap. VII Regul. S. Benedicti.

2. *Ibi est frequenter cogitatio mea ubi est quod amo*: ita Gence, Enriquez et alii; solæ editiones 1488 et 1608 et cod. Pad. nobis accedunt, nec sensus est subversus uti Gence censet.

3. *Veritas aperte dixisti*: ita in omnibus codicibus; ast vocabulum *æterna* fuit per postillam marginalem adjectum in nostro Ms.

4. Matth. VI, 20: « Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo: ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. »

5. *Sæpe imaginor* Gence et alii; solæ editiones 1488, 1608, ac codd. Bob. et Cav. accedunt nostræ lectioni.

Si spiritum amo, de spiritualibus cogitare delector.

Quæcumque enim diligo, de his libenter loquor et audio, atque talium imagines mecum ad domum reporto[1].

Sed beatus ille homo qui propter te, Domine, omnibus creaturis abeundi licentiam tribuit, qui naturæ vim facit et concupiscentias carnis fervore spiritus crucifigit[2], ut serenata conscientia, puram tibi orationem offerat, dignusque sit angelicis interesse choris, omnibus terrenis foris et intus exclusis.

De desiderio æternæ vitæ, et quanta sint certantibus præmia promissa[3].

CAPITULUM 49um.

1. Fili mi, cum tibi desiderium æternæ beatutidinis desuper infundi sentis, et de tabernaculo corporis[5] exire concupiscis, ut claritatem meam[6] sine vicissitudinis umbra[7] comtemplari possis, dilata cor tuum, et omni desiderio hanc sanctam inspirationem suscipe.

1. *Imago et dormiens somnio, et quanto magis de aliquo re meditor, loquor, oudio, seribo, out afficiar, tanto fortius radieatur illo res in phontasia memoriæ, ita ut per frequentem exercitationis actum relinquotur habitus in mente sive in bono sive in malo:* ita Gence in notis; hæc omnia a glossatore Gersone, cancellario et summo philosopho, nobis videntur adjecta; nam in solis codicibus Avenionensi primo et Cælestinorum a nobis in præfatione indicatis reperinntur, ut Gence ipse fatetur.

2. «Carnem snam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis.» Galat. v, 24.

3. *De desiderio æternæ beatitudinis et quonto sint eertantibus bono promissa* in plnribus editionibns, ast Caietanns, Delfan, et edit. 1607 scripserunt *et quanto sint certantibus promissa*. Codd. Bob. et Padolir. nobis adhærent.

4. *Fili cum tibi :* ita Gence, Enriquez, Elzevirius, Delfan et Rosweyd.; cæteri omnes et speciatim codd. Bob. et Cav. accedunt nostræ lectioni.

5. « Quamdiu sum in hoc tabernaculo. » II Petr. I, 13.

6. « Videant claritatem meam. » Joan. XVII, 24.

7. « Apud quem non est.... vicissitudinis obumbratio. » Jacob. I, 17.

Redde amplissimas supernæ bonitati gratias, quæ tecum sic dignanter agit, clementer visitat, ardenter excitat, potenter sublevat, ne proprio pondere ad terrena labaris[1].

Neque enim hoc cogitatu tuo aut conatu accipis, sed sola dignatione supernæ gratiæ et divini respectus, quatenus in virtutibus, et majori humilitate proficias et ad futura certamina te præpares mihique toto cordis affectu adhærere et ferventi voluntate studeas deservire.

II. Fili, sæpe ignis ardet, sed sine fumo flamma non ascendit.

Sic et aliquorum desideria ad cælestia flagrant et tamen a tentatione carnalis affectus liberi non sunt.[2]

Idcirco nec omnino pure pro honore Dei agunt quod tam desideranter ab eo petunt.

Tale est et sæpe desiderium tuum, quod insinuasti fore tam importunum.

Non enim est hoc purum et perfectum, quod propria commoditate est infectum.

III. Pete non quod tibi est delectabile et commodum, sed quod mihi acceptabile atque honorificum; quia si recte judicas meam ordinationem tuo desiderio, et omni desiderato præferre debes, ac sequi.

Novi desiderium tuum, et frequentes gemitus audivi[3].

Jam velles esse in libertate gloriæ filiorum Dei[4],

1. « Præceptum Domini in adversis et in injuriis per patientiam adimplentes, percussi in maxillam præbent et aliam; auferenti tunicam, dimittunt et pallium. » Cap. VII Regulæ S. Benedicti.

2. « Monachus non præsumat aliquid habere proprium, quod si quisquam hoc nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel et iterum. » Cap. XXXIII Reg. S. Benedicti.

3. « Omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus. » Psalm. XXXVII, 10.

4. « In libertatem gloriæ filiorum Dei. » Rom. VIII, 21. Vide S. Bernard. Serm. 2 in Vigil. Nativ. Dom. num. 3.

jam te delectat domus æterna, et cælestis patria gaudio plena.

Sed nondum venit hora ista; sed est adhuc, est aliud tempus[1] belli[2], videlicet tempus laboris et probationis[3].

Optas summo repleri bono, sed non potes hoc assequi modo.

Ego sum, exspecta me, dicit Dominus[4], donec veniat regnum Dei[5].

IV. Probandus es adhuc in terris et in multis exercitandus[6].

Consolatio interdum tibi dabitur, sed copiosa satietas non concedetur.

Confortare igitur et esto robustus[7], tam in agendo quam in patiendo naturæ contraria.

Oportet te novum induere hominem[8], et in alterum virum mutari[9].

Oportet te sæpe agere quod non vis, et quod vis oportet te relinquere[10].

1. *Sed est adhuc aliud tempus, scilicet tempus belli, tempus laboris*: ita Gence, Eurique, Delfau, Valgravius, Caietanus, Rosweydus et Elzevirius, ast cum codd. Bob. et Cav., editionibus 1488 et 1608 nostra concordat lectio.

2. *Tempus belli utique tempus laboris, passionis et probationis*: ita in cod. Bobiensi.

3. « Tempus dilectionis et tempus odii, tempus belli et tempus pacis. » Ecclesiastes, III, 8.

4. Sophonias III, 8: « Exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ. »

5. « Donec Regnum Dei veniat. » Luc. XXII, 18.

6. Ex capit. VII Regulæ S. Benedicti, ibi : « Probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentum. »

7. Jos. I, 7 : « Confortare et esto robustus valde, ut custodias et facias omnem legem. »

8. « Induite novum hominem. » Ephes. IV, 24. — « Induite vos ergo sicuti electi Dei sancti et dilecti. » Epist. ad Coloss. III, 10.

9. « Et mutaberis in virum alium. » I Reg. X, 6.

10. « A voluntatibus tuis avertere dicit Scriptura, ut voluntatem nostram facere prohibeamur. Sunt viæ quæ videntur hominibus rectæ, quarum finis usque ad profundum inferni demergit. Ante te omne est desiderium meum. Secundus gradus humilitatis est si

Quod aliis placet, processum habebit; quod tibi placet, ultra non proficiet.

Quod alii dicunt, audietur; quod tu dicis, pro nihilo computabitur.

Petent alii, et accipient; tu petes nec impetrabis.

v. Erunt alii magni in ore hominum; de te autem tacebitur.

Aliis hoc vel illud committetur, tu autem ad nihil utilis judicaberis[1].

Nam propter alium[2] natura contristabitur, sed magnum fructum sibi silens reportabit.

In his et similibus multis probari solet fidelis Domini servus, qualiter se in omnibus abnegare[3], et in omnibus frangere quærit.

Vix est aliquid tale, in quo tantundem mori indiges, sicut videre et pati, quæ voluntati tuæ adversa sunt; maxime autem cum disconvenientia, et quæ minus tibi utilia apparent, fieri jubentur.

Et quia non audes resistere altiori potestati, sub dominio constitutus, ideo durum tibi videtur ad nutum alterius ambulare, et omne proprium sentire omittere[4].

qui propriam non amans voluntatem desideria sua non delectetur implere.» Regula S. Benedicti, cap. VII.

1. *Tu autem ad nichilum utile :* ita in cod. Cavensi. « Ad nihilum redactus sum et nescivi : ut jumentum factus sum apud te et ego semper tecum. » Cap. VII Reg. S. Benedicti.

2. *Propter hoc natura quandoque contristabitur, et magnum, si silens portaveris :* ita Gence, Enriquez, Elzevirius, Rosweydus, Valgravius, Delfau, et edit. 1697. Caietanus scripsit *nam propter hoc natura aliquando contristatur*, dum editiones 1488 et 1608 propius adhærent nostro codici.

3. *Qualiter se abnegare et in omnibus se frangere quiverit* ediderunt Gence, Enriquez et alii, sed Delfau et editor 1697 scripserunt *queat*, dum codd. Padolir., Bob., Cav. et editor 1608 scripsere *et in omnibus frangere querit.*

4. « Quartus humilitatis gradus est, si in ipsa obedientia duris et contrariis rebus, tacita conscientia patientiam amplectatur. » Cap. VII Regulæ S. Benedicti.

VI. Sed pensa, fili, horum fructum laborum, celerem finem atque præmium nimis magnum[1], et non habebis inde gravamen, sed fortissimum patientiæ tuæ solamen[2].

Nam et pro modica hac voluntate, quam modo[3] sponte deseris, habebis semper voluntatem tuam in cælis.

Ibi quippe invenies omne quod volueris, omne quod desiderare[4] potes.

Ibi aderit tibi totius facultas boni sine timore amittendi.

Ibi voluntas tua una semper mecum; nil cupies extraneum vel privatum[5].

Ibi nullus resistet tibi, nemo de te conqueretur, nemo te impediet, nihil obviabit: sed cuncta desiderata simul erunt præsentia, totumque tuum affectum reficient, et adimplebunt usque ad summum.

Ibi reddam gloriam pro contumelia perpessa, pallium laudis pro mærore[6], pro loco novissimo[7] sedem regni in sæcula[8].

Ibi apparebit fructus obedientiæ; gaudebit labor pœnitentiæ, et humilis subjectio coronabitur gloriose.

VII. Nunc ergo te inclina[9] humiliter sub omnium manibus, nec sit curæ[10], quis hoc dixerit, vel jusserit:

1. «Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis.» Genes. XV, 1.

2. «Fortissimum solatium habeamus.» Hebr. VI, 13.

3. *Quam nunc* in variis editionibus et in cod. Bobiensi.

4. *Desiderare poteris* Gence, Enriquez, etc. Attamen codd. Cav., Padolir. et Bob. nobis cohærent.

5. «Propriam quis voluntatem non amet, sed voluntatem Domini factis imitetur, dicens: Non veni facere voluntatem meam, sed illius qui misit me.» Cap. VII Regul. S. Benedicti.

6. «Pallium laudis pro spiritu mœroris.» Isai. LXI, 3.

7. «Recumbe in novissimo loco.» Luc. XIV, 10.

8. «Consecutus est sedem Regni in sæcula.» I Maccab. II, 57.

9. *Nunc ergo inclinare* etc. Gence et alii contra lectiones codd. Bob. et Cav.

10. *Nec sit tibi curæ* in pluribus codicibus; attamen editiones 1488 et

sed hoc magno opere curato, ut sive Prælatus[1], sive minor aut æqualis aliud a te exposcerit vel innuerit, pro bono totum accipias, et sincera voluntate studeas adimplere.

Quærat alius hoc, alius illud; glorietur ille in illo, et iste in isto; laudeturque millies mille, tu autem nec isto nec illo: sed tui ipsius gaude contemtu, et[2] in mei solius beneplacito ac honore.

Hoc optandum est tibi, ut sive per vitam sive per mortem Deus semper in te glorificetur[3].

Qualiter homo desolatus debet se in manus Dei offerre.

CAPITULUM 50um.

1. Domine Deus, sancte Pater, sis nunc et in æternum benedictus, quia sicut vis ita factum est, et quod facis bonum est[4].

Lætetur in te servus tuus, non in se, nec in aliquo alio, quia tu solus lætitia vera, tu spes mea, et corona mea, tu gaudium meum, et honor meus, Domine.

Quid habet servus tuus, nisi quod a te accepit[5], etiam sine merito suo?

Tua sunt omnia, quæ dedisti et quæ fecisti.

1608 nobis conveniunt. Denuo hic patet quod Auctor vult ignorari.

1. *Sive prælatus, sive junior*, Enriquez et Delfau; at cod. Cav., Bub., Genee, et editores 1488 et 1606 non distant a nostro codice et a capite VII Regulæ S. Benedicti, ibi: « Omnibus se inferiorem et viliorem intimo corde credat, dicens cum propheta: Ego sum vermis, non homo. »

2. Vide cap. 2 libri primi, et cap. 32 libri III, superius.

3. « Magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem. » Philip. I, 20.

4. « Qui parvulos cogitatus ejus tenuit et allisit ad Christum. » S. Benedictus in Prologo.

5. « Quid autem habes, quod non accepisti? » I Pauli ad Cor. IV, 7.

Pauper sum et in laboribus[1] a juventute mea[2], et contristatur anima mea, nonnunquam usque ad lacrymas, quandoque etiam conturbatur[3] spiritus meus a se propter imminentes passiones.

II. Desidero pacis gaudium, filiorum tuorum pacis[4] flagito, qui in lumine consolationis a te pascuntur.

Si das pacem, si gaudium sanctum infundis, erit anima servi tui plena modulatione, et devota in laude tua.

Sed si te subtraxeris sicut sæpissime soles, non poterit currere viam mandatorum tuorum[5], sed magis ad tundendum pectus genua[6] incurvantur, quia non est illi sicut heri, et nudiustertius[7], quando[8] lucebat lucerna tua super caput ejus[9], et sub umbra alarum tuarum protegebatur[10] a tentationibus irruentibus.

III. Pater juste[11], et semper laudande, venit hora[12], ut probetur servus tuus.

Pater amande, dignum est, ut hora hac patiatur pro te aliquid servus tuus.

Pater perpetuo venerande, venit hora quam ab

1. *In laboribus meis* scripsere Gence, Enriquez et alii; sola editio 1608 concordat cum nostra.

2. Psalm. LXXXVII, 16: « Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea, exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.

3. *Conturbatur ad se propter:* ita Enriquez, Gence et alii; attamen verba *spiritus meus* leguntur in nostro Ms. margini adjecta post collationem cum suo originali.

4. *Gaudium, pacem filiorum tuorum flagito:* ita Gence et alii codices; attamen nostra lectio adprobatur a Forcellino qui scripsit *pacis flagitare auxilium.*

5. Psalm. CXVIII, 32: « Viam mandatorum tuorum cucurri. »

6. *Tundendum pectus genua ejus incurvantur* scripsere Enriquez et alii; non ita edit. 1488 et 1608, Caietanus, Delfau et cod. Bob. cum Cav.

7. « Quod non sit erga me, sicut heri et nudiustertius. » Genes. XXXI, 5; 1 Maccab. 9, 44. Vide S. Bern. Serm. XXI in Cant. n. 4, et alibi.

8. *Quando splendebat* legimus in pluribus editionibus atque codicibus.

9. « Quando splendebat lucerna ejus super caput meum. » Job. XXIX, 3.

10. « Sub umbra alarum tuarum protege me. » Ps. XVI, 8.

11. « Pater juste. » Joan. XVII, 25.

12. « Pater venit hora; clarifica filium tuum. Ibid. 1.

æterno præsciebas affuturam[1], ut ad modicum tempus succumbat[2] foris servus tuus; vivat vero semper apud te intus[3], paululum vilipendatur, humilietur et deficiet coram hominibus, passionibus conteratur et languoribus, ut iterum tecum in aurora lucis novæ resurgat, et in cælestibus clarificetur.

Pater sancte[4], tu sic ordinasti, et sic voluisti, et hoc factum est quod[5] præcepisti[6].

IV. Est hæc enim gratia ad amicum tuum, pati et tribulari in mundo pro amore tuo, quotiescumque et a quocumque[7] et quomodocumque id permiseris fieri.

Sine consilio[8] et providentia tua[9], et sine causa nihil fit in terra[10].

Bonum mihi, Domine, quod humiliasti me ut discam justificationes tuas[11], et omnes elationes cordis atque præsumtiones abjiciam[12].

Utile michi, quod confusio cooperuit faciem meam[13], ut te potius quam homines ad consolandum requiram.

1. *Prescribas ad futurum:* ita Gence, Enriquez ipsi soli; cæteri concordant cum nostra lectione.

2. *Succumbebat* legitur in nostro Ms. De Advocatis.

3. *Apud te intus. Paullulum vilipendatur, humilietur, et deficiat:* sic in omnibus editionibus, exceptis illis 1488 et 1608, ubi sensus est continuatus ut etiam in cod. Bob.

4. « Pater sancte. » Joan. XVII, 11.

5. *Quod ipse præcepisti* scripsere Gence, Enriques et alii juxta textum Bibliorum litteralem, quod usui non erat XIII sæculo ut codd. Bob. et Cav. testantur nostram sequendo lectionem.

6. « Et hoc factum est, quod ipse voluisti. » Judith. IX, 4.

7. *A quocumque id permiseris* scripsere Gence, Caietanus et alii; solæ editiones 1488 et 1608, ut et cod. Bob., consonant nobis, uti etiam Valart edidit ad fidem autographi codicis.

8. « Operatur omnia (Deus) secundum consilium voluntatis suæ. » Ephes. I, 11.

9. « Tua judicia in tua providentia posuisti. » Judith. IX, 5.

10. « Nihil in terra sine causa fit. » Job. V, 6.

11. Psalm. CXVIII, 71: « Bonum mihi quia humiliasti me » etc.

12. *Præsumptiones abjiciam:* ita in omnibus editionibus. Cod. Bob. secutus est orthographiam nostri Ms. Cod. Cav. *abitiam* pariter refert.

13. « Propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam. » Psalmus LXVIII, 8.

Didici etiam ex hoc inscrutabile judicium tuum expavescere, qui affligis justum cum impio, sed non sine æquitate et justitia [1].

v. Gratias tibi[2], quia non pepercisti malis meis, sed attrivisti me verberibus amaris, infligens dolores et immittens angustias foris et intus [3].

Non est qui me consoletur ex omnibus [4] quæ sub cælo sunt, nisi tu, Domine Deus meus, cælestis medicus animarum, qui percutis et sanas, deducis ad inferos et reducis [5].

Disciplina tua super me et virga tua ipsa me docebit[6].

vi. Ecce, Pater dilecte, in manibus tuis[7] ego sum; sub virga correctionis tuæ me inclino: percute dorsum meum et collum meum, ut incurvem ad voluntatem tuam [8] tortuositatem meam.

Fac me pium et humilem discipulum, sicut bene facere consuevisti, ut ambulem ad omnem nutum tuum.

Tibi me et omnia mea ad corrigendum committo[9]: melius est hic corripi quam in futuro.

1. « Sed omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa æque eveniunt justo atque injusto, bono et malo. » Ecclesiastes, IX, 2.

2. *Gratias tibi ago quia:* ita Enriquez, Rosweydus, Elzevirius, contra Gence et cæteros qui nobis consonant.

3. « Hæc sit mihi consolatio ut affligens me dolore non parcat nec contradicam sermonibus sanctis. » Job. capite VI, 10.

4. « Non est, qui consoletur eam ex omnibus charis ejus. » Thren. I, 2.

5. « Percutiam, et ego sanabo. » Deut. XXXII, 39. — « Tu flagellas, et salvas; deducis ad inferos, et reducis. » Tob. XIII, 2: «Deducit ad inferos.» I Reg. II, 6: «Deducit ad partes inferas.» Sap. XVI, 13.

6. « Disciplina tua correxit me in finem, et disciplina tua ipsa me docebit. » Ps. XVII, 36.

7. « In manibus tuis sortes meæ, Deus meus. » Psal. XXX, 16.

8. « Rogamus Deum in oratione ut fiat voluntas illius in nobis. Docemur ergo merito non facere nostram voluntatem. » Reg. S. Bened. cap. VII.

9. *Ad corrigendum commendo, melius est enim:* ita Enriquez, Gence, Elzevirius, Rosweydus atque ed. 1488, 1608. Ast Caietanus, Delfau, Valgravius, cod. Cav. et editio 1697 nobis totidem verbis assentiuntur.

Tu scis omnia[1] et singula, et nihil te latet in humana conscientia[2].

Antequam fiant, nosti ventura[3], et non opus tibi est ut quis te[4] doceat aut admoneat de his quæ fiunt in terra[5].

Tu scis quid expediat[6] ad profectum meum et quantum deservit tribulatio ad rubiginem vitiorum purgandam.

Fac mecum desideratum beneplacitum tuum et ne despicias peccaminosam vitam meam, nulli melius et clarius quam tibi soli notam.

VII. Da mihi, Domine, scire quod sciendum est, hoc amare quod amandum est, hoc laudare quod tibi summe placet, hoc reputare quod tibi prætiosum apparet, hoc vituperare quod tibi sordescit[7].

Non me sinas secundum visionem oculorum exteriorum judicare, neque secundum auditum aurium hominum imperitorum sententiare[8]: sed in judicio vero de visibilibus et spiritualibus discernere atque super omnia voluntatem beneplaciti tui semper inquirere[9].

VIII. Falluntur sæpe hominum sensus in judicando; falluntur et amatores sæculi visibilia tantummodo amando.

1. « Scis omnia. » Joan. XVI, 30.

2. « Scio quia omnia potes et nulla te latet cogitatio. » Job. XLII, 1.

3. « Nosti omnia, antequam fiant. » Dan. XIII, 42.

4. « Et non opus est tibi, ut quis te interroget. » Joan. XVI, 30.

5. *Quæ geruntur in terra* legitur in omnibus editionibus.

6. *Quid expedit ad profectum meum et quantum deserviat:* ita Enriquez et alii; solus Caietanus secutus est nostram lectionem juxta codd. Aronensem et Cavensem.

7. *Quod oculis tuis sordescit:* ita Gence, Enriquez, Elzevirius, Caietanus, cæterique omnes.

8. « Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet. » Isai. XI, 3.

9. « Inquirent, quæ beneplacita sunt ei. » Ecclesiastici II, 19.

Quid[1] enim homo inde melior, quia reputabitur ab homine major?

Fallax fallacem, vanus vanum, cæcus cæcum, infirmus infirmum decipit, dum exaltat et veraciter magis confundit, dum inaniter laudat.

Nam quantum unusquisque est in oculis tuis, tantum est et non amplius, ait humilis sanctus[2] Franciscus[3].

Quod humilibus insistendum est operibus, cum deficitur a summis.

CAPITULUM 51um.

1. Fili mi, non semper vales[4] in ferventiori desiderio virtutum stare nec in altiori gradu contemplationis[5], sed necesse habes interdum ob originalem corruptelam ad inferiora descendere, et onus corruptibilis vitæ[6] etiam invite et cum tædio portare.

Quamdiu mortale corpus geris, tædium senties et gravamen cordis.

Oportet ergo sæpe in carne de carnis onere ge-

1. *Quid? est homo inde melior, quia reputatur:* ita Enriquez et alii. *Quis est homo* Rosweydus scribit.

2. « Sed et verbum dicere solitus erat: Quantum quisque est in oculis Dei, tantum est, et non plus. » S. Bonavent. in Vita S. Francisci, cap. 6.

3. *Ait humilis Franciscus:* ita edidit solus Gence, se referendo ad suum codicem. Non immerito monachus Gersen, qui cognoverat Franciscum, dum Vercellis fuerat, ei Sancti nomen attribuit: nam iste fratrum minorum Patriarcha, a Gregorio IX, jam anno 1228, mensibus tantum xx post obitum elapsis, fuit inter Sanctos adscriptus, uti in nostris dissertationibus demonstravimus, pag. 317 Historiæ Vercellensis, et pag. 58, *Mémoire sur le veritable auteur de l'Imitation*, 1827.

4. *Fili, non vales semper* Gence et alii ediderunt.

5. *Nec in altiori gradu contemplationis consistere* Gence, Delfau, aliique, exceptis editionibus 1488 et 1608, quæ nobis conveniunt.

6. « Corruptibilis vitæ. » II Maccabæorum VI, 25.

mere, eo quod non vales spiritualibus studiis, et divinæ contemplationi indesinenter inhærere.

II. Tunc expedit tibi ad humilia et exteriora opera[1] confugere, et in bonis te actibus recreare, adventum meum et supernam visitationem firma confidentia exspectare, exilium tuum et ariditatem mentis patienter sufferre, donec iterum a me visiteris, et ab omnibus anxietatibus libereris.

Nam faciam te laborum oblivisci, et interna quiete perfrui.

Expandam coram te prata scripturarum, ut dilatato corde currere incipias viam mandatorum meorum[2], et dices: Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis[3].

Quod homo non reputet se consolatione dignum, sed magis verberibus dignum[4].

CAPITULUM 52um.

I. Domine, non sum dignus consolatione tua, nec aliqua spirituali visitatione : et ideo juste mecum agis, quando me inopem et desolatum relinquis.

1. « Octavus humilitatis gradus est, si nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii regula vel majorum cohortantur exempla. » Cap. 7 Regul. S. Benedicti.

2. « Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. » Psalm. CXVIII, 32. — « Et expanderunt libros legis, de quibus scrutabantur gentes similitudinem simulacrorum suorum. » Liber I Maccab. III, 48. — « Aperta sunt prata et apparuerunt herbæ virentes. » Proverb. XXVII, 25.

3. « Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. » Rom. VIII, 18.

4. *Verberibus reum :* ita cod. Cav., Genec, Enriquez et alii : sed nobis cohærent editor 1697, Valgravius, Delfau, Caietanus, qui scripserunt *sed magis dignum verberibus.* Ineptam syntaxim exhibent hic voces *verberibus reum ;* sed judicet lector.

Si enim ad instar maris lacrymas fundere possem, adhuc consolatione tua dignus non essem.

Unde nihil[1] dignus sum quam flagellari et[2] puniri, quia graviter et sæpe te offendi, et in multis valde deliqui.

Ergo vera pensata ratione, nec minima sum dignus consolatione.

Sed tu clemens et misericors, qui non vis perire opera tua[3], ad ostendendum divitias bonitatis tuæ in vasa misericordiæ tuæ[4], etiam propter[5] omne proprium meritum dignaris consolari servum tuum supra humanum modum.

Tuæ enim consolationes non sunt sicut humanæ confabulationes[6].

11. Quid egi, Domine, ut mihi conferres aliquam cælestem consolationem?

Ego nihil boni egisse recolo me, sed semper ad vitia pronum, et ad emendationem pigrum fuisse.

Verum est, et abnegare non possum; si aliter dicerem[7], tu stares contra me, et non esset qui defenderet.

Quid merui pro peccatis meis, nisi infernum, et ignem æternum[8]?

1. *Unde nihil magis dignus sum* in sola editione 1608.

2. « Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justi. » Psal. 2, 12. — « Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinæ fugabit eam. » Prov. XXII, 15. — « Si quis frater non emendatur, acrior ei accedat correctio, id est, ut verberum vindicta in eum procedat. » Ex Regula S. Benedicti, cap. XXVIII.

3. « Nec vult Deus perire animam. » Liber II Regum XIV, 14.

4. « Ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. » Paulus ad Rom. IX, 23.

5. *Misericordiæ; etiam præter*: Ita Gence, Enriquez et alii; non ita in cod. Bobiensi qui nobis convenit.

6. « Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non lex tua. » Psalm. CXVIII, 85.

7. *Negare non possum, si aliter dicerem*: ita Gence, Enriquez, et cæteri editores.

8. « Mitti in ignem æternum. » Matth. XVIII, 8.

In veritate confiteor, quoniam dignus sum omni ludibrio et contemtu; nec decet me inter devotos tuos commorari [1].

Et licet hoc ægre audiam, tamen adversum me pro veritate peccata mea arguam, ut facilius misericordiam tuam valeam [2] impetrare.

III. Quid dicam reus, et omni confusione plenus?

Non habeo os loquendi, nisi hoc tantum verbum: Peccavi, Domine, peccavi: miserere mei, ignosce mihi.

Sine me paululum, ut plangam dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine [3].

Quid tam maxime a reo et misero peccatore requiris nisi ut conteratur et humiliet se pro delictis suis?

In vera contritione, et cordis humiliatione nascitur spes veniæ, reconciliatur perturbata conscientia [4], recuperatur [5] gratia perdita, tuetur homo a futura ira [6], et occurrunt sibi mutuo in osculo sancto [7] Deus et pœnitens anima.

IV. Humilis peccatorum contritio acceptabile tibi

1. *Nec decet me inter tuos devotos commemorari* scripsere Enriquez, Elzevirius, Valgravius, Rosweydus; solus ipse Gence scripsit *connumerari*, dum codd. Bob., Cav., Padolir., Caietanus, Delfau, et editores 1488, 1608 et 1697 accedunt nostræ lectioni.

2. *Merear impetrare:* ita Enriquez, Gence et alii, codd. Bob. et Cav. exceptis. » Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. » Psalm. L, 5.

3. « Dimitte me ergo ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine. « Job. X, 20, 21.

4. « Perturbata conscientia. » Sap. XVII, 10.

5. *Reparatur gratia:* sic Gence, Enriquez et alii; attamen gratiam recuperare magis consonat.

6. «Quis demonstrabit vobis fugere aventura ira ?» Matth. III, 7.

7. » Salutate invicem in osculo sancto. » Petri Epist. I, 14. — » Salutate invicem in osculo sancto. Salutate vos omnes Ecclesiæ Christi.» Paulus ad Romanos, XVI, 16.

est, Domine, sacrificium [1], longe suavius odorans in conspectu tuo [2], quam thuris incensum.

Hoc [3] est gratum etiam unguentum, quod sacris pedibus tuis infundi voluisti, quia cor contritum, et humiliatum nunquam despexisti [4].

Ibi est locus refugii a facie iræ inimici ; ibi emendatur et abluitur quidquid aliunde contractum est et inquinatum.

De gratia quæ non miscetur terrena sapientibus [5].

CAPITULUM 53um.

1. Fili, prætiosa est gratia mea, non patitur se misceri extraneis rebus, nec consolationibus terrenis.

Abjicere ergo oportet omnia impedimenta gratiæ, si optas ejus infusionem suscipere.

Pete secretum tibi ; ama solus habitare tecum, nullius require confabulationem, sed magis ad Deum devotam effunde precem, ut devotam teneas [6] mentem, et puram conscientiam.

1. » Sacrificium Deo spiritus contribulatus. » Ps. L, 19. — « Hostias acceptabiles Deo. » 1 Petr. II, 5.

2. « Odorem suavissimum in conspectu Domini. » Exod. XXIX, 25.

3. *Hæc est gratum etiam unguentum* scripsere Gence, Enriquez, Elzevirius, Rosweydus; cæteri adhærent nostræ lectioni.

4. « Unguento unxit pedes meos. » Luc. VII, 44. 46. — « Cor contritum, et humiliatum, Deus, non despicies. » Ps. L, 19. — « Hoc ungoentum bonum est, quia cor contritum, et humiliatum Deus non sperait. Effunditur autem ad pedes Domini » etc. S. Bernard. Serm. 87 de divers. Vid. Serm. 10 in Cantica, Opp. vol. 1, edit. Paris.

5. *Quod gratia Dei non miscetur terrena sapientibus*. En titulos a Gence et aliis adhibitus. *De gratia Dei quæ non miscetur cum terrena sapientibus* legimus in edit. 1608 et in cod. Cav., dum codd. Bob., Padolir. et editio 1488 nobis adhærent. Solus Valart cap. XL, *Quod gratia Dei non datur* edidit.

6. *Ut compunctam teneas* ediderant Gence, Enriquez et alii omnes, qui barbarismum italicum secuti sunt: nam vocabulum *compunctam* significat *afflictam*, *dolentem* etc.

Totum mundum nihil exstima, Dei vacationem[1] omnibus exterioribus antepone.

Non enim poteris mihi vacare et in transitoriis pariter delectari[2].

A notis et a charis oportet elongari et ab omni temporali solatio mentem tenere privatam.

Sic obsecrat beatus Apostolus Petrus, ut tanquam advenas et peregrinos in hoc mundo se contineant Christi[3] fideles[4].

II. O, quanta fiducia erit morituro, quem nullius rei affectus detinet in mundo.

Sed sic segregatum cor habere in omnibus[5], æger necdum capit animus, nec animalis homo novit interni hominis libertatem[6].

Attamen si vere velit esse spiritualis, oportet eum renuntiare tam remotis, quam propinquis, et a nemine magis cavere, quam a se ipso.

Si te ipsum perfecte viceris, cætera facilius subjugabis.

Perfecta namque victoria est[7] de semetipso triumphare: qui enim semetipsum subjectum tenet, ut sen-

1. *Deo vacare* scripserunt Enriquez, Delfau, et edit. 1697. Cæteri nobis concordant, uti et codd. Cav., Bobiensis et Padolironis.

2. « Ut non sit necessitas monachis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum. » Cap. LXV Regulæ S. Benedicti.

3. *Christi fideles, a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam* ediderunt Enriquez, Delfau, Caietanus, Valgravius, juxta cod. Cav., ipsi soli. Hæc a glossatoribus fuerunt deprompta ex Epistola D. Petri.

4. I Petr. II, 11: « Charissimi, obsecro vos tanquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. »

5. *Ab omnibus:* ita Gence et alii contra nostram lectionem.

6. « Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. » I Cor. II, 14. — « Dominus autem spiritus est. Ubi autem spiritus Domini, ibi libertas. » II Cor. III, 17.

7. *Perfecta victoria est:* ita Caietanus, Gence, Delfau, Valgravius, Enriquez et alii; solæ editiones 1488 et 1608 cohærent nostræ lectioni.

sualitas rationi, et ratio in cunctis obediat mihi, hic vere victor sui est et dominus mundi.

III. Si ad hunc apicem scandere gliscis, oportet viriliter incipere et securim ad radicem ponere[1], ut evellas et destruas occultam[2] et inordinatam inclinationem ad te ipsum et ad omne privatum et materiale bonum.

Ex hoc vitio quod homo semetipsum nimis inordinate diligit, pene totum pendet quidquid radicaliter vincendum est, quo devicto et subacto malo, pax magna et tranquillitas erit continuo[3].

Sed quia pauci sibi ipsi mori perfecte laborant, nec plene extra se tendunt, propterea in se implicati remanent, nec supra se elevari in spiritu possunt.

Qui autem libere mecum ambulare desiderat, necesse est, ut omnes pravas et inordinatas affectiones suas mortificet atque nulli creaturæ privato amore concupiscenter inhæreat[4].

De diversis motibus naturæ et gratiæ.

CAPITULUM 54um.

I. Fili, diligenter adverte motus naturæ et gratiæ: quia valde contrarie et subtiliter moventur, et vix

1. « Jam securis ad radicem arborum posita est. » Matth. III, 10. « Omnis ergo arbor mala in ignem mittatur. » Luc. III, 9.

2. *Occultam*, *inordinatam* scripsit Gence, absque particula conjunctiva, eique cohærent Caietanus, Rosweydus, Elzevirius ac Valgravius; attamen codd. Bob., Cav., editiones 1488, 1608, 1697, Enriques et Delfau nobis totidem verbis adsentiunt.

3. « Abnegare semetipsum sibi, a sæcularibus actibus se facere alienum, delicias non amplecti. » Ex Reg. S. Benedicti, cap. IV.

4. Inter instrumenta honorum operum S. Benedictus recensuit « non concupiscere », c. XIV Reg. « Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum et superbia vitæ, quæ non ex Patre, sed ex mundo est. » 1 Joan. II, 16.

nisi a spirituali et intime illuminato[1] homine discernuntur.

Omnes quidem bonum appetunt, et aliquid boni in suis dictis vel factis prætendunt: ideo sub specie boni multi falluntur[2].

II. Natura callida est et multos trahit, illaqueat, et decipit, et se semper pro fine habet.

Sed gratia simpliciter ambulat[3], et ab omni specie mala declinat[4], fallacias non prætendit, et omnia pure propter Deum agit, in quo et finaliter requiescit.

III. Natura invite vult mori, nec premi nec superari vult, nec subesse[5] nec sponte subjugari.

Gratia vero studet mortificationi propriæ, resistit sensualitati, quærit subjici, appetit vinci, nec propria vult libertate fungi[6], sub disciplina amat teneri, nec alicui cupit dominari: sed sub Deo semper vivere, stare et esse, atque propter Deum omni humanæ creaturæ humiliter parata est inclinari[7].

IV. Natura pro suo commodo laborat, et quidquid lucri sibi et alio proveniat[8] attendit.

Gratia autem non quid sibi utile et commodum[9] sit, sed quod multis[10] proficiat, magis considerat.

1. *Intimo illuminato* scripsit Gence atque in nota defendit lectionem, a Caietano, Valgravio, Elzevirio, ab editore 1588, a cod. Cav. approbatam, dum Delfau, Rosweydus, editores 1608, 1697 et cod. Bob. secuti sunt nostrum manuscriptum.

2. « Vitia non decipiunt, nisi sub specie umbraque virtutum. » S. Hieronym. in Epist. ad Lætam.

3. « Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. » Prov. x, 9.

4. « Ab omni specie mala abstinete vos. » 1 Thess. v, 22.

5. *Nec premi* nec *superari*, *nec subesse*: ita in omnibus editionibus, omissa verbi *vult* repetitione.

6. *Nec propria vult libertate frangi* loco *fungi* in nonnullis codicibus gallicis, ut Gence adnotat, dum codices Allatianus, Cav., Padolir. et Bob. nobis assentiunt.

7. « Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum. » 1 Petr. capite II, 13.

8. *Quid lucri ex alio sibi proveniat*: ita Gence, Enriquez et alii.

9. *Commodosum* scripsere Elzevirius, cod. Bob. et editor 1488 ipsi soli, non animadvertentes vocem *commodosum* uti barbaram reputari.

10. « Non quærens, quod mihi utile

v. Natura libenter honorem accipit et reverentiam.

Gratia vero omnem honorem, et gloriam Deo fideliter attribuit[1].

vi. Natura confusionem timet et contemtum.

Gratia autem gaudet pro nomine Jesu contumeliam pati[2].

vii. Natura otium amat, et quietem corporalem.

Gratia vero vacua esse non potest, sed libenter amplectitur laborem.

viii. Natura quærit curiosa habere et pulchra, et abhorret vilia, et grossa.

Gratia vero simplicibus delectatur et humilibus; aspera non aspernatur, nec vetustis refugit indui pannis[3].

ix. Natura respicit temporalia, gaudet ad lucra terrena, tristatur de damno, irritatur de levi injuriæ verbo.

Sed gratia attendit æterna, non inhæret temporalibus, nec in perditione rerum turbatur, neque verbis durioribus acerbatur, quia thesaurum suum et gaudium in cælo, ubi nihil perit, constituit.

x. Natura cupida est, et libentius accipit quam donat; amat propria et privata.[4]

Gratia autem pia est et communis, vitat singu-

est, sed quod multis, ut salvi fiant. » 1 Ep. ad Cor. x, 33.— « Charitas.. non quod sibi utile est, quærit, sed quod multis. » S. Bernardus, Tract. de diligendo Deo, num. 35.

1. « Afferte Domino gloriam, et honorem. » Psalm. xxvi, 2 et alibi.

2. Act. v, 41 : « Digni habiti sunt pro nomine Jesu contumelias pati. »

3. Jam in polemica dissertatione, 1827, diximus hæc alludere ad Cistertii monachos, quos Innocentius IV, ann. 1245, appellavit *Virtutis Thesauros*, quique pannis vetustis rudibus vestiebantur. Ex Regul. S. Bened. cap. LV, ibi : « De colore aut grossitudine vestium non causentur monachi, sed quales inveniri possunt in provincia qua degunt, aut quod vilius comparari potest. »

4. « Nullatenus liceat monacho quælibet munuscula accipere aut dare sine præcepto abbatis. » Caput LIV Reg. S. Benedicti.

laria, contentatur paucis, beatius judicat dare quam accipere [1].

XI. Natura inclinat ad creaturas[2] ad carnem propriam, ad vanitatem, et discursus.

Sed gratia trahit ad Deum, et ad virtutes, renuntiat creaturis, fugit mundum, odit carnis desideria, restringit evagationes, erubescit in publico apparere.

XII. Natura aliquod solatium libenter habet externum, in quo delectetur ad sensum.

Sed gratia in solo Deo quærit consolari, et in summo bono super omnia visibilia delectari.

XIII. Natura totum agit propter lucrum, et commodum proprium, nihil gratis facere potest: sed aut æquale, aut melius, aut laudem, aut favorem pro benefactis consequi sperat et multum ponderari sua gesta et dona et dicta concupiscit [3].

Gratia vero nihil temporale quærit, nec aliud præmium quam Deum solum pro mercede postulat, nec amplius de temporalibus necessariis desiderat, nisi quantum hæc sibi ad assecutionem æternorum valeant deservire.

XIV. Natura gaudet de amicis multis et propinquis, gloriatur de nobili loco, et ortu generis; arridet potentibus, blanditur divitibus, applaudit sibi similibus.

1. « Act. xx, 35: « Oportet magis dare quam accipere. »

2. *Natura inclinat ad creaturas:* hoc loco Gence asserit legi *casaturis rebus* in suo libro *Consolationis Internæ;* dein addit hæc omnia a numero 10 ad 13 deesse in veteri italico textu, se referens ad solam versionem Florentinam, anni 1505, quæ Gersonis nomen præbet, non ad alias editiones magis accuratas, quæ extant.

3. *Sua gesta et dona concupiscit:* ita Gence, Eoriquez et cæteri omnes, attamen non solum *gesta* sed et *dicta sua* homo vanus ponderari desiderat. In cod. Bobiensi legimus *sua gesta et dicta.* In codd. Cavensi et Allatii legimus *sua gesta et dona.* Ex his omnibus noster Ms. magis autographus adparet.

Gratia[1] autem etiam inimicos diligit[2], nec de amicorum turba extollitur, nec locum, nec ortum natalium reputat, nisi ubi virtus major fuerit[3], favet magis pauperi quam diviti, compatitur plus innocenti quam potenti, congaudet veraci et non fallaci[4], exhortatur semper bonos meliora charismata æmulari[5], et Filio Dei per virtutes assimilari.

XV. Natura de defectu et molestia cito conqueritur.

Gratia constanter fert inopiam[6].

XVI. Natura ad se omnia reflectit, pro se certat et arguit.

Gratia autem ad Deum cuncta reducit, unde originaliter emanant, nihil boni sibi adscribit nec arroganter præsumit, non contendit, nec suam sententiam aliis præfert, sed in omni sensu, et intellectu æternæ sapientiæ ac divino examini se submittit.

XVIII. Natura appetit scire secreta, et nova audire; vult exterius apparere et multa per sensus experiri; desiderat agnosci, et agere unde laus et admiratio procedit.

Sed gratia non curat nova nec curiosa percipere, quia totum hoc de vetustate corruptionis est ortum, cum nihil novum et durabile est[7] super terram[8].

1. *Gratia autem et inimicos*: ita Gence, Enriquez et alii.

2. «Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.» Luc. VI, 27.

3. *Nec ortum natalium reputat nisi virtus major ibi fuerit* scripsere Enriquez, Gence, et alii. Hæc non cohærent Regulæ S. Benedicti, De recipiendis nobilibus in monasterio, capite LIX.

4. « Non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.» 1 Epistola Pauli ad Corinthios, cap. XIII, 6.

5. « Æmulamini charismata meliora. » 1 Cor. XII, 31.

6. « Non exasperes pauperem in inopia sua. » Ecclesiasticus, cap. IV, 2.

7. *Durabile sit* in editione Genceana et aliis.

8. « Quid est, quod fuit? ipsum, quod futurum est. Quid est, quod factum est? ipsum, quod faciendum est. Nihil sub Sole novum. » Ecclesiasta I, 9. 10.

Docet itaque sensus restringere, vanam complacentiam et ostentationem devitare, laudanda et digne miranda humiliter abscondere, et de omni re et de omni scientia[1] utilitatis fructum, atque Dei laudem et honorem quærere.

Non vult se nec sua prædicari; sed Deum in donis suis[2] optat benedici, qui cuncta ex mera charitate largitur.

XVIII. Hæc gratia supernaturale lumen, et quoddam Dei speciale donum est[3], et proprie electorum signaculum[4], et pignus salutis æternæ[5]: quæ hominem de terrenis ad cælestia amanda sustollit, et de carnali spiritualem efficit.

Quanto igitur natura amplius premitur, et vincitur, tanto major gratia infunditur, et quotidie novis visitationibus interior homo secundum imaginem Dei reformatur[6].

De corruptione naturæ, et efficacia gratiæ divinæ[7].

CAPITULUM 55um.

I. Domine Deus meus, qui me creasti ad imaginem

1. *Et in omni scientia :* ita Enriquez, Gence et alii, exceptis edit. 1488, 1608, atque codd. Bob., Allat., Padolir. .et Cav.

2. *In bonis suis :* ita asseritur a Gence legi in codicibus Internæ Consolationis; quæ lectio contradicitur a cæteris Mss.

3. « Gratis.... Dei donum est. » Paulus ad Eph. II, 8.

4. « Signaculum justitiæ. » Epist. Pauli ad Rom. IV, 11.

5. « Qui est pignus hæreditatis nostræ. » Ephes. I, 14.

6. « Homo .. qui intus est, renovatur de die in diem. » II Cor. IV, 16. «Eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum.» Coloss. III, 10. — « Per Dei adjutorium interior homo renovatur de die in diem. » S. Bern. de Grat. et lib. Arb. c. 4, n. 12.

7. « Ut sollicitus sit circa cogitationes suas perversas, dicat semper humilis frater in corde suo: Tum ero immaculatus coram Deo, si observavero me ab iniquitate mea. » Cap. VII Regul. S. Benedicti.

et similitudinem tuam [1]: concede mihi hanc gratiam, quam ostendisti mihi tam magnam [2] et necessariam ad salutem, ut vincam pessimam naturam meam trahentem me ad peccata et in perditionem.

Sentio enim in carne mea legem peccati, contradicentem legi mentis meæ, et captivum me ducentem [3] ad obediendum sensualitati in multis, nec possum resistere passionibus ejus, nisi assistat tua sanctissima gratia, cordi meo ardenter infusa.

II. Opus est gratia tua et magna gratia, ut vincatur natura ad malum semper prona ab adolescentia sua [4].

Nam per primum hominem Adam lapsa, et vitiata per peccatum, in omnes homines pœna hujus maculæ descendit [5], ut ipsa natura, quæ bene et recte [6] a te condita fuit [7], pro vitio jam et infirmitate corruptæ naturæ ponatur, eo quod motus ejus, sibi relictus, ad malum et inferiora trahit.

Nam modica vis, quæ remansit, est tamquam scintilla quædam latens in cinere.

1. Genes. I, 26 : « Et ait : Faciamus hominem ad imaginem » etc. — Sapientiæ cap. II, 23 : « Deus creavit hominem interminabilem et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. »

2. *Quam ostendisti tam magnam* : ita Enriquez, Gence, et cæteri, exceptis cod. Bobiensi et editionibus 1488, 1608, quæ nobis accedunt.

3. Rom. VII, 23 : « Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. »

4. « Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. » Genes. VIII, 21. Vid. S. August. de Corrept. et grat. cap. 12., et Hilar. epist ad S. August. n. 6.

5. « Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit. » Rom. V, 12.

6. *Quæ bona et recta* : ita Gence, Enriquez, edit. 1488 et aliæ, exceptis tamen editionibus Valgravii et Rosweydi, quæ nostræ accedunt.

7. « Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum. » Eccles. VII, 30. — « Qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. » Ephes. IV, 24.

Hæc est ipsa caro[1] naturalis[2], circumfusa magna caligine[3], adhuc judicium habens boni et mali, veri falsique distantiam[4], licet impotens sit adimplere omne quod probat, nec pleno jam lumine veritatis, nec sanitate affectionum suarum potiatur.

III. Hinc est, Deus meus, quod condelector legi tuæ, secundum interiorem hominem[5], sciens mandatum tuum fore bonum, justum et sanctum[6], arguens etiam omne malum et peccatum fugiendum.

Carni autem[7] servio lege peccati[8], dum magis sensualitati obedio, quam rationi.

Hinc est quod velle bonum mihi adjacet, perficere autem non invenio[9].

Hinc sæpe bona multa propono, sed quia gratia deest ad adjuvandam infirmitatem meam, ex levi resistentia exilio[10] et deficio.

Hinc accidit quod viam perfectorum[11] agnosco, et

1. *Ipsa ratio naturalis :* ita in omnibus editionibus ; animadvertendum tamen est in nostro codice amendationem positam fuisse ad marginem, et in toto capitolo agi de *carnis* corruptione. In cod. autem Bobiensi correctio marginalis *ratio* alterius manus esse adparet.

2. « Lumen rationis quasi quandam scintillulam nobis.... misericordia dereliquit. » S. Bernard. Serm. 3 in Vigil. Nativ. Dom. num. 2.

3. « Multa caligine circumfusum. » II Maccab. III, 27.

4. « Distantiam boni et mali. » Eccl. VI, 5. — « Discretionem boni ac mali. » Hebr. V, 14.

5. Rom. VII, 22 : « Condelector enim legi Dei secundum » etc.

6. Ibid. 12 : « Itaque lex sancta et mandatum sanctum et justum et bonum. »

7. *Carne autem servio legi peccati :* sic Gence, Enriquez, Elzevirius et omnes alii, codd. Bob. et Cav. Jam demonstravimus pluries auctorem, uti mos erat, litteram scripturæ sanctæ immutasse, quod etiam confirmatur hoc loco.

8. Rom. VII, 25 : « Ego ipse menti servio lege Dei, carni lege peccati. »

9. Rom. VII, 18 : « Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.

10. *Resistentia resilio* legitur in omnibus editionibus, at *exilira foras* scripsere in Biblicis libris.

11. *Viam perfectionis :* Ita Enriquez, Gence, et alii.

qualiter agere debeam, satis clare video: sed propriæ corruptionis pondere pressus ad perfectiora non assurgo.

IV. O, quam maxime est mihi necessaria gratia tua, Domine, ad inchoandum bonum, ad proficiendum et ad perficiendum.

Nam sine te[1] nihil possum facere[2]; omnia autem possum in te, confortante me gratia tua[3].

O, vere cælestis gratia, sine qua nulla sunt propria merita, nulla quoque dona naturæ ponderanda.

Nihil artes, nihil divitiæ, nihil pulchritudo vel fortitudo, nihil ingenium vel eloquentia valent apud te, Domine, sine gratia tua[4].

Nam[5] bona naturæ bonis et malis sunt communia: Electorum autem proprium donum est gratia, sive dilectio[6], qua insigniti digni habentur vita æterna.

Tantum eminet hæc gratia, ut nec donum prophetiæ, nec signorum operatio, nec quantalibet alta speculatio[7] aliquid æstimetur sine ea.

1. *Sine ea nihil possum boni facere* scripsit Gence; *non possum facere aliquid* scripsere alii, sed nostra lectio magis sancto Evangelio cohæret.

2. « Sine me nihil potestis facere. » Joan. XV, 5.

3. « Omnia possum in eo, qui me confortat. » Phil. IV, 13.

4. *Apud te Domine sine gratia:* ita Gence, Enriquez, Elzevirius, Caietanus, edd. 1488, 1608. Solus Delfau et editor 1697 scripserunt *gratia tua*, ut in nostro codice.

5. *Nam dona naturæ* scripsere Valgravius, Gence, Enriquez, Elzevirius, et cæteri, excepto Cavensi cod. Nos censemus, *bona*, hoc loco, synonymum esse uti *divitiæ*, *commoditates*, quæ omnia naturæ bona sunt propria.

6. « Communis est omnibus Natura, non Gratia. » S. August. Serm. XXVI, cap. IV, n. 4, opp. Tom. IV, pag. 137. — « Naturam etiam cum impiis, et infidelibus certum est nobis esse communem: Gratia vero per fidem Jesu Christi eorum tantummodo est, quorum est ipsa fides. » Id. de Grat. et lib. Arb. cap. XI, 11, n. 25, Tom. X, pag. 731.

7. Referunt hæc ad superstitiones sæculi XIII, nam eo tempore credebatur transmutationi metallorum, uti Raimundus Lullus, anno 1304, et Bernardus Trevirensis Patavinus, sæculo XV, ducebant.

Sed neque fides neque spes neque aliæ virtutes sine charitate et gratia[1] tibi acceptæ sunt[2].

v. O, beatissima gratia, quæ pauperem spiritu[3] virtutibus divitem facis, et divitem multis bonis humilem corde[4] reddis. Veni, descende ad me, reple me mane[5] misericordia tua et consolatione tua[6], ne deficiat præ lassitudine et ariditate mentis anima mea.

Obsecro, Domine, ut inveniam gratiam in oculis tuis[7]: sufficit[8] enim mihi gratia[9] cæteris non obtentis quæ desiderat natura.

Si fuero vexatus et tentatus tribulationibus multis, non timebo mala, dum fuerit mecum gratia tua[10].

Ipsa fortitudo mea, ipsa consilium confert et auxilium. Cunctis hostibus potentior est et sapientior universis sapientibus[11].

vi. Magistra est veritatis, doctrix disciplinæ[12], lumen cordis, solamen pressuræ, fugatrix tristitiæ, ablatrix timoris, nutrix devotionis, productrix lacrymarum.

1. Vid. I Cor. XIII, ubi Charitatis excellentiam describit. Vide superius lib. I, cap. 15.

2. *Charitas et Gratia* sunt fundamenta religionis christianæ, uti demonstravimus in Historia Vercellensi, tom. IV, pag. 58, de sacri oratoris munere loquentes.

3. « Beati pauperes spiritu. » Matth. V, 3.

4. « Humiles corde Domino. » Daniel. III, 87.

5. *Reple me mane consolatione tua*: ita Enriquez, Gence, cæterique omnes, at auctor ad Psalmum LXXXIX, 14 se refert.

6. « Repleti sumus mane misericordia tua. » Psalm. LXXXIX, 14.

7. « Inveni gratiam in oculis tuis. » Genes. XVIII, 3.

8. « Et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea. » II Cor. XII, 9.

9. *Sufficit mihi gratia tua*: ita legitur in pluribus editionibus.

10. « Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. » Ps. XXII, 4.

11. S. Benedictus docet gratiam esse summopere monacho necessariam, ideo in Prologo ait : « Quod minus habet natura possibile, gratiæ suæ jubeat nobis adjutorium ministrari, ut per hanc ad lucis vitam pervenire mereamur. »

12. « Doctrix est disciplinæ Dei et electrix operum illius. » Sap. VIII, 4.

Quid sum sine ea nisi aridum lignum[1] et stips inutilis[2] ad ejiciendum[3]?

Tua ergo, Domine, gratia me semper præveniat, et sequatur ac bonis operibus jugiter præstet esse intentum[4] per Jesum Christum Filium tuum[5]. Amen.

Quod nosmetipsos abnegare[6] et Christum imitari debemus per crucem.

CAPITULUM 56um.

1. Fili, quantum vales a te exire, tantum in me poteris pertransire.

Sicut nihil foris concupiscere internam pacem facit, sic se interius relinquere Deo conjungit.

Volo te addiscere perfectam abnegationem tui in voluntate mea, sine contradictione et querela.

Sequere me[7]: Ego sum via, veritas, et vita[8].

Sine via non itur; sine veritate non cognoscitur; sine vita non vivitur.

1. «Velut lignum aridum in eremo.» Ecclesiasticus, VI, 3.

2. *Et stirps inutilis :* sic scripsere Enriquez, Delfau, Gence, et edit. 1608. Ediderunt *stipes* Caietanus, Valgravius, Rosweydus, Elzevirius et edit. 1697. In solis codd. Padolir., Aliat., Cav., Bob., et in ed. 1488 legitur *stips*, ut in nostro Ms., quamvis *stips* et *stipes* eadem sint. *E che son' io senza la divina grazia se non legno arido, moneta inutile da gettare via.*

3. « Projectus es... quasi stirps inutilis. » Isai. XIV, 19.

4. *Jugiter præstet esse intentum :* ita clauditur capitulum in pluribus editionibus, Caietanea, Genceana, Valgraviana, dum editores 1488, 1608, Elzevirius, Rosweydus, et codd. Padol., Bob., Cav. nobis conveniunt.

5. Orat. Dominicæ XVI, post Pentecosten.

6. *Quod nos ipsos* ediderunt Gence et alii. Hoc loco doctus cardinalis Enriquez adnotat, conjici merito posse, prætiosissimi tractatus auctorem esse monachum novitiorumque magistrum, ut jam in nota ad capitulum X libri primi diximus.

7. Matth. IX, 9: «Et ait Matthæo: Sequere me.»

8. «Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.» Joannes capite XIV, 17.

Ego sum via, quam sequi debes, veritas, cui credere debes, vita, quam sperare debes.

Ego sum via inviolabilis[1], veritas infallibilis, vita interminabilis.

Ego sum via rectissima, veritas suprema, vita vera[2], vita beata, vita increata.

Si manseris in via mea, cognosces veritatem, et veritas liberabit te[3] et apprehendes vitam æternam[4].

II. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata[5].

Si vis veritatem cognoscere, crede mihi.

Si vis perfectus esse, vende omnia[6].

Si vis esse discipulus meus, abnega[7] temetipsum[8].

Si vis beatam vitam possidere, præsentem vitam contemne.

Si vis exaltari in cælo, humilia te in mundo[9].

Si vis regnare mecum, porta crucem mecum[10].

Soli enim servi crucis inveniunt vitam beatitudinis et veræ lucis.

III. Domine Jesu Christe[11], quia arta erat vita[12]

1. *Immobilis* vel *immutabilis* in aliquot codicibus, uti Gence animadvertit ex Sapientiæ dicto: « Immutatæ sunt viæ ejus. » Cap. II, 15. « Et impolluta via. » Psalm. XVII, 31.

2. « Apprehendant veram vitam. » Epistola I Tim. VI, 19.

3. « Cognoscetis Veritatem; et Veritas liberabit vos. » Joan. VIII, 32.

4. « Certa certamine fidei, apprehende vitam æternam. » I Tim. VI, 12.

5. Matth. XIX, 17: « Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. »

6. Matth. XIX, 21: « Si vis perfectus esse, vade et vende quæ habes et da pauperibus. »

7. « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum. » Matth. XVI, 24.

8. « Monachus debet abnegare semetipsum sibi, ut sequatur Christum. » Ex cap. IV Regulæ S. Benedicti.

9. « Fratres, si summæ humilitatis volumus culmen attingere et ad exaltationem cœlestem pervenire, scala illa erigenda est, quæ in somno Jacob apparuit. » Cap. VII Regul. S. Benedict.

10. « Tollat crucem suam et sequatur me. » Matth. XVI, 24.

11. *Domine Jesu, quia arcta est via tua:* ita Enriquez et editiones 1488 et 1608. Cæteri nobis non totidem verbis assentiunt; solum in cod. Cav., edit. Rosweyd. et Gence legitur *arcta erat vita tua*, uti in nostro Ms.

12. « Arcta via est, quæ ducit ad vitam. » Matth. VI, 14.

tua, et mundo despecta; dona mihi tecum mundi despectum imitari[1].

Non enim servus est major domino suo, nec discipulus supra magistrum[2].

Exerceatur servus tuus in vita tua, quia ibi est salus mea et sanctitas vera.

Quidquid extra eam lego et audio[3], non me recreat nec delectat plene.

IV. Fili, quia hæc scis et legisti omnia, beatus eris si feceris ea[4].

Qui habet mandata mea et servat ea, ipse est qui diligit me, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum[5] et faciam ipsum consedere mecum in regno Patris mei[6].

Igitur, Domine, sicut dixisti[7] et promisisti, sic utique mihi promereri contingat.

Suscepi[8], suscepi de manu tua crucem: portabo[9] eam usque ad mortem, sicut imposuisti mihi.

Vere vita boni[10] Monachi crux est, sed dux[11] paradisi.

1. *Mundi despectu imitari* edidere Gence, Enriques et alii; sed Caietanus, cod. Bob. ac editores 1488 et 1608 nobis conveniunt.

2. « Non est discipulus super Magistrum, nec servus super Dominum suum. » Matth. x, 24. — « Non est servus major Domino suo. » Joan. XIII, 16; et XV, 20.

3. *Lego vel audio*: sic Enriques, Gence, cæterique omnes codd.

4. « Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. » Joan. XIII, 17.

5. Joan. XIV, 21: « Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo » etc.

6. « Dabo ei sedere mecum in throno meo. » Apoc. III, 21.

7. *Domine Jesu sicut dixisti* scripsere Gence, Enriquez, Valgravius, Rosweyd. et Elzevirius. Cæteri codices et editiones nobis consonant.

8. In prima littera cod. Cavensis adspicitur monachus crucem gestans, uti in icone a nobis est exhibitus.

9. *Portabo et portabo eam usque ad mortem*: sic Enriques, Rusweyd., Elzevirius. *Portavi* edidit Gence: cæteri nobis arrident.

10. « Zelus boni monachi separat a vitiis et ducit ad Deum et ad vitam æternam. » Cap. LXXII Regulæ S. Benedicti.

11. *Crux est, et dux Paradisi*: ita Enriquez, edit. 1488, 1608, Rusweydus; cæteri et ipse Gence cum nostra lectione concordant.

Inceptum est, retro abire non licet, nec relinquere oportet.

v. Eja fratres[1], pergamus simul[2]: Jesus erit nobiscum; propter Jesum suscepimus hanc crucem; propter Jesum perseveremus in cruce; erit adjutor noster, qui est dux noster et præcessor.

En rex noster[3] ingrediatur ante nos, qui pugnabit pro nobis[4].

Sequamur viriliter, nemo metuat[5] terrores[6]; simus parati mori fortiter in bello[7], nec inferamus crimen gloriæ nostræ, ut fugiamus[8] a cruce.

Quod homo non sit nimis dejectus, quando labitur in aliquos defectus.

CAPITULUM 57[um].

I. Fili, magis placent[9] patientia et humilitas in adversis, quam multa consolatio et devotio in prosperis.

1. Jam a sæculo decimo distinctio fuit in monasteriis introducta inter monachos litteratos, et idiotas qui appellati fuerunt *fratres*; uti Calmet, cap. 62, asserit.

2. *Eya fratres mei comilitones boni pergamus simul, curramus viam mandatorum Dei. Yhesus erit nobiscum, adiuvabit nos, quare potens Dominus et Princeps regum terræ. Propter* etc. addit cod. Bob.

3. *En rex ingreditur ante nos*: sic Gence ipse solus, omisso pronomine.

4. « Deus noster pugnabit pro nobis. » II Esdr. IV, 20.

5. *Nemo metuat nec retro cedat. Evanescat omnis timor, abscedat omnis formido. Simus parati fortiter mori in bello, ut regnemus in Xpto Yhesu in regno suo, nec inferamus* etc.: ita in cod. Bob. legitur, quod equidem probat ipsum auctorem immutasse lectiones scholasticas, ut jam diximus.

6. « Viriliter agite.... nolite timere. » II Paral. XXXII, 7.

7. « Melius est nos mori in bello quam videre mala gentis nostræ et Sanctorum. » I Maccab. III, 59.

8. « Si appropiavit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, et non inferamus crimen gloriæ nostræ. » Maccab. IX, 10. — « Ne paveas repentino terrore et irruentes tibi potentias impiorum. » Proverb. III, 25.

9. *Placent mihi patientia* in editionibus Geneeana et aliis; non ita in cod. Bobiensi.

Ut quid te contristat parvum factum contra te[1] dictum?

Si amplius fuisset, commoveri non debuisses[2].

Sed nunc dimitte[3] transire: non est primum nec novum nec ultimum erit, si diu vixeris.

Satis virilis es, quamdiu nil obviat adversi; bene etiam consulis et alios nosti roborare verbis: sed cum ad januam tuam venit repentina tribulatio, deficis consilio et robore.

II. Attende magnam fragilitatem tuam, quam sæpius experiris in modicis objectis: tamen pro salute tua ista fiunt. Cum hæc et similia contingunt, pone te ut melius nosti ex corde; et si tetigerit[4] tribulatio, non tamen dejiciat nec diu implicet.

Ad minus sustine patienter, si non potes gaudenter.

Et si[5] minus libenter audis et indignationem sentis, reprime te, nec patiaris aliquid inordinatum ex ore tuo exire, unde parvuli scandalizentur.

Cito conquiescet commotio excitata, et dolor internus revertente gratia dulcorabitur.

Adhuc vivo ego, dixit Dominus[6]; juvare[7] te para-

1. *Contra te aut dictum:* ita Enriquez, Delfau, et editores 1608 et 1697. Cæteri non discrepant a nobis, atque Gence in nota refutat Heserum.

2. Scripserat noster emanuensis non *dubitasses*, inde signavit vocebulum aliquot punctis et errorem emendavit.

3. *Sed nunc permitte*: ita Gence, Enriquez, Elzevirius ac Rosweydus; omnes alii nobis consonant. Solus cod. Cavensis scribendo omisit verbum *transire*.

4. *Pone ut melius nosti ex corde et si tetigit non tamen*: ita Enriquez, Rosweydus, Elzevirius, Caietanus et alii. Delfau edidit *Cum hæc et similia contingunt, propone ut melius nosti ex corde crucis meæ supplicium: et si te tetigerit adversitas, non tamen* etc.; quæ lectio editioni 1608 accedit, ac sensum clariorem reddit, uti Gence in note desiderebat.

5. *Etiam si minus* in pluribus editionibus contra cod. Bobiensie lectionem, quæ nostræ consonat.

6. « Vivo ego, dicit Dominus. » Isai. XLIX, 18.

7. *Juvare te paratus et solito amplius consolari, si confisus fueris mihi*

tus sum et solito amplius consolari, si confisus fueris in me, et devote invocaveris me.

III. Animæquior esto et ad majorem sustinentiam accingere[1].

Non est totum frustratum, si te sæpius percipis tribulatum vel graviter tentatum.

Homo es, et non Deus; caro es, et non Angelus[2].

Quomodo tu posses semper in eodem statu virtutis permanere, quando hoc defuit Angelo in cælo, et primo Homini in paradiso, qui non diu steterunt[3]?

Ego sum qui mærentes erigo sospitate[4], et suam cognoscentes infirmitatem ad meam provoco divinitatem[5].

IV. Domine, benedictum sit verbum tuum, dulce super mel et favum ori meo[6].

Quid facerem in tantis tribulationibus et angustiis meis, nisi me confortares tuis sanctis sermonibus?

Dummodo tandem ad portum salutis perveniam, quid mihi curæ est[7], quæ et quanta passus fuero?

Da finem bonum et da felicem ex hoc mundo transitum.

et devote invocaveris : sic editio Genceana et aliæ; sed editio 1608 concordat cum nostro Ms.

1. « Animæquiores estote, filii, clamate ad Dominum et eripiet vos. » Baruch, cap. IV, 21.

2. *Caro es, non angelus* scripsere Elzevirius, Rosweydus et Gence qui omisit conjunctionem, putans phrasim reddere rhythmicam.

3. *Primo homini in paradiso? Ego sum* etc. ediderunt Gence, Enriquez, Elzevirius et Rosweydus, dum cæteri codices plene concordant cum nostra accurata lectione codicis.

4. « Mœrentes erigit sospitate. » Job. capite V, 11.

5. *Ad meam proveho divinitatem* legimus in omnibus editionibus, sed observare fas sit, correctionem existere hoc loco in nostro Ms.

6. « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. » Psalm. CXVIII, 103. — « Dulciora super mel et favum. » Psalm. XVIII, 11.

7. *Quid curæ est* scripsere Gence, Enriquez et alii, omisso pronomine, non ineleganter hoc loco adhibito.

Memento mei, Deus meus[1], et dirige me recto itinere in regnum tuum. Amen.

De altioribus rebus et occultis Dei judiciis non scrutandis.

CAPITULUM 58um.

I. Fili, caveas disputare de altis materiis[2] et de occultis Dei judiciis : cur iste sic relinquitur, et ille ad tantam gratiam assumitur? cur etiam iste tantum affligitur, et ille tam eximie exaltatur?

Ista omnem facultatem humanam excedunt, nec ad investigandum divinum judicium ulla ratio prævalet vel disputatio.

Quando ergo hæc tibi suggerit inimicus vel etiam quidam curiosi inquirunt homines, responde illud Prophetæ : Justus es[3], Domine, et justum judicium tuum[4]; et illud : Judicia Domini vera justificata in semetipsa[5].

Judicia mea metuenda sunt, non discutienda, quia humano intellectu sunt incomprehensibilia[6].

II. Noli etiam inquirere nec disputare de meritis Sanctorum, quis alio sit sanctior; aut quis major sit in regno cælorum[7].

1. « Et pro hoc ergo memento mei, Deus meus, et parce mihi. » Liber II Esdr. XIII, 29 et alibi.

2. Disputationes de Prædestinatione; de libero arbitrio; de meritis sanctorum; de Evangelio æterno etc., vigebant sæculo XIII, ut demonstravimus in polemica dissertatione 1827.

3. « Etiam, Domine Deus omnipotens, vera et justa sunt judicia tua. » Apocal. XVI, 7.

4. Psalm. CXVIII, Sade 137 : « Justus es, Domine, et rectum judicium tuum; mandasti justitiam testimonia tua et veritatem tuam nimis. »

5. « Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi, judicia Domini » etc. Psalm. XVIII, 10.

6. « Incomprehensibilia sunt judicia ejus. » Rom. XI, 33.

7. Jam in enunciata dissertatione 1827, demonstravimus agi hoc in capitulo de disputationibus inter Fratres minores et Dominicanos, qui contendebant de meritis sanctorum, uti Fleury, in Historia Ecclesiastica, an. 1243, testatur; quæ contentiones a Dante Algherio describuntur in Paradisi Libro III, Cantibus XI et XII, uti infra pag. 275 legitur.

Talia generant sæpe lites et contentiones inutiles[1], nutriunt quoque superbiam et vanam gloriam: unde oriuntur invidiæ et dissensiones, dum ille[2] istum Sanctum, et alius alium conatur superbe præferre.

Talia autem velle scire et investigare nullum fructum afferunt, sed magis Sanctis displicent, quia non sum Deus dissensionis, sed pacis[3], quæ pax magis in humilitate vera, quam in propria exaltatione consistit.

III. Quidam zelo devotionis trahuntur[4] ad hos Sanctos vel ad illos, ampliori effectu[5], sed humano potius, quam divino.

Ego sum qui cunctos condidi Sanctos; ego donavi gratiam; ego præstiti gloriam[6].

Ego novi singulorum merita; ego præveni eos in benedictionibus dulcedinis meæ[7].

Ego præscivi dilectos meos ante sæcula[8]; ego eos elegi de mundo[9], non ipsi me prælegerunt.

Ego vocavi per gratiam[10], attraxi per misericordiam[11]; ego perduxi eos per tentationes varias.

Ego infudi consolationes magnificas; ego dedi perseverantiam; ego coronavi eorum patientiam.

1. « Stultas quæstiones.... et contentiones... devita; sunt enim inutiles. » Ad Tit. III, 9. — « Stultas, et sine disciplina quæstiones devita; sciens, quia generant lites. » II Timoth. II, 23.

2. *Dum iste istum sanctum et alius alium*: ita Enriquez, Gence, Caietanus et cæteri. In editionibus 1488, 1608, in codd. Bob., Cav. legimus: *Dum iste illum* etc., quæ quidem lectio magis nostræ cohæret.

3. I Cor. XIV, 33: « Non enim est dissensionis Deus sed pacis. »

4. *Zelo dilectionis trahantur ad hos vel ad illos*: ita Gence, Elzevirius, Rusweydus, et edit. 1488, 1608. Cæteri nobis assentiunt.

5. *Amplori affectu* in pluribus edd.; solus cod. Bob. nobis assentit.

6. « Gratiam, et gloriam dabit Dominus. » Ps. LXXXIII, 12.

7. « Prævenisti eum in benedictionibus » etc. Ps. XX, 4.

8. *Ego prescivi dilectos ante sæcula* scribunt Enriquez et alii; attamen in codd. Bob. et Cav. *Electos meos* legimus.

9. « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos... de mundo non estis... elegi vos. » Joan. XV, 16. 19.

10. « Vocavit per gratiam suam. » Galat. I, 15, et alibi.

11. « Dilexi te: ideo attraxi te miserans. » Jerem. XXXI, 3.

IV. Ego primum et novissimum agnosco; ego omnes inæstimabili dilectione amplector.

Ego laudandus sum in omnibus Sanctis meis[1]; ego super omnia benedicendus sum et honorandus in singulis, quos sic gloriose magnificavi, et prædestinavi[2] sine ullis præcedentibus propriis meritis[3].

Qui ergo unum de minimis meis[4] contemsit[5], nec magnum honorat[6]: quia pusillum et magnum ego feci[7].

Qui derogat[8] alicui Sanctorum, derogat et mihi, et omnibus cæteris in regno cælorum.

Omnes unum sunt[9] per charitatis vinculum, idem sentiunt, idem volunt et omnes in unum se diligunt.

V. Adhuc autem, quod multo altius est, plus me quam se et sua merita diligunt.

Nam supra se rapti et extra propriam dilectionem tracti, toti in amorem meum pergunt, in quo et fruitive quiescunt.

Nihil est quod eos avertere possit aut deprimere:

1. « Laudate Dominum in Sanctis ejus. » Psalm. CL, 1.

2. « Prædestinavit nos, non quia per nos sancti futuri eramus, sed elegit prædestinavitque ut essemus. » Ita S. Augustinus, cap. 18 de Prædestinatione.

3. « Elegit nos (Deus) in ipso (Christo) ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus in charitate. » Ad Ephesios I, 4. — « Elegit ergo nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, prædestinans nos in adoptionem filiorum. » S. August. de Prædest. ibid. Vid. Concil. Trid. sess. VI, caput VII, cujus titulus Can. XVII; ibidem: Prædestinationis temerariam præsumtionem cavendam esse, Can. XV et XVII.

4. « Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis. » Matth. XVIII, 10.

5. *Contempserit* ediderunt Enriquez, Genee, et alii omnes.

6. *Nec magnum honoraverit, quia pusillum et magnum ego feci, me comtempnit et inhonorat. Et qui derogat* : ita in cod. Bob.

7. Sap. VI, 8: « Non enim subtrahet personam cujusquam Deus nec verebitur magnitudinem cujusquam, quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus. »

8. *Et qui derogat* : ita Enriquez, Genee et cæteri; attamen nostra lectio clarior adparet.

9. « Ut omnes unum sint sicut tu Pater in me. » Joan. XVII, 21.

quippe qui æterna veritate pleni, igne ardescunt inexstinguibilis charitatis.

Taceant igitur carnales et animales homines de Sanctorum statu disserere[1]: qui non norunt nisi privata gaudia diligere; demunt et addunt pro sua inclinatione, non prout placet æternæ Veritati.

VI. In multis est ignorantia, eorum maxime qui parum illuminati raro aliquem perfecta dilectione spirituali diligere norunt.

Multi[2] adhuc naturali affectu, et humana amicitia ad hos vel ad illos trahuntur; et sicut in inferioribus se habent, ita et de cælestibus imaginantur.

Sed est distantia incomparabilis inter ea quæ[3] imperfecti non cogitant, et ea quæ illuminati viri per revelationem contemplantur, et speculantur superna.

VII. Cave ergo, fili, de istis curiose tractare, quæ scientiam tuam excedunt[4]; sed hoc magis satage et intende, ut vel minimus in regno Dei queas inveniri.

Et si quispiam sciret, quis alio sanctior esset, vel major haberetur in regno cælorum[5], quid ei hæc

1. Videantur Fleury, Historia Eccles. tom. XII, lib. 83, ann. 1243, de disputationibus super merita SS. Francisci et Dominici; iden Dantes, nat. an. 1265, lib. III, cant. XI Parad., scripsit:

L'uno fu tutto Serafico in ardore
L'altro per sapienza in terra fece
Di cherubica luce uno splendore.

Dein lib. III, cant. XII:

Degno è che dov' è l'un: l'altra s' induca
Si che, com' elli ad uno militaro,
Cosi la gloria loro insieme luca.

Summus ille Poeta concludit illos mendicantium Patriarchas esse inter se sanctitate æquales.

2. *Multum adhuc* edidit Enriquez, Genee, Rosweydus et alii; solæ editiones 1488, 1608 et codex Rob. nostræ consonant.

3. *Distantia incomparabilis quam imperfecti non cogitant, et quam illuminati viri per revelationem supernam speculantur*: ita Enriquez, Caietanus et editio 1697. Nonnulli scripserunt *eorum quæ*, et sola editio 1608 totidem verbis nobis adsentit.

4. « Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris. Sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita. » Eccl. III, 22.

5. Hac sententia Præceptor noster fratres diversorum ordinum mendicantium a similibus disputationibus removere voluit.

notitia prodesset, nisi se ex hac cognitione coram me humiliaret, et in majorem mei nominis laudem exsurgeret ?

Multo acceptius Deo facit qui de peccatorum suorum magnitudine, et virtutum suarum parvitate cogitat, et quam longe a Sanctorum perfectione distat, quam is, qui de majoritate eorum vel parvitate disputat.

Melius est Sanctos devotis precibus et lacrymis exorare et eorum gloriosa suffragia humili mente implicare [1], quam eorum secreta vana inquisitione perscrutari.

VIII. Illi bene et optime contentantur, si homines scirent contentari et vaniloquia sua compescere.

Non gloriantur de propriis meritis, quippe qui sibi nil bonitatis adscribunt; sed totum mihi, quoniam ipsis cuncta ex infinita mea charitate donavi.

Tanto amore divinitatis et gaudio supereffluenti replentur, ut nil desit eis gloriæ, nihilque desit felicitatis [2].

Omnes Sancti quanto altiores in gloria tanto humiliores in se ipsis, et mihi viciniores et dilectiores existunt.

Ideoque habes scriptum, quia mittebant coronas suas ante Deum, et ceciderunt in facies suas coram Agno et adoraverunt viventem in sæcula sæculorum[3].

IX. Multi quærunt[4], quis major sit in regno Dei, qui ignorant an cum minimis erunt digni computari.

1. *Humili mente implorare* scribunt Enriquez, Gence, Rosweydus, cæterique omnes, sed *implicare suffragia*, hoc loco, reddit auctoris mentem clariorem.

2. *Nihilque possit deesse felicitatis:* ita Enriquez, Gence et alii ediderunt.

3. Apoc. IV, 10: « Adorabant viventem in sæcula sæculorum, et mittebant coronas suas ante thronum. » — Ibidem, V, 14 : « Et adoraverunt viventem in sæcula sæculorum. »

4. *Multi quærunt, quis major sit in regno cælorum, sive Dei, qui igno-*

Magnum est vel esse minimum in cælo, ubi omnes magni sunt : quia omnes filii Dei vocabuntur[1] et erunt.

Minimus erit in mille[2] et peccator centum annorum morietur[3].

Cum enim quærerent Discipuli, quis major esset in regno cælorum, tale audierunt responsum :

Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste : hic major est in regno cælorum[4].

x. Væ eis, qui cum parvulis se humiliare sponte dedignantur, quoniam humilis janua regni cælestis eos non admittet intrare.

Væ et divitibus, qui habent consolationes suas hic[5], quia pauperibus intrantibus in regnum Dei, ipsi stabunt foris ejulantes.

Gaudete humiles, et exultate pauperes, quia vestrum est regnum Dei[6], si tamen in veritate ambulatis[7].

Quod[8] omnis spes et fiducia in solo Deo est figenda.

CAPITULUM 59um.

1. Domine, quæ est fiducia mea quam in hac vita

rant an tam minimis debeant computari sive erunt digni computari etc.: ita Caietanus, qui per repetitionem eadem exprimit.

1. « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. » Matth. v, 9.

2. Isai. LX, 22 : « Minimus erit in mille et parvulus in gentem fortissimum. »

3. « Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit. » Isai. LXV, 20.

4. Matth. XVIII, 1. 3. 4 : « In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum dicentes : Quis putas major est in regno cœlorum ? Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, et dixit : Amen dico vobis, nisi conversi fueritis » etc.

5. « Verumtamen væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. » Luc. VI, 24.

6. Matth. v, 3 : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » — Luc. VI, 20 : « Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. »

7. « Inveni de filiis tuis in veritate ambulantes. » Joan. epist. II, 4.

8. Codex Allatianus capitulum hoc sub numero 64 posuit, quia,

habeo, aut quod majus solatium meum ex omnibus apparentibus sub cælo?

Nonne tu, Domine Deus meus, cujus misericordiæ non est numerus[1]?

Ubi mihi bene fuit[2] sine te? Aut quando male esse potuit[3] præsente te?

Malo pauper esse propter te[4], quam dives sine te.

Eligo potius tecum in terra peregrinari, quam sine te cælum possidere.

Ubi tu, ibi cælum; atque ibi mors est atque[5] infernus, ubi tu non es.

Tu mihi in desiderio es, et ideo post te gemere et clamare et exorare necesse est.

In nullo denique possum plene confidere, qui in necessitatibus auxilietur opportunius, nisi in te solo Deo meo.

Tu es spes mea[6], et fiducia mea, et consolator meus, et fidelissimus in omnibus[7].

II. Omnes quæ sua sunt quærunt[8]: tu salutem meam, et profectum meum solummodo prætendis et omnia in bonum mihi convertis.

Et si variis tentationibus et adversitatibus ex-

ut jam diximus, omnes orationes uti capitula enumeravit. In editione Valart capita libri tertii ad num. XLIII recensentur, quia pro libitu ordinem Mss. invertere existimavit.

1. « Deus, cujus misericordiæ non est numerus » etc. Ex antiqua oratione Missalis Romani.

2. « Ubi bene erit sine illo, aut quando esse male poterit cum illo? » S. August. Tract. 51; eadem S. Bernard. Serm. 1 de Advent. Dom. n. 6.

3. « De misericordia Dei nunquam desperare. » Cap. IV Regulæ S. Bened.

4. *Malo pauper esse tecum* Valart ipse solus in edit. 1758.

5. *Atque ibi mors et infernus* in pluribus editionibus et cod. Bob. legimus. Solus cod. Cav. nobis arridet.

6. Psalm. CXLI, 6: « Tu es spes mea, portio mea in terra viventium. »

7. *Fidelissimus in omnibus adjutor* scribit Delfau, et cum illo editor 1697. Cæteri conveniunt nobis. « Fidelis Dominus in omnibus. » Ps. CXLIV, 13.

8. Philip. II, 21: « Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi. »

ponas me, hoc totum[1] ad utilitatem meam ordinas, qui mille modis dilectos tuos probare consuevisti.

In qua probatione non minus diligi debes et laudari, quam si cælestibus consolationibus me repleres.

III. In te ergo, Domine Deus meus, pono totam spem meam et refugium; in te omnem tribulationem meam[2] et angustiam meam constituo, quia totum infirmum et instabile invenio quidquid extra te conspicio.

Non enim proderunt multi amici, neque fortes auxiliarii adjuvare poterunt, neque prudentes consiliarii responsum utile dare, neque libri Doctorum consolari, nec alia prætiosa substantia liberare, neque locus aliquis secretus[3] contutari, si tu ipse non assistas, juves, confortes, consoleris, instruas et custodias.

IV. Omnia namque, quæ ad pacem videntur esse et felicitatem habendam, te absente nihil sunt, nihilque felicitatis et[4] veritate conferunt.

Finis ergo omnium bonorum et altitudo vitæ et profunditas eloquiorum tu es; et in te super omnia sperare, fortissimum solatium omnium[5] servorum tuorum[6].

Ad te sunt oculi mei[7]; in te confido, Deus meus[8]; misericordiarum Pater[9], benedic et sanctifica animam meam benedictione cælesti, ut fiat habitatio sancta tua

1. *Etiam si variis tentationibus et adversitatibus exponas, hoc totum* : ita Gence, Enriquez, omisso pronomine.

2. *Omnem tribulationem et angustiam* ediderunt Gence, Enriquez et alii, omisso iterum pronomine.

3. *Nec aliquis locus secretus et amœnus contutari* : ita Enriquez, Elzevirius et Rosweydus, cæteri codd. et edit. nobis consentiunt.

4. *Felicitatis in v.* Enriquez et alii.

5. *Solatium servorum tuorum* : ita in fere omnibus codd. ac edd.

6. « Fortissimum solatium .... ad tenendam propositam spem. » Epist. Pauli ad Hebr. VI, 18.

7. « Ad te, Domine, oculi mei ; in te speravi. » Psalm. CXL, 8.

8. «Deus meus, in te confido : non erubescam. » Psalm. XXIV, 2.

9. « Pater misericordiarum et Deus consolationis. » II Cor. I, 3.

et sedes æternæ gloriæ tuæ, nihilque in templo[1] tuæ dignitatis inveniatur, quod oculos tuæ majestatis[2] offendat[3]. Secundum multitudinem miserationum tuarum[4] et magnitudinem bonitatis tuæ respice in me, et exaudi orationem pauperis servi tui[5], longe exulantis in regione umbræ mortis[6].

Protege et conserva animam servuli tui inter tot discrimina vitæ corruptibilis[7], ac comitante gratia tua, dirige per viam pacis ad perpetuæ patriam felicitatis et claritatis[8].

1. *In templo tuo indignitatis inveniatur*; ita in edit. 1688, quod etiam Gence adnotavit legi in aliis codd., non certe in codd. Bob. et Cav.

2. *Quod oculos tuæ majestatis offendat. Secundum magnitudinem bonitatis tuæ, et multitudinem miserationum tuarum respice in me*: ita, inverso sensu ac interpunctione, legitur in pluribus editt., cod. Bob. excepto.

3. « Provocarent oculos Majestatis ejus. » Isai. III, 8. — « Laboremus, ne Dominus noster in templo suo, hoc est in nobis ipsis, inveniat, quod oculos suæ Majestatis offendat. » S. Augustin. Serm. 252 de Tempor.

4. « Secundum multitudinem miserationum tuarum. » Psalm. L, 2.

5. « Exaudi, Deus noster, orationem servi tui. » Daniel. IX, 17, et alibi.

6. Isai. IX, 2: « Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. »

7. II Maccab. VI, 25: « Et ipsi propter meam simulationem et propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiuntur et per hoc » etc.

8. *Ad patriam perpetuæ claritatis. Amen*: ita in pluribus editionibus, attamen D. Gence, in sua Parisiensi editione 1826, addit: *Appendix ad tres priores libros capitulum ultimum. Contra hujus mundi vanitates.* Incipit *Gravis est et nimium periculosa est mundi conversatio, nam periclitatur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, caritas in hoc nequam sæculo.* Vide D. Bernard. Sermones. Quod capitulum nullibi reperitur, et a Gersone cancellario probabiliter compositum fuit ex sententiis DD. Bernardi, Augustini, et Sacr. Bibliorum, postquam a persecutionibus edoctus vanitates mundi et honores in recessu Lugduni apud fratrem abbatem Benedictum sprevit, ut ex hujus vita a docto et perillustri historico D. M. L'Ecuy, Doctore Sorbonico et Ecclesiæ Parisiensis Canonico, nuperrime conscripta adparet.



CODEX DE-ADVOCATIS

SÆCULI XIII.

LIBER IIIJ[us].

De devota exhortatione[1] *ad sacram Corporis Christi communionem*[2]. *Vox Christi dicit. Venite ad me omnes.*

VENITE[3] ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos[4], dicit Dominus.

Panis quem ego dabo caro mea est, pro mundi vita[5].

Accipite et comedite: hoc est Corpus meum quod

1. In codice Aronensi legimus: *Incipit liber quartus de Sacramento Corporis Xpsti.* In editione 1488: *Explicit liber tertius. Incipit quartus. Devota exercitatio ad sacram Corporis Xpti comunionem. Vox Christi* etc. *Liber quartus. De Sacramento* edd. Genee et alii. In cod. Bobiensi: *Incipit liber Johannis Gersem, quum quanta reverentia et devotione sacratissimum Dominicum Corpus et Sanguinem sit sumendum.* V. Tab. v, N. 3. In cod. Cavensi: *Expliciunt capitula. Incipit quedam devota exhortatio ad sacram corporis Xpti comunionem. Vox Xpti. Incipit liber quartus de sacra comunione Corporis Xpti.* In cod. Bisciano vel Allatiano: *Incipit liber quartus vel pars quarta, qui intitulatur de Imitatione Xpti, et de sacramento altaris.* In cod. Padolironis: *Incipit liber quartus de Sacramento Eucharistie. Devota exortatio. Vox Xpti.* Vid. Tab. v, N. 4.

2. In libro tertio Magister novitiorum semper adbibuit vocabulum *Dominus*, in hoc *Christus* loquitur ad *Fideles*, et apte; nam ipse fuit institutor Eucharistici prætiosi sacramenti, et ad firmandum cor sincerum sola religiosa Fides sufficit.

3. In nonnullis codicibus adest *Proemium*, quo Caietanus, Enriquez et editor 1697 usi sunt.

4. «Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.» Matth. xi, 28.

5. « Si quis manducaverit ex hoc

pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem [1].

Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo [2].

Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt [3].

Cum quanta devotione Christus sit suscipiendus [4].

CAPITULUM PRIMUM.

Hæc sunt verba tua, Christe, Veritas æterna, quamvis non in uno tempore prolata, nec uno in loco conscripta.

Quia ergo tua [5] verba gratanter mihi et fideliter sunt accipienda, tua sunt, et tu ea protulisti, et mea quoque sunt, quia pro salute mea edidisti: libenter suspicio ea ex ore tuo, ut aptius inserantur cordi meo [6].

pane, vivet in æternum, et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. » Joan. vi, 52.

1. « Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis et ait: Accipite et comedite, hoc est corpus meum. » Matth. xxvi, 26.— « Sumite, hoc est corpus meum. » Marc. xiv, 22. — « Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. » Luc. xxii, 19. — « Accipite et manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. » 1 Pauli ad Cor. xi, 24. — « Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie et sub singulis cujusque speciei partibus separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit. » Can. iii, sessio 13 Concil. Trident.

2. « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. » Joan. vi, 57.

3. « Spiritus est, qui vivificat; caro non prodest quidquam; verba quæ ego locutus sum » etc. Joan. vii, 64.

4. *Cum quanta reverentia Christus sit suscipiendus* scripsere Gence, Enriquez, Elzevirius, Valgravius et alii. Deest titulus in Bobiensi codice.

5. *Tua sunt et vera, gratanter mihi et fideliter cuncta sunt accipienda. Tua sunt* etc.: ita Gence, Enriquez et alii, mutata constructione et interpunctione; codices Bob. et Cav. nobis adhærent.

6. *Ut arctius* Gence: *ut altius* cod. Bob.; sed Deifan, Caietanus, Valgravius, et edit. 1697 concordant cum nostra lectione.

Excitant me verba tantæ pietatis, plena dulcedinis et dilectionis : sed terrent me delicta propria, et ad capienda tanta mysteria me reverberat impura conscientia.

Provocat me dulcedo verborum tuorum, sed onerat me[1] multitudo vitiorum meorum.

II. Jubes ut fiducialiter ad te accedam, si tecum velim habere partem[2], et immortalitatis accipiam alimoniam, si æternam cupiam obtinere vitam et gloriam.

Venite, inquis, ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos[3].

O, dulce et amicabile verbum[4] in aure peccatoris, quo tu, Domine Deus meus, egenum et pauperem invitas ad communionem tui sanctissimi Corporis.

Sed quis ego sum, Domine, ut ad te præsumam accedere ?

Ecce cæli cælorum te non capiunt[5], et tu dicis: Venite ad me omnes?

III. Quid[6] vult ista piissima dignatio, et tam amicabilis invitatio ?

Quomodo ausus ero venire, qui nihil boni mihi conscius sum, unde possim præsumere?

Quomodo te introducam in domum[7] meam, qui sæpius offendi benignissimam faciem tuam?

Reverentur Angeli et Archangeli, metuunt Sancti et Justi[8], et tu dicis : Venite ad me omnes?

1. *Sed onerat multitudo* : ita Gence, Elzeviriuş et Rosweydus ; cæteri non distant a nobis.

2. « Si non lavero te, non habetis partem mecum. » Joan. XIII, 8.

3. Matth. XI, 28: « Venite ad me omnes qui laboratis » etc.

4. *Admirabile verbum* in cod. Leodicensi adnotat Gence, sed omnes codd. ac editiones a nobis visi concordant cum nostro Manuscripto.

5. « Cœli Cœlorum te capere non possunt. » III Reg. VIII, 27.

6. *Quid sibi vult* Enriquez, Gence, Caietanus et cæteri.

7. « Introducam illum in domum matris meæ. » Cant. III, 4.

8. « Columnæ cœli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus. » Job. capite XXVI, 11.

Nam nisi tu, Domine[1], diceres, quis verum esse crederet? Et nisi tu juberes, quis accedere tentaret[2]?

IV. Ecce vir justus Noe [3] in arcæ fabrica centum annis laboravit, ut cum paucis salvaretur [4] : et ego quomodo potero me una hora præparare, ut mundi fabricatorem cum reverentia sumam?

Moyses, famulus tuus[5], magnus et specialis amicus [6] tuus, arcam ex lignis imputribilibus [7] fecit, quam et mundissimo vestivit auro[8], ut tabulas Legis in ea reponeret : et ego putrida creatura, audebo te Conditorem legis, ac vitæ datorem tam facile suscipere?

Salomon, sapientissimus [9] regum Israel, magnificum templum septem annis in laudem nominis tui ædificavit, et octo diebus[10] festum dedicationis ejus celebravit, mille hostias pacificas obtulit [11], et arcam fœderis, clangore buccinæ et jubilo in loco [12] sibi præparato solemniter collocavit [13].

Et ego infelix et pauperrimus hominum, quomodo

1. *Nisi tu Domine* in pluribus editionibus atque codicibus.

2. *Accedere attentaret?* Gence, Enriquez et alii. Codices vero Bob., Padolir. et Cav. nobis assentiunt.

3. « Noe, vir justus. » Genes. VI, 9.

4. « Cum fabricaretur Arca, in qua pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt. » I Petri III, 20. — « Delebo hominem. » Genes. VII, 7.

5. « Moyses famulus Domini. » Jos. cap. I, 13. « Famulus Dei. » 2 Par. I, 3.

6. « Dilectus Deo.... Moyses. » Ecclesiasticus, XLV, 1.

7. « Arcam de lignis setim. » Exod. XXV, 5. 10. Et juxta versionem LXX, « de lignis imputribilibus. »

8. « Deaurabis eam auro mundissimo intus, et foris. » Ibid. 11.

9. « Dedit (Deus) David sapientissimum filium. » III Reg. V, 7. — « Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes. » Eccl. XII, 9.

10. « Similiter et Salomon octo diebus celebravit dedicationem. » II Maccabæorum, II, 12.

11. « Mille hostias in holocaustum obtulit Salomon super altare illud in Gabon. » Reg. lib. III, cap. III, 4. — « Boum viginti duo millia et ovium centum viginti millia. » Ibidem, cap. VIII, 63.

12. *In locum sibi præparatum* : ita Gence, Enriquez, et cæteri.

13. « Ducebant arcam testamenti Domini in jubilo, et in clangore buccinæ.... et imposuerunt eam in loco suo. » II Reg. VI, 15. 17.

te in domum meam introducam, qui vix mediam expendere devote novi horam, et utinam vel fere semel mediam digne.

v. O, mi Deus, quantum illi ad placendum tibi agere studuerunt.

Heu[1] quam pusillum est quod ago, quam breve expleo tempus, cum me ad communicandum dispono.

Raro totus collectus, rarissime ab omni distractione purgatus.

vi. Et certe in tua[2] salutari Deitatis præsentia nulla deberet occurrere indecens cogitatio; nulla etiam occupare creatura, quia non ad Angelum, sed Angelorum Dominum suscepturus sum hospitio[3].

Est tamen magna distantia inter arcam fœderis Domini[4] cum suis reliquiis, et mundissimum Corpus tuum cum suis ineffabilibus virtutibus; inter legalia illa sacrificia futurorum præfigurativa, et veram tui Corporis hostiam, omnium antiquorum sacrificiorum completivam[5].

vii. Quare igitur ad tuam non magis inardesco venerabilem præsentiam?

Cur majori me non præparo sollicitudine ad tua Sancta sumenda, quando illi antiqui sancti Patriarchæ[6], Reges quoque et Principes cum universo populo tan-

1. *Heu me miserum quam pusillum*: sic legimus in cod. Bobiensi.

2. *In tuæ salutari deitatis* legimus in editione Taurinensi 1761, juxta illam Romæ cardinalis Enriquez.

3. « Angelis hospitio receptis. » S. Paulus ad Hebr. XIII, 1. — « Obsecro, domini, declinate in domum pueri vestri et manete. » Genes. XIX, 2.

4. *Arcam fœderis cum* Gence, Enriquez et alii ediderunt.

5. « Hoc Sacramentum.... figurarum veterum impletivum. » S. Thomas Aquin. in Offic. SS. Sacram. Lect. VI. Quæ quidem ille Doctor natus an. 1227 potuit a libro Gersenis depromere, uti demonstravimus in citata Vercellensi Historia et in polemica dissertatione, atque Caietanus jam pridem scripserat ann. 1616.

6. *Patriarchæ et Prophetæ*: ita Gence, Enriquez, et alii.

tum devotionis monstrarunt affectum erga cultum divinum?

VIII. Saltavit rex devotissimus David coram arca Dei totis viribus[1], recolens beneficia olim indulta Patribus[2].

Fecit diversi generis organa[3], psalmos edidit, et cantari instituit cum lætitia, cecinit et ipse frequenter in cithara[4], Spiritus sancti afflatus gratia, docuit[5] populum Israel toto corde laudare Deum, et ore consono[6] diebus singulis benedicere et prædicare.

Si tanta agebatur tunc devotio, ac divinæ laudis extitit recordatio coram arca testamenti, quanta nunc mihi et omni populo Christiano habenda est devotio et reverentia in præsentia Sacramenti, in sumtione excellentissimi corporis Christi?

IX. Currunt[7] multi[8] ad diversa loca pro visitandis reliquiis Sanctorum, et mirantur auditis gestis eorum; ampla ædificia templorum inspiciunt, et osculantur sericis et auro involuta sacra ossa eorum[9].

Et ecce tu præsens es hic apud me in altari, Deus meus, Sanctus Sanctorum, hominum Creator[10] et Dominus Angelorum.

1. « Portabant arcam Domini.... et David saltabat totis viribus ante Dominum. » II Reg. VI, 13. 14.

2. « Priscis indulta Patribus. » S. Thom. Aquin. in Hymno ad Matut. Offic. SS. Sacram. Dissimulat Gence hæc fuisse ab hoc libro IV depromta.

3. «Diversi generis organis concinentem.» II Par. XXIII, 13.

4. *Sequenter in cithara* legitur in editione cardinalis Enriquez, Taurini, 1761, in Reg. Typographia.

5. *Afflatu gratia. Docuit* : ita Enriquez : sat Gence demonstrat sensum esse continuatum sicut in codd. Bob., Cav. ac in edit. 1488, 1618 legimus.

6. « Voce consona dicerent : Confitemini » etc. II Paralip. XX, 21.

7. De monachis peregrinis qualiter suscipiantur in cap. LX Regulæ S. Benedicti. Contra peregrinationes monachorum videatur S. Gregorius Nazianzenus.

8. Vide S. Bernard. in Apolog. ad Guilelm. Abbat. cap. 12, n. 29, Opp. Vol. 1, col. 545. Alvar. de Planctu Ecclesiæ, lib. II, cap. 76.

9. *Ossa ipsorum* : ita Gence et alii. Solus cod. Cav. cum nostro Ms. concordat.

10. *Creator omnium* scripsit Gence, et defendit suam lectionem, sed

Sæpe in[1] talibus videndis est curiositas hominum, est novitas invisorum et modicus reportabitur fructus emendationis, maxime ubi est tam levis, sine vera contritione discursus[2].

Hic autem in Sacramento altaris totus præsens es Deus meus, homo Christus Jesus[3]: ubi et copiosus percipitur æternæ salutis fructus, quotiescumque fueris digne ac devote susceptus[4].

Ad istud vero non trahit levitas aliqua, nec curiositas vel sensualitas, sed firma fides, devota spes, et sincera charitas.

x. O, invisibilis conditor mundi Deus, quam mirabiliter agis nobiscum, quam suaviter et gratiose cum electis tuis disponis, quibus temetipsum in Sacramento sumendum proponis[5].

Hoc namque omnem intellectum superat; hoc specialiter devotorum corda trahit, et accendit affectum.

Ipsi enim vere fideles tui, qui totam vitam suam ad emendationem disponunt, ex hoc Sacramento dignissimo magnam devotionis gratiam, et virtutis amorem frequenter recipiunt.

xi. O, admirabilis et abscondita gratia Sacramenti, quam norunt tantum Christi fideles, infideles autem[6] et peccatis servientes experiri non possunt.

Delfan et codd. Padolir. Cav. concordant cum nostra, dum Caietanus omisit hæc verba.

1. *Sæpe in tabulis videndis* legimus in Rosweydi edit., Taurin., contra omnes alias lectiones.

2. Adversus gyrovagos et peregrinantes monachos se dirigit auctor juxta S. Benedicti Regulam.

3. «Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.» 1 Tim. II, 17.

4. «Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.» Matth. cap. VII, 6.

5. «Dico autem vobis: Non bibam amodo de hoc germine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.» Matth. cap. XXVI, 29.

6. *Profani autem* legitur in edit. Francisci Tolensis, ann. 1575. «Infideles, qui Transsubstantiationi non

In hoc Sacramento confertur spiritualis gratia et reparatur in anima virtus amissa et per peccatum deformata redit pulchritudo.

Tanta est aliquando hæc gratia, ut ex plenitudine collatæ devotionis non tantum mens, sed et debile corpus vires sibi præstitas sentiat ampliores.

XII. Dolendum tamen est [1], et miserandum valde super tepiditate, et negligentia nostra, quod non majori affectu [2] trahimur ad Christum sumendum, in quo tota spes salvandorum [3] consistit et meritum.

Ipse enim est sanctificatio nostra et redemtio [4]; ipse consolatio viatorum et Sanctorum æterna fruitio.

Dolendum itaque valde, quod multi tam parum hoc salutare mysterium advertunt, quod cælum lætificat et mundum conservat universum.

Heu cæcitas et duritia cordis humani, tam ineffabile donum non magis attendere, et ex quotidiano usu etiam inadvertentia defluere [5].

XIII. Si enim hoc sanctissimum Sacramentum in uno tantum celebraretur [6] loco, et ab uno tantum consecraretur Sacerdote in mundo, quanto putas desiderio ad illum locum, et talem Dei sacerdotem homines efficerentur [7], ut divina ministeria celebrari audirent [8]?

credunt, scilicet per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, et totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus.» Capit. IV et Canon I Sess. 13 Concil. Trident.

1. *Dolendum tamen valde est* : ita Enriquez et alii.

2. *Majori affectione* ediderunt Gence, Elzevirius, Rosweydus et Enriquez; cæteri nobis assentiunt, ac singulatim Cavensis codex.

3. *Spes salvationis* scripsit Gence ipse solus contra alias lectiones.

4. « Factus est nobis.... sanctificatio et redemptio. » I Cor. I, 30.

5. *Etiam ad inadvertentiam defluere* : sic Enriquez, Gence et cæteri; at nostra lectio magis latina videtur.

6. *Celebraretur loco in mondo, quanto putas desiderio*, cæteris prætermissis a scriba, cod. Bob.

7. In aliis editionibus legimus *afficerentur*, in nostra lectione *efficerentur* error amanuensis fortasse irrepsit; sensus enim potius postulat verbum *proficiscerentur* vel *efferrentur*, uti in edit. 1608 fuit scriptum.

8. *Mysteria celebrari viderent* Gence,

Nunc autem multi facti sunt Sacerdotes[1] et in multis locis offertur Christus[2] : ut tanto major appareat gratia et dilectio Dei ad hominem, quanto latius est sacra Communio diffusa per omnem orbem[3].

XIV. Gratias tibi, bone Jesu, pastor æterne, qui nos pauperes et exules dignatus es prætioso corpore et sanguine tuo reficere : et ad hæc mysteria percipienda etiam proprii oris tui[4] eloquio invitare dicendo: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos[5].

Quod magna charitas et bonitas Dei in Sacramento exhibetur homini[6].

CAPITULUM 2um.

1. Super bonitate tua et magna misericordia tua, Domine, confisus[7], accedo[8] æger ad salvatorem, esu-

adducens quod *audire* inciditur in verbo *videre*, quæ incisio nobis non arridet; nam Missa auditur juxta præceptum Ecclesiæ. Nostra quidem lectio codd. Cav., Bob., ab editoribus 1488, 1608, 1697, et a Valgravio, Caietano et Delfao confirmatur.

1. «Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes.» Hebr. XVII, 23.

2. « In omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda. » Malach. I, 11.

3. *Diffusa per orbem* : ita Enriquez, Gence et alii.

4. *Tui alloquio* legimus in omnibus editionibus; at *eloquium* idem est ac eloquentia, ait Forcellinus; nobilior itaque videtur dicendi ratio.

5. « Post modicam orationem erecti communiant monachi », ait S. Benedictus in sua Reg. — Corpus et sanguinem Christi assumebant cœnobitæ in die dominica et festis Sanctorum, uti Calmetus refert.

6. « Unus nobis ait dolor, si hoc spirituali alimento privemur. » Sanctus Chrysost. Hom. 82 in Matth., Opp. tom. 7, pag. 988.

7. *Confisus* : ita Gence, *Conffisus* vero juxta orthographiam veterem.

8. « Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad Sacramentum, tanquam infirmus ad medicum vitæ » etc. Scripsit D. Thomas, uti legitur in Breviario et in Missali, omniaque fere ad litteram deprompsit a nostro Gersen, usque ad verba *pauper et egenus ad Dominum Cœli ;* quod evidenter Caietanus demonstravit in sua edit. 1616, et nos in Historia Vercellensi, tom. I et IV, et in polemica dissertatione, 1827, Parisiis edita.

riens ad fontem vitæ[1], egenus ad Regem cæli, et sitiens servus ad Dominum, creatura ad Creatorem, desolatus ad meum pium Consolatorem.

Sed unde mihi hoc ut venias ad me[2]? Quis ego sum ut præstes mihi temetipsum?

Quomodo audet peccator coram te apparere? Et quomodo tu dignaris ad peccatorem venire?

Tu nosti servum tuum, et scis quia nihil boni in se est[3] unde hoc illi præstes.

Confiteor igitur vilitatem meam, agnosco tuam bonitatem, laudo pietatem, et gratias ago propter nimiam charitatem[4].

Propter temetipsum[5] hoc facis, non propter mea merita, ut bonitas tua mihi magis innotescat, charitas amplior ingeratur, et humilitas perfectius commendetur.

Quia ergo tibi hoc placet et[6] sic fieri jussisti, placet et mihi dignatio tua, et utinam iniquitas mea non obsistat.

II. O, dulcissime, et benignissime Jesu, quanta tibi reverentia et gratiarum actio cum perpetua laude pro susceptione sacri Corporis tui debetur: cujus dignitatem nullus hominum explicare potens invenitur.

Sed quid cogitabo in hac Communione, in accessu ad Dominum meum, quem debite venerari nequeo et tamen devote suscipere desidero?

1. «Quoniam apud te est fons vitæ.» Psalm. xxxv, 10.

2. « Et unde hoc mihi, ut veniat.... ad me. » Luc. I, 43.

3. *Nil boni in se habet unde hoc illi præstes* : ita Enriquez, Gence, Elzevirius, etc.

4. « Deus autem, qui dives est in misericordia propter nimiam charitatem suam. » Paulus ad Ephes. II, 4.

5. *Propter temetipsum enim hoc facis* ediderunt Gence, Enriquez, et alii; sola editio 1488 cum nostra concordat.

6. *Et tu sic fieri jussisti* : ita Gence et alii, exceptis codd. Bob., Cav. et editionibus 1488, 1608, quæ nostræ accedunt.

Quid cogitabo melius et salubrius nisi me ipsum totaliter humiliando[1] coram te et tuam infinitam bonitatem exaltando supra me?

Laudo te, Deus meus, et in æternum exalto te. Despicio me et subjicio tibi in profundum vilitatis meæ.

III. Ecce tu Sanctus Sanctorum, et ego sordes peccatorum: et inclinas[2] te ad me, qui non sum dignus ad te respicere.

Ecce tu venis ad me, tu vis esse mecum; tu invitas[3] ad convivium tuum, tu mihi dare vis cælestem cibum et panem Angelorum ad manducandum[4], non alium sane quam teipsum, panem vivum, qui de cælo descendisti et das vitam mundo[5].

IV. Ecce unde dilectio procedit, qualis dignatio illucescit; quam magnæ gratiarum actiones et laudes pro his tibi debentur.

O, quam salutare et utile consilium tuum, cum istud constituisti[6]. Quam suave et jucundum convivium, cum teipsum in cibum donasti. O, quam admirabilis operatio tua, Domine; quam potens virtus tua, quam infallibilis[7] veritas tua.

Dixisti enim et facta sunt omnia, et hoc factum

1. *Humiliando* scripserunt etiam Caietanus, Delfau et alii, qui gerundium servarunt, contra Valart, qui scripsit *humiliare*.

2. *Sordes peccatorum. Ecce tu inclinas* Enriquez, Gence et alii, exceptis codd. Padol., Bob. et edd. 1488, 1608, quæ nostræ cohærent; nam sensus est continuatus.

3. *Tu me invitas*: ita Gence, Enriq. et alii, exceptis cod. Bob., edd. 1488, 1608, quæ concordant cum nostra.

4. « Panem Angelorum manducavit homo; cibaria misit eis. » Ps. LXXVII, 25.

5. « Ego sum Panis vivus, qui de Cœlo descendi.... quem ego dabo pro mundi vita. » Joan. VI, 51. 52.

6. *Quum istud instituisti* Gence, Enriquez et alii.

7. *Quam ineffabilis veritas tua* scripserunt Gence, Enriquez, Caietanus, Valgravius, Delfau, Rosweydus et alii; attamen cod. Bob., editiones 1488, 1608, concordant cum nostro Ms.; ibi correxisse amanuensem epitheton facile patet.

est quod[1] jussisti[2]: mira res et fide digna ac humanum vincens intellectum, quod tu, Domine Deus meus, verus Deus et homo, sub modica panis specie et vini integer contineris[3] et sine consumtione a sumente[4] manducaris.

v. Tu, Domine universorum, qui nullius habens indigentiam voluisti[5] per Sacramentum tuum habitare in nobis[6], conserva cor meum et corpus[7] meum immaculatum, ut læta et pura conscientia sæpius valeam celebrare tua mysteria et ad meam perpetuam accipere salutem, quæ ad tuum præcipue honorem et memoriale perenne sanxisti et instituisti.

vi. Lætare, anima mea, et gratias age Deo pro tam nobili munere et solatio singulari in hac lacrymarum valle[8] tibi relicto.

1. *Quod ipse jussisti. Mira res*: Ita Gence, Enriquez, Elzevirius cæterique ediderunt.

2. « Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt. » Psal. CXLVIII, 5; Genes. I, per tot. — « Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum: quis sermo Christi? nempe is, quo facta sunt omnia.... Non erat Corpus Christi ante consecrationem; sed post consecrationem dico tibi, quod jam Corpus est Christi. Ipse dixit, et factum est; ipse mandavit, et creatum est. » S. Ambros. de Sacram. lib. 4, cap. 4.

3. « Christus Deus, et Homo perfectus sub modica panis et vini specie continetur. » S. Thom. in v Lect. Offic. SS. Sacram. Quæ quidem verba e libro Imitationis Christi fuere deprompta, uti animadvertimus.

4. « A sumente non concisus.... integer accipitur. » S. Thom. in Hymn. Lauda, Sion, Salvatorem etc.

5. *Voluisti enim per Sacramentum*: Ita Gence ipse solus, dum in edit. 1488 legimus *uoluisti*, quod est error typographicus.

6. « Tu, Domine universorum, qui nullius indiges, voluisti templum habitationis tuæ fieri in nobis. » Lib. II Maccab. XIV, 35.

7. *Et corpus immaculatum* in edit. Geneeana, omissa repetitione pronominis, quam legimus in ed. 1488, 1608, et codd. Boh., Padolir. et Cav.

8. *In hac lacrimarum valle*. Ex antiphona *Salve Regina* deprompta sunt verba: hanc forte antiphonam vel Petrus Compostellanus, vel Hermannus Contractus composuit circa annum 1030; Sanctus Bernardus adjecit hæc verba: *O clemens! O pia! O dulcis Virgo Maria!* Anno vero 1239, Gregorius IX decrevit, ut post officium quotidie recitaretur. Vid. Trithemium libro II, cap. 84, et Durandum lib. IV, c. 21. Vid. supra pag. 236.

Nam quoties hoc mysterium recolis, et Christi corpus accipis, toties tuæ redemtionis opus agis[1] et particeps omnium meritorum Christi efficeris : charitas etenim Christi nunquam minuitur, et magnitudo propitiationis ejus nunquam exhauritur.

Ideo nova semper mentis renovatione[2] ad hoc disponere te debes et magnum salutis mysterium attenta consideratione pensare.

Ita magnum, novum et jucundum tibi videri debet, cum celebras[3] aut missam audis, ac si eodem die Christus primum in uterum Virginis descendens homo factus esset, aut in cruce pendens pro salute hominum pateretur, et moreretur[4].

Quod utile est sæpe communicare[5].

CAPITULUM 3um.

1. Ecce ego venio ad te, Domine, ut bene mihi sit

1. « Quia quoties hujus Hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur. » Secreta Missæ in Dom. IX post Pentecost.

2. Scripserat probabiliter amanuensis *revocatione*, sed delevit.

3. *Celebras aut Missam audis.* Vide cap. LXII Regulæ S. Benedicti, De Sacerdotibus Monasterii. Ex eo dignoscitur paucos fuisse presbyteros in cœnobiis, atque ut ordinarentur, requirebatur electio congregationis, voluntas abbatis, et vitæ meritum, neque sacerdos ad alium transibat monasterium. En cur abbas Gersen distinxit inter celebrantes et audientes missam, in hoc tractatu. « Si quis dixerit Missam lingua tantum vulgari celebrari debere.... Anathema sit. » Can. IX, sess. 22 Concil. Trident.

4. « Si quis dixerit Missæ sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium ; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis et aliis necessitatibus offerri debere : Anathema sit. » Can. III, sess. 22, die XVII Sept. 1562, Concil. Tridentini.

5. « Quinam erunt nobis magis accepti, an qui semel, an qui sæpe, an qui raro? Nec hi, nec illi, sed ii, qui cum munda conscientia, cum mundo corde, cum vita quæ nulli est affinis reprehensioni. Qui sunt hujusmodi, semper accedant : qui non sunt hujusmodi, ne semel quidem. » S. Hieronymus, in Epist. divi Pauli ad Hebr.

ex munere tuo et lætificer in convivio tuo[1], quod parasti in dulcedine tua pauperi, Deus[2].

Ecce in te est totum quod desiderare possum et debeo. Tu salus mea et redemtio, spes et fortitudo, decus[3] et gloria.

Lætifica ergo hodie animam famuli tui[4], quoniam ad te, Domine Jesu Christe, animam meam levavi[5].

Desidero te nunc devote et reverenter suscipere, cupio te in domum meam introducere, quatenus cum Zachæo merear a te benedici ac inter filios Abrahæ computari[6].

Anima mea et corpus meum[7] te concupiscit, cor meum tecum uniri desiderat.

II. Trade te mihi, et sufficit: nam præter te nulla consolatio valet, sine te esse nequeo et sine visitatione tua vivere non valeo.

Ideoque oportet me frequenter ad te accedere, et in remedium salutis meæ recipere, ne forte deficiam in via, si fuero cælesti fraudatus alimonia.

Sic enim tu, misericordissime Jesu, prædicans populis, et varios sanans[8] languores[9], aliquando dixi-

1. *In convivio sancto tuo*: ita Gence et alii. In sola edit. 1608 legitur *ex munere tuo quod parasti in dulcedine* etc.

2. Psalm. LXVII, 11: « Animalia tua habitabunt in ea, parasti in dulcedine tua pauperi Deus. »

3. *Virtus et gloria* in cod. Bob. solo legimus.

4. *Animam servi* scripsere Gence, Enriquez et alii.

5. Psalm. LXXXV, 4: « Lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi. »

6. Luc. XIX, 19: « Ait Jesus ad eum: Quia hodie salus Domini huic facta est, eo quod et ipse filius sit Abraham. »

7. *Anima mea corpus tuum concupiscit*: ita Gence, Enriquez et alii, cod. Cav. excepto. Attamen versio italica (*l'anima mia, ed il corpo mio ti desiderano, ed il cuore mio teco unirsi brama*) clariorem sensum Auctoris reddit.

8. *Varios curans languores* scripsere Gence, Enriquez et cæteri, sequentes textum Evangelii, quod semper in aliquid immutare existimavit Auctor, juxta Sanct. Patrum, ipsiusque S. Benedicti morem; ideo solus cod. Cavensis cum nostro Ms. concordat.

9. « Prædicans.... et curans omnem

sti: Nolo eos dimittere jejunos in domum suam, ne deficiant in via[1].

Age igitur hoc modo mecum, qui te pro fidelium consolatione in Sacramento reliquisti.

Tu es enim refectio suavis animæ, et qui te digne manducaverit, particeps et hæres erit æternæ gloriæ.

III. Necessarium quidem mihi est, qui tam sæpe mihi labor[2] et pecco, tam cito torpesco et deficio, ut per frequentes orationes et confessiones, ac sacram tui Corporis perceptionem me renovem, mundem et accendam, ne forte diutius abstinendo a sancto proposito defluam.

Proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua[3], et nisi succurrat divina medicina, labitur homo plus[4] ad pejora.

Retrahit ergo sancta Communio a malo, et confortat in bono.

Si enim modo tam sæpe negligens sum et tepidus, quando[5] communico aut celebro[6], quid fieret si medelam non sumerem et tam grande juvamen non quærerem?

Et licet omni die non aptus, et ad[7] celebrandum

languorem. » Matth. IX, 35. — « Curavit multos, qui vexabantur variis languoribus. » Marc. I, 34.

1. « Misereor turbæ. » Matth. XV, 32. « Nec habebant quod manducarent. » Marc. VIII, 1, seqq.

2. *Tam sæpe labor et pecco*: Ita cod. Rob., Gence, Enriquez, Elzevirius: cod. Cav. et alii scripserunt *laboro*. Nobis placet *sæpe mihi labor*, juxta Forcellinum Italice *mancare a se stesso*.

3. Genes. VIII, 21: « Sensus enim et cogitationes humani cordis ad malum proni sunt ab adolescentia sua. »

4. *Mox ad pejora*: ita Gence et alii.

5. Magister loquitur denuo ad monachos sacerdotes et laicos, quorum primi rari, ultimi vero plurimi in monasteriis, culturæ agrorum erant addicti, uti ex cap. LVII, de Artificibus monasterii Regulæ, S. Benedicti.

6. « Si dixerit quis Missas, in quibus solus sacerdos communicat sacramentaliter, illicitas esse, anathema sit. » Can. VIII, sess. 22 Concil. Trid.

7. *Non sim aptus nec ad celebrandum* etc.: ita Enriquez, Gence et alii; solus Delfau scripsit *aptus communicare, aut ad celebrandum*.

bene dispositus, dabo tamen operam congruis temporibus divina percipere mysteria, ac tantæ gratiæ participem me exhibere vel præbere[1].

Nam hæc est una principalis fidelis animæ consolatio, quamdiu peregrinatur ad te in mortali corpore[2], ut sit sæpius memor Dei[3] sui, dilectum suum devota suscipiat mente.

IV. O, mira circa nos tuæ pietatis dignatio[4]: quod tu, Domine Deus, creator et vivificator omnium spirituum, ad pauperculam dignaris venire animam, et cum tota divinitate tua ac humanitate ejus impinguare esuriem.

O, felix mens, et beata anima, quæ te, Dominum Deum suum, meretur devote suscipere, et in tua susceptione spirituali gaudio repleri.

O, quam magnum suscipit Dominum, quam dilectum inducit hospitem, quam jucundum recipit socium quam fidelem acceptat amicum, quam speciosum, et nobilem amplectitur sponsum[5], præ omnibus dilectis, et super omnia desiderabilia amandum.

Sileant a facie tua, dulcissime dilecte meus, cælum et terra, et omnibus[6] ornatis eorum[7], quoniam

1. *Participem me præbere :* ita Gence, Enriquez, Delfau, Rosweydus et Elzevirius : editores 1488 et 1608 scripserunt solum *me exhibere*, juxta codd. Bob. et Cav., dum cæteri totidem verbis nobis cohærent. Fideles seu monachi statutis festivitatibus se exhibebant ad communionem, dum sacerdotes sacra peragerent.

2. « Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. » II Cor. v, 6.

3. *Ut sæpius memor* : sic Gence, omisso verbo, contra alias lectiones.

4. Ex cantu *Exultet jam angelica turba cælorum*, in Sabbato Sancto, ibi : « *O mira circa nos tuæ pietatis dignatio! O inæstimabilis dilectio* » etc.

5. Non immerito notandum censemus in hoc libro amanuensem frequenter adhibuisse duo puncta : quod probat non eadem manu totum codicem De-Advocatis fuisse conscriptum.

6. *Et omnis ornatus eorum* : ita Enriquez, Gence et cæteri. Hoc loco intelligere oportet *cum omnibus*, ut sensus clarior efficiatur juxta cod. Bob., dum in cod. Cav. *ortus eorum* legimus.

7. « Sileat a facie ejus omnis Terra. » Habac. II, 20. — « Perfecti sunt Cœli, et Terra, et omnis ornatus eorum. » Genes. II, 1.

quidquid habent laudis et decoris, ex dignatione tuæ est largitatis, nec ad decorem tui pervenient nominis, cujus sapientiæ non est numerus[1].

Quod multa bona præstantur devote communicantibus.

CAPITULUM 4um.

1. Domine Deus meus, præveni servum tuum in benedictione dulcedinis tuæ[2], ut ad tuum magnificum Sacramentum digne ac devote merear accedere[3].

Excita cor meum in te, et a gravi torpore exue me.

Visita me in salutari tuo[4] ad gustandum in spiritu tuam suavitatem[5], quæ in hoc Sacramento tanquam in fonte plenarie latet[6].

Illumina quoque oculos meos[7] ad intuendum tantum mysterium, et ad credendum illud indubitata fide me robora[8].

Est enim operatio tua, non humana potentia: tua sacra institutio, non hominis adinventio.

Non enim ad hæc capienda et intelligenda aliquis

1. « Sapientiæ ejus non est numerus. » Psalm. CXLVI, 5.

2. « Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis. » Ps. XX, 4.

3. « Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ,... Anathema sit. » Can. IX, sess. 13, Concil. Tridentini.

4. « Memento populi tui, visita nos in salutari tuo. » Ps. CV, 4.

5. « Suavitatem hujus Sacramenti.... per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur. » S. Thomas in Lectione VI Brev. Rom.

6. *Plenarie scatet* scripsit Delfau ipse solus, contra lectionem codd. Bob., Cav., Padolir. et aliorum.

7. Psalm. XII, 4: « Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. »

8. « Si quis negaverit in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum;

idoneus per se reperitur, quæ Angelicam etiam subtilitatem[1] transcendunt.

Quid ergo ego peccator indignus, terra et cinis[2], de tam alto secreto Sacramento[3] potero investigare et capere?

11. Domine, in simplicitate cordis[4], in bona et firma fide et in tua visione[5] ad te cum firma spe et reverentia accedo, et vere credo, quia tu præsens es hic in Sacramento Deus et homo[6].

Vis ergo ut te suscipiam et me ipsum tibi in charitate uniam[7].

Unde tuam precor clementiam, et specialem ad hoc imploro mihi donare gratiam, ut totus in te liquefiam, et amore pereffluam, atque de nulla alia[8] consolatione amplius me intromittam.

Est enim hoc altissimum et dignissimum Sacramentum, salus animæ et corporis, medicina omnis spiritualis languoris, in quo vitia mea curantur, pas-

sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo vel figura aut virtute, anathema sit. » Can. 1, sess. 13, die XI Octobr. 1551, Concil. Tridentini.

1. « Si non intelligimus quæ infra nos sunt, scilicet tam et tanta naturæ arcana, quomodo comprehendere quæ supra nos sunt? Si talia essent opera Dei, ut facile ab humana ratione caperentur, nec mirabilia, nec ineffabilia essent dicenda. » Cap. XVIII infra.

2. « Omnes homines terra et cinis. » Eccl. XVII, 31. « Cum sim pulvis et cinis. » Genes. XVIII, 27 et alibi.

3. *De tam alto sacro secreto* scripsere Gence, Enriquez, Rosweydus, Elsevirius et edit. 1488, 1608, juxta codd. Bob. et Cav.; omnes aliæ nobis assentiunt, omisso tamen adjectivo.

4. « Domine....in simplicitate cordis mei. » 1 Paral. XXIX, 17.

5. *In bona firma fide et in tua jussione* : ita Gence, Enriquez, cæterique; codd. Bob. et Padolir. cum nostro concordant. In toto capitulo tractatur de non scrutando tanti mysterii sacramento, ideo cum firma fide et in visione corporis et sanguinis Christi accedere debet Catholicus ad mensam Eucharisticam.

6. Qui credit plus, non fallitur: ideo Catholici, qui de transsubstantiatione sunt persuasi, non possunt a fide vera errare, ex quo plus credunt quam ipsi Novatores. A. N.

7. *Uniam. Nequeo per me ipsum nisi me adjuves. Unde* : hæc in cod. Bob. adjecta fuere.

8. *De nulla aliena consolatione* : ita in fere omnibus editionibus, codd. Bob. et Cav. exceptis, qui nostræ lectioni adsonant.

siones frænantur, tentationes vincuntur ac[1] minuuntur, gratia major infunditur, virtus accepta[2] augetur, firmatur fides, spes roboratur, et charitas ignescit ac dilatatur[3].

III. Multa namque bona largitus es, et adhuc sæpius largiris in Sacramento dilectis tuis devote communicantibus, Deus meus susceptor animæ meæ[4], reparator infirmitatis meæ[5], et totius dator consolationis internæ.

Nam multam ipsis consolationem adversus varias tribulationes[6] infundis, et de imo dejectionis propriæ ad spem tuæ protectionis erigis atque nova quadam gratia eos intus recreas et illustras, ut qui anxii primo, et sine affectione se ante Communionem senserant, postea refecti cibo[7] potuque cælesti[8], in melius se mutatos inveniant.

Quod idcirco cum electis tuis ita dispensanter agis, ut veraciter agnoscant, et patenter experiantur, quam nihil[9] ex semetipsis habeant, et quid bonitatis ac gratiæ ex te consequantur.

1. *Vincuntur aut minuuntur* scripsere Gence, Enriquez, Elzevirius et Rosweydus; cæteri nobis assentiunt.

2. *Virtus incepta augetur* in omnibus codicibus ac editionibus, et non immerito, cum *accipere virtutem* significet *virtutem amplecti.*

3. « Nullum Sacramentum est isto salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, et mens omnium spiritualium charismatum abundanter impinguatur. » S. Thomas, in Lect. VI.

4. « Ecce enim Deus » etc. Ps. LIII, 6.

5. *Reparator infirmitatis humanæ*: ita Gence, Enriquez et alii, contra nostram et codd. Bob. et Cav. lectionem. Agitur tamen de locutione Fidelis ad Deum, unde dum dicit *susceptor animæ meæ*, non immerito etiam *reparator infirmitatis meæ* noster Auctor scripsit.

6. *Variam tribulationem* Gence, Enriquez et alii; soli codd. Cav., Padolir. atque editiones 1488 et 1608 nobis cohærent.

7. « Refecti cibo potuque cœlesti » etc. Oratio post communionem in Missa Sancti Joannis Evangelistæ.

8. *Refecti cibo potuque cælesti*: en aliud argumentum, quo jam in polemica dissertatione probavimus agi de Auctore qui ante Concilium Constantiense, an. 1415, scripserat, eo tunc vigente usu communicandi fideles sub utraque specie panis et vini. Anno 1196 obiit Vurnerius Resta, qui ad usum paschalium dedit Ecclesiæ S. Eusebii vineam unam in Mongrado. Vid. Necrologicum Metrop. Vercell.

9. *Quantam infirmitatis ex seipsis habeant* in pluribus editionibus,

Quia ex semetipsis frigidi duri ac indevoti, ex te autem ferventes ac devoti et alacres esse merentur.

Quis enim ad fontem suavitatis humiliter accedens, non modicum suavitatis inde reportat? Aut quis juxta ignem copiosum stans, non parum caloris inde percipit?

Et tu fons[1] es semper plenus et super abundans, ignis semper[2] ardens et nunquam deficiens[3].

IV. Unde si mihi non licet haurire de plenitudine fontis, nec usque ad satietatem potare, apponam tamen os meum ad foramen[4] cælestis fistulæ, ut saltem inde guttulam modicam capiam, ad refocillandam sitim meam, ut[5] non penitus exarescam.

Et si necdum totus cælestis, et tam ignitus, ut Seraphim et Cherubim esse possum, conabor tamen devotioni insistere et cor meum præparare, ut vel modicam divini incendii flammam ex humili sumtione vivifici Sacramenti conquiram.

Quidquid autem mihi deest, bone Jesu, Salva-

exceptis codd. Cav., Bob., et edit. 1488, 1608, 1697, Caietanus et Delfao, qui omnes nobis concordant.

1. « Fons patens domui David. » Zach. XIII, 1. — « Haurietis aquas de fontibus Salvatoris. » Isai. XII, 3.

2. *Abundans ignis jugiter ardens* Enriquez, Gence et alii scripserunt.

3. « Deus noster ignis consumens est. » Hebr. XII, 29. « Deus tuus ignis consumens est. » Deut. IV, 24. — « Ignis in Altari semper ardebit.... nunquam deficiet. » Levit. VI, 12, 13; S. August. Confess. lib. X, cap. 29.

4. « In diebus autem solemnibus usque ad missam sustineant. » Ita in c. XXXV Regulæ S. Benedicti, quo loco Calmetus asserit suetos fuisse monachos sibi sacrum epulum impertiri sub duabus speciebus, et præbere os ad foramen argenteæ fistulæ, ut guttulam caperent Sanguinis Christi. Vid. Martinum, de antiquis Ecclesiæ ritibus. Hoc fuit laicis vetitum per Concilium Constanciense, anno 1415, Joh. Gersone cancellario promovente, qui ne quidem symbolice locutus fuisset de fistula, uti Gence nobis opponit, allatis argumentis; nam ille *Tractatum de Communione sacramentali sub utraque specie*, scripserat contra Bohemienses. Vid. Dupin. Vid. cap. IV, de Transsubstantiatione, sess. 13, Concil. Trident.

5. *Sitim meam et non penitus*: ita Gence et alii, contra codd. Bob., Padol. et Cav. lectionem.

tor sanctissime, tu pro me supple benigne ac gratiose, qui omnes ad te gratiose[1] vocare dignatus es, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos[2].

v. Ego quidem laboro in sudore vultus mei[3], dolore cordis torqueor, peccatis oneror, tentationibus inquietor, multis malis passionibus implicor et premor, et non est qui adjuvet[4], non est qui liberet et salvum faciat[5], nisi tu, Domine Deus, Salvator meus[6], cui committo me et omnia mea, ut me custodias et perducas in vitam æternam.

Suscipe me in laudem et gloriam nominis tui, qui Corpus tuum et Sanguinem in cibum et potum mihi parasti[7]; præsta, Domine Deus Salutaris meus[8], ut cum frequentatione mysterii tui crescat meæ devotionis affectus[9].

1. *Qui omnes ad te dignatus es vocare dicens*: ita Gence, Caietanus, Enriquez et alii, omissa repetitione adverbii.

2. « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. » Matth. XI, 28.

3. « In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumtus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris. » Genes. III, 19.

4. Psalm. XXI, 12: « Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adjuvet. »

5. Psalm. VII, 3: « Ne quando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat neque qui salvum faciat. »

6. « Dirige me in veritate tua, et doce me, quia tu es salvator meus. » Psalm. XXIV, 5.

7. *Corpus tuum et sanguinem in cibum et potum mihi parasti. Præsta*: sic Gence et alii, neque ex hac lectione dubitari potest, agi hoc loco semper de communione sub utraque specie, quæ laicis in Paschate tradebatur. Martinus, De antiquis Ecclesiæ ritibus, Tom. III, ait: « Usque ad sæculum XV omnibus et singulis porrectam fuisse a Diacono fistulam ad bibendum de Sanguine Christi saltem paschali tempore. » Vid. Beranger, Gazaniga, Du Cange, Berlendis, et Tom. IV Historiæ Vercellensis, pag. 482.

8. Psalm. XXVI, 9: « Ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus. »

9. « Ut cum frequentatione Mysterii crescat nostræ salutis effectus. » Oratio Missæ, post communionem, in Dominica IV Advent., et Dominica II post Pentecosten.

De dignitate Sacramenti, et statu Sacerdotali[1].

CAPITULUM 5um.

1. Si haberes angelicam puritatem, et sancti Johannis Baptistæ sanctitatem, non esses diguus hoc Sacramentum accipere nec tractare.

Non[2] hoc meritis debetur hominum, quod homo consecret et tractet Christi sacramentum et sumat[3] in cibum panem Angelorum[4].

Grande mysterium[5] et magna dignitas Sacerdotum, quibus datum est, quod Angelis non est concessum.

Soli namque Sacerdotes in Ecclesia rite ordinati potestatem habent celebrandi et Corpus Christi consecrandi.

Sacerdos quidem minister Dei est, utens verbo Dei per jussionem[6] et institutionem Dei.

Deus autem ibi est principalis auctor[7], et invisibilis operator, cui subest omne quod voluerit, et paret omne quod jusserit.

1. De Sacerdotibus monasterii, cap. LXII Regulæ S. Benedicti. Gregorius Papa Magnos, testator soo tempore raros fuissa saeerdotes in monasteriis. Clemens V, anno 1295, in Concilio Viennensi, statuit ad amplistionem divioi enltos, ut monachi qoilibet ad monltionem soi abbatis se faeisot ad omnes ordines sacros, excusatiooe cessante legitima, promoveri. Vid. Not. 3, pag. 293.

2. *Non enim hoc:* ita Geoee et alii, sola edit. 1488 excepta, qoæ cum nostro et Cav. eod. eoocordat.

3. » Si qois dixerit non lieere saeerdoti eelebranti se ipsom communicare, anathema sit. « Can. x, sess. 13 Concil. Trideotini.

4. « Panem Angelorum manducavit homo. » Psal. LXXVII, 15.

5. *Grande ministerium* scripsit Geoee ipse solus, inhærens codiei Gerardimontano. Cæteræ editiones oobis conveoioot, et speeiatim codd. Cav., Pad. et Bob. Vid. Not. 8, p. 288.

6. « Si qois dixerit illis verbis, Hoc facite io meam commemorationem, Christum oon iostituisse Apostolos sacerdotes, aut oon ordioasse ot ipsi aliiqoe sacerdotes offerant corpus et saoguioem soom, anathema sit. » Cap. II, sess. 22 Concil. Trid.

7. *Actor* scripseruot in aliqnibus eodieibos, ut Gence adnotat in sua editiooe 1826. Codd. vero Cav., Padolir. et Bob. nobis concordant.

11. Plus ergo credere debes Deo omnipotenti in hoc excellentissimo Sacramento, quam proprio sensui aut alteri[1] signo visibili.

Ideoque cum timore et reverentia ad hoc opus est accedendum.

Attende[2] igitur et vide cujus ministerium tibi traditum est per impositionem[3] manus Episcopi[4].

Ecce Sacerdos factus es, et ad celebrandum consecratus : vide nunc ut fideliter et devote in suo tempore Deo sacrificium offeras[5], et teipsum irreprehensibilem exhibeas[6].

Non alleviasti onus tuum, sed arctiori jam alligatus es vinculo disciplinæ, et ad majorem teneris perfectionem sanctitatis[7].

Sacerdos debet esse omnibus virtutibus ornatus, et aliis bonæ vitæ exemplum præbere[8].

Ejus conversatio non cum popularibus[9] homi-

1. *Aut alicui signo visibili* : ita Enriquez, Gence et alii.

2. *Attende tibi* Gence, Elzevirius, Rosweydus et Enriquez scripserunt ; cæteri concordant nobiscum et cum codicibus Cav., Padolir. et Bob.

3. « Attende tibi.... Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi.... cum impositione manuum presbyterii. » I Tim. iv, 14, 16. — « Pax vobis, sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit : Accipite Spiritum Sanctum. » Joan. xx, 21 et 22.

4. Ex Thesauro anecdot. constat abbates sæpe fuisse et Episcopos in monasteriis ; sic Ermangaudus abbas sive episcopus de monasterio Castellionis. Vid. Calmetum.

5. « Sacrificium Domino.... obtulit tempore suo. » Num. ix, 13.

6. «Monentes, eam regere familiam, gubernare domum, et se ipsam irreprehensibilem exhibere. » Tob. x, 13.

7. En aliud luculentissimum argumentum, tractatum hunc fuisse a monacho benedictino compositum, et ad sacerdotes cœnobitas pertinere. Etenim in cap. 62 Regulæ S. Benedicti legimus : « Ordinatus autem caveat elationem aut superbiam. Nec quicquam præsumat, nisi quod ei ab abbate præcipitur, sciens se multo magis disciplinæ regulari subditum. »

8. « Te ipsum præbe exemplum bonorum operum. » Ad Tit. ii, 7. — « Vos autem genus electum, regale Sacerdotium. » I Petri, ii, 9.

9. *Popularibus et communibus hominum viis, sed* ediderunt Gence, Enriquez, Elzevirius et alii, solo cod. Cav. excepto, qui nobiscum consonat.

nibus, sed cum Angelis in cælo[1], aut cum perfectis viris in terra.

III. Sacerdos sacris vestibus[2] indutus Christi vices gerit, ut Deum pro se et pro omni populo suo[3] suppliciter et humiliter roget[4]: habet ante se et post se[5] Dominicæ Crucis signum ad memorandam jugiter Christi passionem.

Ante se Crucem in casula[6] portat, ut Christi vestigia diligenter inspiciat, et sequi[7] frequenter studeat[8].

Post se cruce[9] signatus est, ut adversa quælibet illata ab aliis clementer pro Deo toleret.

Ante se Crucem gerit, ut propria peccata lugeat; post se, ut aliorum etiam commissa per compassionem defleat, et se medium inter Deum et peccatorem constitutum esse sciat, nec ab oratione, nec ab oblatione sancta torpescat, donec gratiam et misericordiam impetrare mereatur.

Quando Sacerdos celebrat, honorat Deum, Angelos lætificat, Ecclesiam ædificat, vivos adjuvat, de-

1. « Nostra autem conversatio in cœlis est. » Philip. III, 20.

2. « Si quis dixerit ceremonias, vestes, et cætera signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis, anathema sit. » Can. VII, sessio 22 Concil. Tridentini.

3. *Pro se et pro omni populo*, omisso pronomine, in omnibus editionibus et codicibus.

4. « Omnis Pontifex.... pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis,... quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso. » Hebr. V, 3. — « Sacerdotes (habent necessitatem) prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. » Ibid. VII, 27, et alibi.

5. *Habet ante se et retro Dominicæ crucis signum* Gence, Elzevirius, cæterique.

6. *Ante se in casula* in codd. Bob., Padol., Cav. et Allat., in edd. omnibus, ut Gence ipse fatetur.

7. *Sequi ferventer studeat* in pluribus codicibus; in edit. 1697 legimus *fruenter*, dum altera 1608 nobis adhæret.

8. « Ut sequamini vestigia ejus. » 1 Petri II, 21.

9. En validissimum argumentum a Cardinali Ganganelli in epistola die 4 Februar. ann. 1749 consignatum. Auctor describens sacerdotem sacris vestibus indutum, asserit illum

functis requiem præstat[1], et sese omnium bonorum participem efficit[2].

Interrogatio de exercitio ante communionem.

CAPITULUM 6um.

I. Cum tuam dignitatem[3], et meam vilitatem penso, valde contremisco, et in me ipso confundor.

Si enim non accedo, vitam fugio; et si indigne me ingessero, offensam incurro.

Quid ergo faciam, Deus[4] auxiliator meus[5] et consiliator meus in necessitatibus?

II. Tu doce me viam rectam, propone aliquod breve exercitium sacræ Communioni congruum.

portare crucem ante se in casula, et post se cruce signatum esse, non in casula, sed super collum in stola. Ast casula, Ecclesiæ Gallicanæ nunquam cruce fuit signata nisi in posteriori parte, uti clarissimus Mongez, et uti picturæ plurimæ in missalibus, quotquot in Bibliotheca regia Parisiensi extant, nobis testantur.

1. « A cunctis fidelibus, non solum viris, sed mulieribus sacrificium illud laudis offertur, licet ab uno specialiter offerri videatur. » S. Petr. Damian. in Opusc. cap. 8. — « Non solum offerunt Sacerdotes, sed et universi fideles: nam quod specialiter adimpletur ministerio Sacerdotum, hoc universaliter agitur voto fidelium.» Innoc. III, de Myster. lib. III, cap. 6. — « Non solum sacrificat, non solum consecrat Sacerdos, sed totus conventus fidelium cum illo consecrat, cum illo sacrificat. » In Append. Opp. S. Bernard. Serm. V, de Purificat. — « Orate, Fratres, ut meum, ac vestrum Sacrificium etc. Memento, Domine, omnium circumstantium.... qui tibi offerunt. » Ex Orat. et præsertim e Can. Missæ.

2. « Cum Sacerdos.... non habens legitimum impedimentum, et non ex reverentia, sed ex negligentia celebrare omittit: tunc, quantum in ipso est, privat Trinitatem laude et gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, justos subsidio et gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, et seipsum medicina et remedio contra quotidiana peccata et infirmitates. » De præparat. ad Missam, cap. 5, ex operibus S. Bonaventuræ, sententia, quæ venerab. Bedæ tribuitur.

3. *Cum tuam dignitatem*, *Domine*: ita Gence, Enriquez et alii.

4. *Deus meus*, *auxiliator meus et consiliator* scribunt Gence et alii; ast codd. Bob., Cav., et Allat. nostro Ms. adhærent.

5. « Deus auxiliator meus. » Is. L, 7.

Utile est enim scire, qualiter scilicet devote et reverenter tibi præparare debeam cor meum ad recipiendum salubriter tuum Sacramentum, seu etiam celebrandum tam magnum et divinum sacrificium.

De discussione propriæ conscientiæ et emendationis proposito.

CAPITULUM 7um.

I. Super omnia cum summa humilitate cordis et supplici reverentia, cum plena fide et pia intentione honoris Dei, ad hoc Sacramentum celebrandum, tractandum et sumendum oportet Dei accedere Sacerdotem. Diligenter examina conscientiam tuam, et pro posse tuo vera contritione, et humili confessione eam nuda[1] et clarifica, ita ut nil grave habeas, aut scias, quod te remordeat et liberum accessum impediat.

Habeas displicentiam omnium peccatorum tuorum in generali, et pro quotidianis excessibus magis in spirituali[2] doleas et gemas; et, si tempus patiturum[3], Deo in secreto cordis cunctas confidere[4] passionum tuarum miserias.

II. Ingemisce et dole, quod adhuc tam carnalis sis et mundanus, ita immortificatus a passionibus, tam plenus concupiscentiarum motibus, tam incustoditus in sen-

1. *Humili confessione munda*: sic cod. Allat., Genee, Enriquez et alii; codd. Bob., Cav., Padolir., editio 1488 conveniunt nostro Ms.

2. *Magis in speciali doleas* legitur in omnibus editionibus, codd. Bob. et Cav. exceptis; attamen sensus postulat, ut pro quotidianis excessibus magis in spiritu doleas et gemas.

3. *Tempus patitur:* ita in omnibus codicibus; fateor in voce *patiturum* occurrere barbarismum, fortasse enim amanuensis loco *patitur* posuit *patiturum;* idem dicendum de voce *confidere*, rectius enim *confitere.* Vid. Conc. Trid. sess. 13 de præparat. c. VII.

4. *Cuncta confitere* in aliquibus lectionibus.

sibus exterioribus, tam sæpe multis variis phantasiis[1] implicatus, tam multum inclinatus ad exteriora, tam negligens ad interiora, tam levis ad risum et dissolutionem, tam durus ad fletum et compunctionem, tam promtus ad laxiora et carnis commoda, tam segnis ad rigorem et fervorem, tam curiosus ad nova capienda et audienda, et pulchra[2] intuenda, tam remissus ad humilia et abjecta amplectenda, tam cupidus ad multa habenda, tam parcus ad dandum, tam tenax ad retinendum, tam inconsideratus in loquendo, tam incontinens ad tacendum[3], tam incompositus in moribus, tam importunus in actibus, tam effusus super cibum, tam surdus ad Dei verbum, tam velox ad quietem, tam tardus ad laborem, tam vigilans ad fabulas, tam somnolentus ad vigilias sacras, tam festinus ad finem, tam vagus ad attendendum, tam negligens in horis persolvendis, tam tepidus in celebrando, tam aridus in communicando, tam cito distractus, tam raro tibi bene collectus[4], tam subito commotus ad iram, tam facilis ad alterius displicentiam, tam pronus ad judicandum, tam rigidus ad arguendum, tam lætus ad prospera, tam debilis in adversis, tam sæpe multa bona proponens, et modicum ad effectum perducens.

III. His et aliis defectibus tuis cum dolore et magna displicentia propriæ infirmitatis confessis ac deploratis

1. *Vanis phantasiis* scripserunt Gence, Enriquez, et alii; nos animadvertimus *phantasias* a phantasmata seu a vana imaginatione derivare, ideo epithetum *variis* plus congruere sensui, uti in codd. Cav. et Padolir. legimus.

2. *Ad nova audienda et pulchra:* sic in omnibus editionibus; at otiosorum est novitates undique capere, audire. « Multi tunc ceciderunt in ore gladii, » ait Ecclesiasticus XXVIII, 22.

3. *In tacendo* scripsere Gence, Enriquez, et alii; sed edit. 1488, 1608, 1697, Caietanus, Delfau, et Valgravius, codd. Bob., Cav. ac Padolir. nobis arrident.

4. *Raro plene tibi collectus:* ita Gence, Enriquez, et alii; sed codd. Bob., Cav., Padolir., et edd. 1488, 1608, 1697, Caietanus, Valgravius et Delfau nobis concordant.

firmum statue propositum semper emendandi vitam tuam, et in melius proficiendi.

Deinde cum plena resignatione, et integra voluntate offer te ipsum in honore nominis mei[1] in ara cordis tui holocaustum perpetuum, corpus tuum scilicet, et animam mihi fideliter committendo, quatenus sic digne merearis ad offerendum Deo sacrificium accedere, et Sacramentum Corporis mei salubriter suscipere.

IV. Non est enim oblatio dignior, et satisfacio major pro peccatis diluendis quam se ipsum pure et integre cum oblatione Corporis Christi in missa[2] et in communione Deo offerre.

Si homo fecerit quod in se est, et vere pœnituerit, quotiescumque pro venia et gratia ad me accesserit: Vivo ego, dicit Dominus, qui nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat[3], quoniam peccatorum suorum non recordabor amplius[4], sed cuncta sibi indulta erunt.[5]

De oblatione Christi in Cruce, et propria resignatione.

CAPITULUM 8um.

I. Sicut ego me ipsum expansis in cruce manibus et nudo corpore pro peccatis tuis Deo Patri sponte

1. *In honorem nominis mei*: ita Gence, Enriquez et alii.

2. *Corporis mei in missa* scripserunt Gence, Delfau, ipsi soli; cæteri nobiscum consonant.

3. « Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. » Ezech. capite XXXIII, 11.

4. « Peccatorum non recordabor. » Isai. XLIII, 25. — « Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor. » Ezec. XVIII, 22. — « Peccatorum, et iniquitatum eorum jam non recordabor amplius. » Hebr. X, 17, et alibi.

5. *Indulta erunt. O, ineffabilis clementia Dei, quam cito, Domine, propiciaris et indulges hiis qui veniam volunt.* Hæc adjecta, sub fine capituli, in cod. Bob. legimus.

obtuli[1], ita ut nihil in me remaneret, quin totum in sacrificium divinæ placationis transierit[2]: ita debes et tu temetipsum mihi voluntarie in oblationem puram et sanctam quotidie in Missa cum omnibus viribus et affectionibus[3] tuis, quanto intimus vales, offerre.

Quid magis a te requiro, quam ut te studeas mihi in exintimo[4] resignare?

Quidquid præter teipsum das, nihil curo; quia non quæro datum tuum, sed te[5].

II. Sicut non sufficeret tibi omnibus habitis præter me, ita nec mihi placere poterit quidquid dederis te non oblato.

Offer te mihi, et da te totum pro Deo et erit accepta oblatio.

Ecce ego me totum obtuli Patri pro te, dedi etiam totum corpus meum, et sanguinem in cibum[6], ut totus tuus essem, et tu meus permaneres.

Si autem in teipso steteris, nec sponte te ad voluntatem meam obtuleris, non est plena oblatio, nec integra erit inter nos unio.

1. « Oblatus est, quia ipse voluit. » Isai. LIII, 7. — « Oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. » Epist. Pauli ad Hebr. IX, 28.

2. *Transiret:* ita Gence, Enriquez, Rosweydus, et Elzevirius; hi editores sæpe eosdem errores, vel mendas referunt, quasi ab eodem fonte seu a codice Kempensi 1441 exhaustus; dum codd. Cav., Bob., Padulir., et aliæ editiones sæpissime cum nostro Ms., ut etiam in præsenti, concordant.

3. *Et affectibus tuis, quanto intimius:* ita in omnibus codicibus.

4. *Studeas mihi ex integro* scripsere Gence et alii, sed nostra lectio melior adparet.

5. « Non enim quæro, quæ vestra sunt, sed vos. » II ad Cor. XII, 14. — « Non quia quæro datum, sed » *etc.* Paulus ad Philipp. IV, 17.

6. Agitur denuo de sacramentali communione sub utraque specie; nam in editione Delfan legimus *corpus meum in cibum, et sanguinem in potum.* Vide etiam editionem 1697. Qua fronte hæc scripserit Gerson cancellarius ille, qui tam acriter contra Calixtinos disputavit in Concilio Constanciensi, anno 1415, quique scripsit, viasque præbuit ad communionem Calixtinorum comprimendam? Vide Dupin, pag. 460 at 463. Vid. Lenfant, Histor. Concil. 1714.

Ideo[1] omnia opera tua spontanea præcedere debet tui ipsius in manus Dei oblatio, si libertatem consequi vis et gratiam.

Ideo[2] tam pauci illuminati, et liberi intus efficiuntur, quia se ipsos ex toto abnegare nesciunt.

Est firma sententia mea : Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet[3], non potest esse meus discipulus[4].

Tu ergo si optas meus esse discipulus, offer teipsum mihi cum omnibus affectibus tuis.

Quod nos et omnia nostra Deo debemus offerre, et pro omnibus orare.

CAPITULUM 9um.

1. Domine, omnia tua sunt quæ in cælo sunt[5] et in terra[6].

Desidero me ipsum tibi in spontaneam oblationem offerre[7], et tuus perpetuo permanere.

Domine, si in simplicitate cordis mei offero[8] me ipsum tibi hodie in servum sempiternum, in obsequium et in sacrificium laudis perpetuæ[9] :

1. *Igitur omnia opera tua præcedere debet spontanea* etc. Gence, Enriquez, et alii; sed codd. Bob., Cav., Padolir., Delfau, Caietanus, Valgravius, edit. 1488, et 1608, concordant cum nostra lectione.

2. *Ideo enim* in pluribus codicibus, exceptis edit. 1488 et 1608, ac codd. Padolir., Bob. et Cav.

3. *Omnibus non potest meum esse* legitur in edit. Geneesus, Elzeviriana, et aliis, non plene reddens textum Divi Lucæ, ut infra referetur.

4. « Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. » Lucæ Evangel. XIV, 33.

5. *In cælo sunt et quæ in terra* scripsere Enriquez, Rosweydus, et Elzevirius, ipsi soli; cæteri codices ac editiones nobiscum concordant.

6. « Domine.... cuncta, quæ in Cœlo sunt, et in Terra, tua sunt. » I Paral. XXIX, 11, et alibi.

7. « Oblationem spontaneam.... quam offeres. » Deut. XVI, 10.

8. « Domine.... in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa. » I Paral. XXIX, 17.

9. « Et sacrificium tibi laudis tuæ.... offero. » Tob. VIII, 19.

Suscipe me cum hac sancta oblatione tui prætiosi Corporis, quam hodie tibi in præsentia Angelorum invisibiliter assistentium offero[1], ut sit pro me et pro cuncto populo tuo in salutem.

II. Domine, offero tibi omnia peccata mea et delicta mea[2], quæ commisi coram te et sanctis Angelis tuis, a die qua primum peccare potui usque ad diem hanc[3], super placabili altari tuo[4], ut tu pariter omnia incendas, et comburas igne charitatis tuæ, et deleas universas maculas peccatorum meorum, et conscientiam meam ab omni delicto emundes, et restituas[5] mihi gratiam tuam, quam peccando amisi, omnia mihi plene indulgendo et in osculum pacis me misericorditer assumendo.

III. Quid possum agere pro peccatis meis, nisi humiliter ea confitendo[6] et lamentando et tuam propitiationem incessanter deprecando?

Deprecor te, exaudi me propitius, ubi asto coram te, Deus meus.

Omnia peccata mea mihi maxime displicent; nolo ea nunquam amplius perpetrare, sed pro eis doleo, et dolebo, quamdiu vixero, paratus pœnitentiam agere, et pro posse satisfacere.

Dimitte mihi, Deus, dimitte peccata mea[7], propter

1. Amanuensis jam scripsit superius *offerro*, hic varia orthographia utitur, scribendo *offero*.

2. *Offero tibi omnia peccata mea* legimus in Orationibus recitandis ante et post missam, editis 1741, Venetiis, per nostratem Pezzana; neque officiunt verba *offero peccata et delicta mea*, nam fidelis hoc loco deponit suas omissiones super altari ut comburantur.

3. *Usque ad horam hanc*: ita Enriquez, Gence, et alii; sed perantiqui codd. Cav., Bob., Padolir., at Allatianus nobis omnes conveniunt.

4. « Offerentur super placabili altari meo et domum majestatis meæ glorificabo. » Isa. LX, 7.

5. Paulus ad Hebræos, IX, 14: « Emundabit conscientiam nostram ab omnibus operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi. »

6. Joan. I Epist. I, 9: « Si confiteamur peccata nostra. »

7. « Dimitte universa delicta mea. Psalm. XXIV, 18.

nomen sanctum tuum[1], salva animam meam, quam prætioso sanguine[2] redemisti[3].

Ecce committo me misericordiæ tuæ, resigno me in manibus tuis[4]: age mecum secundum bonitatem tuam, non secundum meam malitiam et iniquitatem[5].

IV. Offero etiam tibi omnia bona mea, quamvis pauca[6] et imperfecta, ut tu ea emendes[7] et sanctifices, ut ea grata habeas et accepta tibi facias et semper ad meliora trahas, nec non ad beatum et laudabilem finem: Domine[8], me pigrum et inutilem homuncionem perducas.

V. Offero quoque tibi omnia[9] desideria devotorum, necessitates parentum, amicorum, fratrum, sororum[10], omniumque chariorum meorum et eorum qui mihi vel aliis propter amorem tuorum[11] benefecerunt: qui orationes et Missas pro se, suisque omnibus dici a me petierunt et desideraverunt, sive in carne adhuc vivant, sive jam sæculo defuncti sint, ut omnes sibi

1. « Propter Nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo. » Ibid. 11.

2. « Redemti estis.... prætioso Sanguine quasi Agni immaculati Christi. » 1 Petr. 1, 18. 19. — Et in Hymno Ambrosiano: « Te ergo quæsumus, tuis famulis subveni, quos prætioso sanguine redemisti. »

3. *Sanguine tuo redemisti* Gence et alii; solus Delfau nobis adhæret.

4. *In manibus tuis fac de me quidquid placet tuæ bonitati. Age mecum:* sic in Bob. cod. legitur.

5. « Non nobis reddas secundum malitias nostras, sed secundum misericordias tuas. » 1 Macc. XIII, 46.

6. *Et iniquitatem. Offero etiam tibi omnia bona mea, quamvis valde pauca*: ita Enriquez et cæteri omnes, adverbio valde his verbis adjecto.

7. *Ut tu ea emundes* legimus in edit. Delfau, et illa 1608.

8. *Laudabilem finem; me pigrum* scripsere Gence et alii.

9. *Omnia pia desideria devotorum*: ita Gence et alii; non ita in edd. 1488, 1608, nec in codd. Bob., Padolir., Cav. V. Conc. Trid. Sess. 22, can. III.

10. *Fratrum, sororum*; et merito, nam Regula S. Benedicti fuit a sorore Diva Scholastica suscepta; abbas præsidebat monasteriis, et solo Concilio Romano 1130 vetitum fuit ne sanctimoniales simul cum monachis in uno choro convenirent ad psallendum. Vide Calmeti commentarios in Regulam S. Benedicti.

11. *Amorem tuum benefecerunt* in multis editionibus atque codicibus.

auxilium gratiæ tuæ, opem consolationis, protectionem a periculis, liberationem a pœnis advenire sentiant et ut ab omnibus malis erepti, gratias magnificas læti persolvant.

VI. Offero etiam tibi preces placationis, pro illis specialiter qui me in aliquo læserunt, contristaverunt, aut vituperaverunt, vel aliquod damnum vel gravamen intulerunt, pro his quoque omnibus quos aliquando contristavi, conturbavi, gravavi[2], et scandalizavi, verbis vel factis, scienter et ignoranter, ut nobis omnibus pariter indulgeas omnia peccata nostra, et injurias et offensiones[3].

Aufer, Domine, a cordibus nostris omnem suspicionem, indignationem, iram et discrepationem[4], et quidquid potest charitatem lædere et fraternam dilectionem minuere.

Miserere, Domine, miserere[5] misericordiam tuam poscentibus, da gratiam indigentibus, fac nos tales existere, ut simus digni gratia tua perfrui, et ad vitam proficiamus æternam[6].

Quod sacra Communio de facili non est reliquenda.

CAPITULUM DECIMUM.

1. Frequenter recurrendum est ad fontem gratiæ et

1. *Offero etiam tibi preces et hostias placationis* : ita Gence, Enriquez, Elzevirius et alii.

2. *Contristavi, conturbavi, et scandalizavi* scripsit Enriquez ; attamen codd. Bob., Cav., Padol., edit. 1488, 1608, 1697, et alii nobis consonant.

3. *Ut nobis omnibus pariter indulgeas peccata nostra, et mutuas offensiones* in multis editionibus ac codicibus legimus.

4. *Iram et disceptationem* in pluribus codicibus et editionibus. Hoc loco noster auctor vocabulum *discrepantiam* aptius adhibuisset.

5. « Miserere nostri, Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione. » Psalm. CXXII, 3.

6. *Ad vitam proficiamus æternam. Amen* in omnibus editionibus; non sic in cod. Bob., qui ipse solus nobis sæpissime cohæret.

divinæ misericordiæ, ad fontem bonitatis et totius puritatis, quatenus a passionibus tuis et vitiis curare[1] valeas, et contra universas tentationes et fallacias diaboli fortior atque vigilantior effici merearis.

Inimicus sciens fructum et remedium maximum in sacra Communione positum, omni modo et occasione nititur fideles et devotos quantum prævalet retrahere et impedire.

11. Cum enim quidam sacræ Communioni[2] disponunt, pejores Satanæ immissiones[3] et illusiones[4] patiuntur.

Ipse namque[5] Spiritus[6], ut in Job scribitur, venit inter filios Dei[7], ut solita ejus nequitia perturbet[8], aut timidos nimium reddat et perplexos, quatenus fructus eorum affectuum minuat[9] vel fidem impugnando auferat, si forte aut omnino Communionem relinquant, aut cum tepore accedant.

Sed non est quidquam curandum de versutiis[10] et phantasiis illius quantumlibet turpibus et horrendis,

1. » Hunc panem comedunt qui in Christo robusti sunt », ait S. Hieronymus, cap. VI Zachariæ. — « Antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus præservemur. » Concilium Tridentinum, sessione XIII, cap. 2.

2. *Communioni se aptare disponunt:* ita Enriquez, Gence, et cæteri.

3. « Immissiones per Angelos malos. » Psalm. LXXVII, 49.

4. *Pejores Satanæ immissiones patiuntur* scripsere Gence et alii, uti in Psalmo citato.

5. *Ipse nequam* in editionibus pluribus; solus Delfau *Ipse namque spiritus nequam* edidit; sed observare oportet jam agi hoc loco de Diaboli *nequitia*. Ideo codex Cavensis cum nostro Ms. concordat.

6. « Exagitabat eum spiritus nequam. » I Reg. XVI, 14, et alibi.

7. « Cum venissent filii Dei, ut assisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan. » Job. I, 6. — « Venisset quoque Satan. » Ib. II, 1.

8. *Ut solita illos nequitia sua perturbet*: ita Gence, Enriquez, Elzevirius et Rosweydus; cæteri lectione varia ad nostram accedunt, dum codd. Bob., Cav., Padolir., editio 1488, et Delfau totidem nobis verbis assimilantur.

9. *Quatenus affectum eorum minuat* ediderunt Gence, Enriquez et alii; ast sensus clarior in nostra lectione videtur.

10. *Versutijs* aut *versucijs et fantasijs* sunt vocabula Italica sæculi XIII. ex Bibliorum libris depromta.

sed cuncta phantasmata in caput ejus sunt retorquenda.

Contemnendus est miser, et deridendus, nec propter insultus ejus et Commotiones, quas suscitat, sacra est omittenda Communio[1].

III. Sæpe etiam impedit nimia sollicitudo pro devotione habenda et anxietas quædam de confessione facienda[2].

Age secundum consilium sapientum; et depone anxietatem et scrupulum[3], quia gratiam Dei impedit et devotionem mentis destruit.

Propter aliquam parvam tribulationem[4] vel gravitatem sacram ne dimittas Communionem; sed vade citius confiteri et omnes offensiones aliis libenter indulge[5].

Si vero aliquem offendisti tu, tu veniam humiliter deprecare[6]: et Deus libenter indulgebit tibi[7].

IV. Quid prodest diu tardare confessionem, aut sacram differre Communionem?

Expurga te quam primum[8]; exspue velociter ve-

1. *Communio: Dei enim bonitas longe et illius improbitatem nostramque vincit miseriam*: sic in editione Francisci Tolensis: quod probat nostram thesim, a glossatoribus et editoribus textum fuisse immutatum; ut utile sit illum ad primævam suam reducere lectionem.

2. « Si quis negaverit ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in Pœnitente, quasi materiam sacramenti pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem, et Satisfactionem.... anathema sit. » Canon IV, sess. 14, Concil. Trident.

3. « Cogitationes malas mox ad Christum allidere, et seniori spirituali patefacere. » Cap. IV Reg. S. Bened.

4. *Parvam turbationem* legitur in codd. Georeana, Elzevirianis, Rosweydiana, et in cod. Allat.; aut ceteræ omnes concordant cum nostra, et præsertim codd. Bob., Cav. et Padol.

5. « Donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam. » Coloss. III, 13.

6. *Aliquem offendisti veniam humiliter precare*: ita Enriquez et alii; sed repetitio pronominis placet.

7. « Vade prius reconciliari fratri tuo; et tunc veniens offeres munus tuum. » Matth. V, 24.

8. *Expurga te cum primis, exspue velociter venenum*: ita Gence et alii, cod. Cavensi excepto, qui convenit nobiscum.

nenum, festina recipere remedium, et senties melius, quam si diu distuleris.

Si hodie propter istud distuleris[1], cras forsitan illud magis eveniet, et sic diu posses a Communione impediri et magis ineptus fieri.

Quanto citius vales, a præsenti gravitate et inertia te excutias, quia nihil importat diu anxiari, diu cum tribulatione[2] transire et ob quotidiana obstacula se a divinis sequestrare, immo[3] plurimum nocet diu Communionem: protelare: nam et gravem torporem consuevit inducere.

Proh dolor, quidam tepidi et dissoluti moras[4] confitendi accipiunt libenter, et Communionem sacram idcirco differre cupiunt, ne ad majorem sui custodiam se dare teneantur.

v. Heu, quam modicam charitatem, et debilem devotionem habent, qui sacram Communionem tam faciliter postponunt.

Quam felix ille et Deo acceptus habetur, qui sic vivit, et tali puritate conscientiam suam custodit, ut etiam omni die communicare[5] paratus et bene affectatus esset[6], si ei liceret, et sine nota agere posset.

Si quis interdum abstinet humilitatis gratia, aut

1. *Propter istud dimittis, cras forsitan aliud majus:* Ita Gence, Enriquez et alii; attamen editt. 1488, 1608 magis nostræ accedunt.

2. *Diu cum turbatione* legitur in pluribus editionibus.

3. *Sequestrare. Imo:* sic Gence et alii, at sensus est continuus, uti ex editionibus 1488 et 1608 adparet. Notandum puto in cod. Cavensi legi *se a divinis sequestrare, diu comunionem protellare, nam* etc. Quæ quidem glossa magis etiam demonstrat sensum esse continuatum.

4. Confessio quotidiana erat monachorum propria, uti scimus ex cap. XLVI Regulæ S. Benedicti, juxta Calmeti interpretationes.

5. « Eucharistiam tuam, quotidianum cibum. » S. August. Serm. 58.

6. *Bene affectus esset* scripsere Enriquez, Delfau, et editores 1608, 1697 juxta Quatremerium, ut Gence observat in nota adposita; cæteræ edd. omnes nobis concordant, uti et codd. Cav., Bob. et Padolir.

legitima impediente causa, laudandus est de reverentia.

Si autem torpor obrepserit[1], seipsum excitare debet et facere quod in se est, et Dominus aderit desiderio suo pro bona voluntate, quam specialiter respicit.

VI. Cum vero legitime[2] præpeditus est, habebit semper bonam voluntatem et piam intentionem communicandi : et sic non carebit fructu Sacramenti.

Potest enim quilibet devotus omni die et omni hora ad spiritualem Christi Communionem salubriter et sine prohibitione accedere.

Et tamen certis diebus[3] statuto tempore Corpus sui Redemtoris cum affectuosa reverentia sacramentaliter[4] debet suscipere et magis laudem Dei et honorem prætendere, quam suam consolationem quærere.

Nam toties mystice communicat et invisibiliter reficitur, quoties incarnationis Christi mysterium[5] passionemque devote recolit, et in amorem ejus[6] accenditur.

VII. Qui autem[7] se non præparat aliter, nisi instante

1. « Hunc panem comedunt qui in Christo robusti sunt » S. Hieronymus in cap. IX Zachar.

2. *Legiptime prepeditus est* in nostro Ms. En vocabulum juxta italam XIII sæculi orthographiam.

3. *Certis diebus statuto tempore* merito admonet auctor; nam monachi tantum die Sabbati et Dominica audiebant missam, et in hisce diebus, ut in festis solemnibus, communionem sanctam faciebant. Vid. cap. 17, 35 et 38 Regulæ S. Benedicti, ut interpretatur Calmetus regulam. Christiani olim ter in anno ad cœnam sacram accedebant in Nativitate Jesu, in Paschate, ac Pentecoste.

4. *Spiritualiter* in cod. Bob., quod alter correxit scriba in margine.

5. « Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, anathema sit. » Can. 1, sess. 22 Concil. Trident.

6. *Et in amore ejus* : ita Gence, Elzeviriua et alii ; sed cum nostro codice concordant Enriquez, Delfau, editio 1697, atque codd. Cav. et Allat

7. *Qui aliter se non preparat, nisi instante* etc. in omnibus editionibus atque codicibus legimus.

festo vel consuetudine compellente sæpius imparatus erit[1].

Beatus, qui se Domino in holocaustum offert, quoties celebrat, aut communicat.

Non sis in celebrando nimis prolixus aut festinus; sed serva communem bonum modum eorum, cum quibus vivis.

Non debes aliis generare molestiam et tædium, sed communem serva viam secundum amorem institutionum[2], et potius aliorum servire utilitati, quam propriæ devotioni, vel affectui.

Quod Corpus Christi, et sacra Scriptura sunt animæ fideli necessaria.

CAPITULUM 11um.

1. O dulcissime Domine Jesu, quanta est dulcedo devotæ animæ tecum epulantis in convivio tuo[3]. Ubi ei non alius cibus manducandus proponitur nisi tu unicus dilectus ejus, super omnia desideria cordis desiderabilis.

Et mihi quidem dulce foret in præsentia tua ex intimo affectu lacrymas fundere, et cum pia Magdalena pedes tuos lacrymis irrigare[4].

1. S. Joan. Chrysost. Homil. de Bapt. Christi num. 4, Opp. tom. 2, pag. 373, edit. Paris. an. 1718.

2. *Servare viam secundum Majorum institutionem*: ita Genee et alii; solus Caietanus, editor 1488 et codd. Bob. et Cav. scripserunt *serva*, sicuti correxit noster amanuensis. Non dissimulo sensui magis esse consentaneam lectionem: *secundum majorum institutionem*, ut in pluribus codicibus.

3. « Quotidie Cellerarius cum septimanariis coram abbate in oratorio cum congregatione communicet. » Ita Calmetus ex cap. 35 Regulæ S. Bened.

4. « Mulier, quæ erat in civitate peccatrix.... cœpit rigare pedes ejus. » Luc. VII, 37. 38. Crediderunt olim fuisse Mariam Magdalenam, de qua Lucas loquitur; quod contenditur hodie ab historiæ censoribus, juxta Evangelia Joan. cap. XI, 19 ad 32;

Sed ubi est hæc devotio? Ubi lacrymarum sanctarum copiosa effusio?

Certe in conspectu tuo et sanctorum Angelorum[1] tuorum cor meum ardere deberet[2] et ex gaudio flere[3].

Habeo enim te in Sacramento vere præsentem, quamvis aliena specie occultatum[4].

11. Nam in propria et divina claritate te conspicere oculi mei ferre non possunt, sed neque totus mundus in fulgore gloriæ majestatis tuæ subsisteret.

In hoc ergo meæ imbecillitati consulis, quod te sub Sacramento abscondis.

Habeo vere et adoro, quem Angeli adorant[5] in cælo; sed ego interim adhuc in fide, illi autem in specie et sine velamine.

Me oportet contentum esse in lumine veræ fidei, et in ea ambulare[6], donec aspiret dies æternæ claritatis, et umbræ figurarum inclinentur[7].

Cum autem venerit, quod perfectum est[8], cessabit usus Sacramentorum, quia Beati in gloria cælesti non egent medicamine sacramentali.

Gaudent enim sine fine in præsentia Dei, facie ad faciem gloriam ejus speculantes, et de claritate[9] in

cap. XII, 3; et Matth. XXVI, 6 et 7. Nos attamen censemus Lucam in cap. VII narravisse cœnam in domo Pharisæi, ubi mulier peccatrix attulit unguentum; Matthæum vero ac Joann. loqui de cœna in Bethania apud Simonem leprosum, post Lazari resurrectionem, ubi Maria soror Marthæ unxit pedes Jesu. Videant alii. Nota p. 96.

1. « In conspectu Angelorum sanctorum, et ante conspectum Agni. » Apoc. XIV, 10.

2. *Totum cor meum ardere deberet* Genee, Enriques et alii.

3. « Flere præ gaudio. » Tob. XI, 11.

4. « Sumitur aliena specie occultatum. » S. Thom. Aquin. in V lect. Offic. SS. Sacramenti.

5. « Adorent eum omnes Angeli. » Paulus ad Hebr. I, 6.

6. « Per fidem enim ambulamus, et non per speciem. » II Cor. V, 7.

7. « Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. » Cant. II, 2; IV, 6.

8. I Cor. XIII, 10: « Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. »

9. *In claritate abyssalis Deitatis:* ita Enriquez, Genee, et alii, quod est barbarismus italus.

claritatem abyssi Deitatis[1] transformati[2], gustant verbum Dei, carnem[3] factum[4]; sicut fuit ab initio[5] et manet in æternum[6].

III. Memor[7] horum mirabilium, grave mihi fit tædium, etiam vel quodlibet spirituale solatium, et quamdiu Dominum meum aperte in sua gloria non video, pro nihilo duco, omne quod in mundo conspicio et audio.

Testis es, mi Deus[8], quod nulla potest me res consolari, nulla creatura quietare, nisi tu, Deus meus, quem desidero æternaliter contemplari.

Sed non est hoc possibile durante me in hac mortalitate[9] : et ideo oportet ut me ponam ad magnam patientiam, et meipsum in omni desiderio tibi submittam.

Nam et Sancti tui, Domine, qui tecum jam in regno cælorum exultant in fide et patientia magna[10], dum viverent, adventum gloriæ tuæ expectabant[11].

Quod illi crediderunt, ego credo; quod illi speraverunt, ego spero; quo illi pervenerunt, per gratiam tuam me venturum confido.

1. « Videmus nunc per speculum in ænigmate ? tunc autem facie ad faciem. » II Cor. XIII, 12. — « Gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem. » II Cor. III, 18.

2. In aliquibus codd. *transformari*, sequendo textum S. Pauli, ideoque in Ms. ignota manus correxit et litteram R superaddidit.

3. *Caro factum :* ita in pluribus editionibus, quia glossatores secuti sunt Scripturæ textum : hic sensus postulat accusativum, uti etiam legimus in codd. Bob. et Padolir.

4. « Verbum caro factum est. » Evangel. Joan. I, 14.

5. « Quod fuit ab initio. » Epistola I beati Joannis I, I.

6. « Verbum Domini manet in æternum. » I Petr. I, 25.

7. *Memor cum sim horum* ediderunt Delfau, Enriquez, et edit. 1697; cæteri nobis consonant, et speciatim codd. Bob., Padolir. ac Cav.

8. « Testis mihi est Deus cui servio in spiritu. » Rom. I, 9, et alibi.

9. *Mortalitate, ideo oportet :* ita Gence, Enriquez et alii.

10. « Fide et patientia hæreditabunt promissiones. » Hebr. VI, 12.

11. « Exspectantes... adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi. » Tit. II, 13.

Ambulabo interim in fide[1], exemplis confortatus Sanctorum.

Habeo etiam libros sanctos pro solatio[2] et vitæ speculo, atque super hæc omnia sacratissimum Corpus[3] tuum pro singulari remedio et refrigerio.

IV. Duo namque mihi necessaria permaxime sentio in hac vita, sine quibus mihi importabilis foret ista miserabilis vita.

In carcere corporis hujus detentus egere duobus fateor, cibo scilicet, et lumine.

Dedisti itaque mihi infirmo sacrum Corpus tuum ad refectionem mentis et corporis, et posuisti lucernam pedibus meis verbum tuum[4].

Sine his duobus bene vivere non possem[5]: nam verbum Dei lux est animæ[6] meæ[7], et Sacramentum tuum panis vitæ[8].

Hæc possunt etiam dici mensæ duæ, hinc[9] et inde in Gazophylacio sanctæ Ecclesiæ positæ[10].

Una mensa est sacri altaris, habens panem san-

1. « Per fidem enim ambulamus et non per speciem. » II Cor. v, 7.

2. « Habentes solatio sanctos libros. » I Macc. XII, 9. — « Verbum Dei quod quotidie prædicatur panis est. Non enim quia non est panis ventris, ideo non est panis mentis. » S. August. Serm. 59.

3. *Sanctissimum corpus tuum pro singulari remedio et refugio* : ita Gence juxta cod. Allatii, et alii omnes; attamen hoc loco agitur de medicina animæ, ideoque *refrigerium* convenit sensui auctoris. Vide S. Bernardum, Serm. in Cœna Domini, ubi corpus Christi appellatur *animæ medicina*. Non est prætermittendum codd. Cav. et Bob. concordare cum nostro Ms., uti accuratiore.

4. « Lucerna pedibus meis verbum tuum. » Psalm. CXVIII, 105.

5. *Sine his duobus vivere non possem* scripsit Delfau ipse solus contra alias lectiones.

6. *Verbum Dei lux animæ* : ita Enriquez, Gence et alii; soli codd. Padolir., Cav. et Bob. concordant cum nostro Ms.; dein in cod. Cavensi *Nam verbum tuum* legitur.

7. « Mandatum lucerna est, et lex lux. » Prov. VI, 23.

8. « Ego sum panis vitæ. » Jo. VI, 48. « Panis egentium vita. » Eccl. XXXIV, 25.

9. « Duæ mensæ hinc et duæ mensæ inde. » Ezech. XL, 39.

10. « Reponent ea in gazophylacio Sanctuarii, » id est in thesauro templi; Ezech. XLIV, 19.

ctum[1], idest Corpus Christi prætiosum. Altera est divinæ legis continens doctrinam sanctam, erudiens fidem rectam, et firmiter usque ad interiora velaminis[2], ubi sunt sancta sanctorum[3], perducens.

v. Gratias tibi[4], bone Jesu, lux lucis æternæ[5], pro doctrinæ sacræ mensa, quam nobis, per servos tuos Prophetas, et Apostolos aliosque Doctores ministrasti[6].

Gratias tibi, Salvator et Creator[7] hominum, qui ad declarandam toti mundo charitatem tuam cœnam parasti magnam[8], in qua non Agnum typicum[9], sed tuum Corpus sanctissimum, et Sanguinem proposuisti ad manducandum[10]: lætificans omnes fideles convivio sacro[11], et calice[12] inebrians salutari[13], in quo sunt omnes deliciæ Paradisi; et epulantur nobiscum Angeli sancti, sed suavitate feliciori.

vi. O, quam magnum et honorabile est officium Sacerdotum, quibus datum est Dominum majestatis[14]

1. « Habeo .... sed tantum panem sanctum. » 1 Reg. xxi, 4.

2. « Incedentem usque ad interiora velaminis. » Hebr. vi, 19.

3. « Sancta Sanctorum. » Ibid. ix, 3, et alibi passim in Exod., Levit., etc.

4. *Gratias tibi, Domine Jesu* : ita Gence et alii, cod. Cav. excepto.

5. « Lumen de lumine. » In Symb. Constant. — « Candor.... lucis æternæ. » Sap. vii, 26.

6. « Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas.... et Doctores in consummationem Sanctorum ad opus ministerii. » Ephes. iv, 11, 12.

7. *Creator et Redemptor hominum* in pluribus editionibus.

8. « Fecit Cœnam magnam. » Luc. xiv, 16. — « Paratum panem de Cœlo præstitisti illis. » Sapientia, c. xvi, 20.

9. « Post Agnum typicum, expletis epulis, Corpus Dominicum datum Discipulis. » S. Thom. in Hymn. Off. SS. Sacram.

10. *Manducandum et bibendum* in edit. 1608. Hæc ad communionem sub utraque specie referuntur.

11. « O sacrum Convivium. » In antiph. ad Magnificat in secundis Vesper SS. Sacram.

12. Vasa ad Christi faciendum Corpus nolebat sibi esse argentea, siquidem primum ei fuerunt lignea, deinde vitrea; sic tandem conscendit ad stannea : Calmetus in cap. vi Regulæ S. Benedicti. « Cum aurei sacerdotes essent, calices habebant ligneos, » ait S. Gregorius Magnus, nostræ Gentis patronus.

13. « Calicem salutaris » etc. Ps. cxv, 13. — « Calix meus inebrians quam præclarus est ! » Ps. xxii, 5.

14. « Deus majestatis. » Ps. xxviii, 3.

verbis sacris consecrare[1], labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere, et cæteris ministrare[2].

O, quam mundæ debent esse manus illæ, quam purum os, quam sanctum corpus, quam immaculatum cor Sacerdotis, ad quem toties ingreditur Auctor puritatis[3].

Ex ore Sacerdotis[4] non nisi sanctum, nisi honestum et utile procedere debet verbum, qui tam sæpe Christi accipit Sacramentum.

VII. Oculi ejus simplices et pudici[5], qui Christi Corpus solent intueri.

Manus puræ et in cælum elevatæ[6], quæ Creatorem cæli, et terræ solent contractare[7].

Sacerdotibus specialiter in Lege dicitur : Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, Dominus Deus vester[8].

VIII. Adjuvet nos gratia tua omnipotens Deus, ut qui officium sacerdotale suscepimus, digne ac devote tibi omni puritate et conscientia bona[9] famulari valeamus.

Et si non possumus in tanta innocentia vitæ con-

1. *Consecrare labijs benedicere* etc., usque ad finem periodi, hæc margini adjecta fuere in cod. Bobiensi, quia ab amanuensi oblita.

2. « Ut sumant, et dent cæteris. » In Hymn. ad Matut. in Off. SS. Sacram. a D. Thoma compositum.

3. « Quanta ergo puritate oporteret eum esse, qui hoc fruitur Sacrificio! quanto radiis solaribus puriorem esse oporteret manum illam, quæ hanc carnem secat; os, quod spirituali repletur igne; linguam, tremendo sanguine tinctam! Cogita, quantum adeptus sis honorem, qua fruaris mensa! Quod Angeli tremunt videntes.... eo nos alimur, huic commiscemur, factique sumus Christi unum corpus, et una caro. » S. Joan. Chrysost. in Matth. homil. 82, al. 83, n. 5, Opp. tom. 7, pag. 788.

4. *Ex ore sacerdotis nihil nisi sanctum, nihil nisi honestum* scripsere Gence, Elzevirius et alii, cod. Bob. excepto, qui nobis assentatur.

5. *Pudici esse debent qui Christi corpus* adjecit Delfau.

6. « Levantes puras manus. » 1 Pauli ad Tim. II, 8.

7. *Solent contrectare* : ita Gence, Enriquez et alii; *contractare* in codd. Bobiensi ac Padoliron.

8. Levit. XI, 44; XIX, 2; XX, 26: « Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus. » — « Sancti eritis quia ego sanctus sum. » Petr. I, 16.

9. « Corde puro, et conscientia bona et fide non ficta. » 1 Tim. I, 5.

versari ut debemus, concede nobis tamen digne flere mala quæ gessimus, ut[1] in spiritu humilitatis ac bonæ voluntatis proposito tibi ferventius de cætero deservire[2] valeamus[3].

Quod magna diligentia se debeat communicaturus Christo[4] præparare.

CAPITULUM 12um.

1. Ego sum puritatis amator, et dator omnis sanctitatis.

Ego cor purum quæro, et ibi est locus requietionis meæ[5].

Para mihi cœnaculum grande stratum, et faciam apud te pascha cum discipulis meis[6].

Si vis, veniam apud te[7], et apud te manebo; expurga vetus fermentum[8], et munda cordis tui habitaculum.

Exclude totum sæculum et omnem vitiorum tumultum; sede tamquam passer solitarius in tecto[9], et cogita excessus[10] tuos in amaritudine animæ tuæ[11].

1. *Flere mala quæ gessimus, et in spiritu* : ita Gence, Enriquez, et alii; sed codd. Bob., Cav., Padolir., editiones 1488, 1608 nobis concordant.

2. *De cetero deservire* ediderunt Gence et alii, excepto cod. Cav., et editionibus 1488, 1608, quæ potius nobis concordant. Verbum *valeamus* margini cod. Bob. fuit adjectum.

3. Hæc oratio *Adjuvet nos gratia tua* inscribitur inter illas quæ ad Missæ præparationem inserviunt.

4. *Cristo* scribit hic cod. noster.

5. « Quis locus requietionis meæ est? » Act. Apostolor. VII, 49.

6. « Ubi Pascha cum discipulis meis manducem? et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande stratum, et illic parate nobis. » Marc. XIV, 14. 15; Luc. XXII, 11. 12.

7. *Si vis ut veniam ad te, et apud te maneam :* ita Gence, Enriquez, Caietanus, cæterique omnes. In cod. Cav. legimus *Si vis veniam ad te* absque particula.

8. « Expurgate vetus fermentum. » Epistola I ad Cor. V, 7.

9. « Factus sum, sicut passer solitarius in tecto. » Ps. CI, 8.

10. *Excessus*, italica lingua *eccessi*, *misfatti*, quod in gallica, uti Gence adnotat, *égarements*, *excès*, significat.

11. « Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. » Isai. XXXVIII, 15.

Omnis namque amans suo dilecto amatori optimum et pulcherrimum præparat locum, quia in hoc cognoscitur affectus suscipientis dilectum.

II. Scito tamen te non posse satisfacere huic præparationi, ex merito tuæ actionis, etiamsi per integrum annum ita te praeparares[1], ut nihil aliud in mente haberes.

Sed ex sola pietate[2] et gratia mea permitteris ad mensam meam accedere, ac si mendicus ad prandium vocetur divitis et ille nihil aliud habeat ad retribuendum[3] beneficiis ejus, nisi se humiliando, et gratias sibi agendo[4].

Fac ergo quod in te est[5], et diligenter facito, non ex consuetudine, non ex necessitate, sed cum timore et reverentia et affectu, accipe Corpus dilecti Domini Dei tui dignantis ad te venire.

Ego sum qui vocavi, Ego jussi fieri, Ego supplebo quod tibi deest. Veni et suscipe me.

III. Cum gratiam devotionis tribuo, gratias age Deo tuo, non quia dignus es, sed quia tui misertus sum[6].

Si non habes devotionem[7], sed magis te aridum sentis, insiste orationi, ingemisce, pulsa, nec desistas donec merearis micam, aut guttam gratiæ salutaris accipere[8].

1. *Annum te præpares, et nihil:* ita Geuce, Enriquez, et alii; solus cod. Cav. nobis adhæret.

2. *Ex summa pietate:* ita in cod. Bob.

3. « Cum facis prandium.... noli vocare divites.... voca pauperes.... quia non habent retribuere tibi. » Luc. XIV, 12. 13. 14.

4. *Se humiliando, et regratiando* scripsere Geuce et alii; solus Delfau, *nisi se humiliare et regratiari*, quod est barbarismus italicus, *ringraziare*, proprius sæculi XIII.

5. *Fac quod in te est:* ita Geuce et alii; sed non immerito adverbium fuit hoc loco adbibitum.

6. «Sicut et Ego tui misertus sum.» Matth. XVIII, 33.

7. *Si non habes, sed magis aridum te sentis* ediderunt Enriquez, Rosweyd., Elzevirius, Geuce, adnotans iste quod in aliis codicibus regimen *fervorem*, vel *gratiam*, vel *devotionem*, legitur, uti Delfau et editor 1697 non prætermiserunt.

8. Matth. cap. VII, 7: « Petite et

Tu mei indiges, non ego tui indigeo [1], nec tu me sanctificare venis, sed ego sanctificare venio et meliorare.

Tu venis ut ex me sanctificeris et mihi uniaris, ut novam gratiam recipias a Deo et de novo ad emendationem accendaris.

Noli negligere hanc gratiam [2], semper præpara [3] cum omni diligentia cor tuum [4], et introduc ad te Dilectum tuum.

IV. Oportet autem ut non solum te præpares ad devotionem ante communionem, sed etiam ut te sollicite conserves in ea post Sacramenti perceptionem.

Nec minor custodia post exigitur, quam devota præparatio prius.

Nam bona postmodum custodia optima iterum est præparatio ad majorem gratiam consequendam.

Ex eo quippe valde indispositus quis redditur, si statim fuerit nimis effusus ad exteriora solatia.

Cave a multiloquio [5]; mane in secreto et fruere Deo tuo. Ipsum enim habes quem totus mundus tibi auferre non potest [6].

Ego sum, cui te totum dare debes, ita ut jam

dabitur vobis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. » Notatu dignum quod in hoc capitulo tractatur de præparatione ad communionem, et magister suadet novitio, ut petat, donec mereatur *micam* aut *guttam* gratiæ accipere in communione sub utraque specie, quæ sæculo XIII sæcularibus tribuebatur in Paschate.

1. « Tu, Domine universorum, qui nullius indiges. » II Maccab. XIV, 35.

2. « Noli negligere gratiam quæ est in te. » I Tim. IV, 14.

3. *Sed præpara* : ita Gence et alii, exceptis codd. Bob., Cav., Padolir., edit. 1488, 1608, 1697, ac Caietano.

4. « Præparate corda vestra Domino. » I Reg. VII, 3.

5. « In multiloquio non deerit peccatum. » Prov. X, 19. — « Os suum a malo vel pravo eloquio custodire. Multum loqui non amare. Verba vana aut risu apta non loqui. » Cap. IV Regul. S. Benedicti.

6. « Quis est qui non deliquerit in lingua sua ? » Ecclesiasticus, XIX, 17. — « Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio. » Beati Jacobi epistola, III, 10.

ultra non in te, sed in me absque omni sollicitudine vivas[1].

Quod toto corde anima devota Christi unionem in Sacramento affectare debet[2].

CAPITULUM 13um.

I. Quis mihi det, Domine, ut inveniam te solum, ut aperiam[3] tibi totum cor meum, ut fruar te sicut desiderat anima. Et jam nemo me despiciat[4], nec ulla creatura me moveat vel respiciat : sed tu solus mihi loquaris, et ego tibi, sicut solet dilectus ad dilectum, loqui et amicus cum amico convivari[5]?

Hoc oro, hoc desidero, ut tibi totus uniar, et cor meum ab omnibus creatis rebus abstraham; magisque per sacram Communionem[6], ac frequentem celebrationem cælestia et æterna sapere discam.

At, Domine Deus, quando ero tecum totus unitus et absorptus, meique totaliter oblitus?

Tu in me et ego in te et sic nos in unum pariter manere concede.

II. Vere, vere[7] tu es dilectus meus, electus ex mil-

1. « Vivo autem jam non ego; vivit vero in me Christus. » Paulus ad Galatas, II, 20.

2. *Quod a ima devota toto corde Xpti Yhesū unionem in sacramento affectare debet* : en titulus hujus capituli in cod. Bobiensi; cæteri codices nobiscum concordant.

3. *Et aperiam tibi totum cor meum; et fruar* : ita Gence, Enriquez, cæterique omnes.

4. « Quis mihi det .... te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris.... et jam me nemo despiciat. » Cant. canticorum VIII, 1.

5. « Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. » Exod. XXXIII, 11.

6. *Communionem vel frequentem* : ita cod. Allat., Gence, Delfau; sed Caietanus, Valgravius, Elzevirius, Enriquez et Rosweydus, editiones 1488, 1608, 1697 nobis adhærent, uti codd. Bob., Cav., et Padolir.

7. *Vere tu es dilectus meus* scripsere Gence et alii; est repetitio adverbii aliquid addit affectui.

libus[1], in quo complacuit animæ meæ[2] habitare omnibus diebus vitæ suæ[3].

Vere tu es[4] pacificus meus[5], in quo pax summa et requies vera, extra quem labor et dolor et infinita miseria.

Vere tu es Deus absconditus[6], et consilium tuum non est cum impiis[7], sed cum humilibus et simplicibus sermo tuus[8].

O, quam suavis[9] est, Domine, spiritus tuus[10], qui, ut dulcedinem tuam in filios demonstrares[11], pane suavissimo de cælo descendente[12] illos reficere dignaris.

Vere non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut tu, Deus noster, ades universis fidelibus tuis[13]: quibus ob quotidianum solatium, et cor erigendum in cælum, te tribuis ad edendum et fruendum.

III. Quæ est enim alia gens tam inclyta[14], sicut plebs

1. « Dilectos meus.... electus ex millibos. » Caot. v, 10.

2. « Ecec poer meus quem elegi, dilectos mëus, in qoo bene complacuit aoimæ meæ. » Matth. XII, 18.

3. Anima.... inhabitet in domo toa per omoes dies vitæ soæ. » S. Aug. Coofess., lib. XII, cap. 11.

4. *Vere tu pacificus meus* io aliis editiooibos, omisso verbo.

5. « Rex pacificus. » In Officio Nativitatis Jesu, prima et secuoda antiphona Vespere. — « Princeps pacis natus est nobis. » Isaia, IX, 6.

6. « Deos abscooditos; Deos Israel salvator. » Isai. XLV, 15.

7. « Consiliom meom non est cum impiis. » In Officio Paschatis.

8. « Com simplicibus sermocinatio ejus. » Prov. III, 32.

9. S. Thomas de Aqoioo, an. 1274 mortuus, Oposcul. LIV, in Officio corporis Christi in primis vesperis ad *Magnificat*, incipit iisdem verbis: *Vere tu es dilectus meus:* deio, *O quam suavis est, Domine, spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cælo præstito, esurientes reples bonis:* io Officio Rom. ad vesperas.

10. Qoam boous et suavis. Sap. XII, 1.

11. « Dulcedinem tuam, quam in filios habes, osteudebas. » D. Thomas in Officio ibid. opusc. XVI, 21.

12. « Hic est panis de cœlo descendens. » Joan. VI, 50.

13. « Nec est alia Natio tam grandis, quæ habeat Deos appropioquantes sibi, sicot Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. » Deot. IV, 7. Vid. S. Thomæ Opusc. LVII relat. in IV Lect. Offic. S. Sacramenti.

14. « Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat » etc. Deut. IV, 18.

Christiana? Aut quæ creatura sub cælo tam dilecta ut anima devota, ad quam ingreditur Deus, ut pascat eam carne sua gloriosa?

O, ineffabilis gratia. O, admirabilis dignatio. O, amor immensus, homini singulariter impensus.

Sed quid retribuam Domino[1] pro gratia ista? pro charitate tam eximia?

Non est aliud quod gratius donare queam, quam ut cor meum Deo meo totaliter tribuam, et intime conjungam[2].

Tunc exultabant omnia interiora mea, cum perfecte fuerit unita Deo anima mea.

Tunc dicet mihi: Si tu vis esse mecum, ego volo esse tecum. Et ego respondebo illi: Dignare, Domine, manere mecum, ego volo libenter esse tecum[3].

Hoc est totum desiderium meum, ut cor meum tibi sit unitum.

De quorumdam devotorum ardenti desiderio ad Corpus Christi[4].

CAPITULUM 14um.

1. O, quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te[5].

Quando recordor devotorum aliquorum ad Sacramentum tuum, Domine, cum magna devotione, et af-

1. « Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? » Psalm. cxv, 12.

2. « Cave ne imiteris eos, qui utuntur beneficiis, ut et floribus tamdiu gratis, quamdiu recentibus. » N.A.

3. « Et appropinquaverunt castello... Et coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata jam est dies. Et intravit cum illis. » Lucas, xxiv, 28 et 29.

4. *De ardenti desiderio ad comunionem; cap.* 14. Sic in cod. Bobiensi legimus.

5. « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ » etc. Psalm. xxx, 20.

fectu[1] accedentium, tunc sæpius in memetipso confundor[2] et erubesco, quod ad altare tuum et sacræ Communionis mensam tam tepide et frigide accedo, quod ita aridus sine devotione[3] et affectione cordis maneo, et quod non sum totaliter accensus, coram te, Deo meo, nec ita vehementer attractus et affectionatus[4], sicut multi devoti fuerunt, qui præ nimio desiderio Communionis et sensibili cordis amore a fletu non potuerunt se continere.

Sed ore cordis et corporis pariter ad te, fontem vivum[5], medullitus inhiabant, suam esuriem non valentes aliter temperare nec satiare, nisi Corpus tuum cum omni jucunditate et spirituali aviditate accepissent[6].

11. O, vere[7] ardens fides eorum probabile existens argumentum sacræ præsentiæ tuæ.

Isti enim veraciter cognoscunt Dominum suum in fractione[8] panis, quorum cor tam valide ardet in eis de Jesu ambulante cum eis[9].

1. *Cum maxima devotione et affectu* Gence, Enriquez et alii.

2. *In me ipso confundor:* ita Gence et alii; *In mei ipso*, Delf., edd. 1488, et 1608; soluscodex Cav. nobis consonat.

3. *Quod ita aridus et sine affectione cordis maneo:* ita Enriquez, Gence et cæteri. Notatu dignum quod vocabula *sine devotione* fuerunt adjecta margini post collationem.

4. Jam scripserat *affectus*, uti in pluribus codicibus; inde correxit, uti aperte patet; vox *affectionatus* redolet barbarismum glossatoris itali.

5. «Me dereliquerunt, fontem aquæ vivæ.» Jerem. II, 13.

6. «Quemadmodum desiderat cervus ad fontem aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum, fontem vivum.» Psalm. XLI, 2.

7. *O vera ardens fides:* ita Gence, edit. 1488, Caietanus et alii, sed Delfan, Rosweydus, et edit. 1608 conveniunt nobis.

8. «Cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via.... Cognoverunt eum in fractione panis.» Luc. XXIV, 32. 35. — «Erant perseverantes in communicatione fractionis panis et orationis.» Act. Apost. caput II, 42. — «Quotidie frangentes circa domos panem» etc. Ibid. 46.

9. «Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?» Paulus I ad Corinth. X, 16.

Longe, proh dolor[1], est a me sæpe talis affectus, et devotio tam vehemens ardor[2].

Esto mihi propitius[3], bone Jesu, et dulcis et benigne; concede pauperi mendico tuo vel interdum modicum de cordiali affectione amoris tui in sacra Communione sentire, ut fides mea magis convalescat, spes in bonitate tua proficiat, et charitas semel perfecte accensa et cæleste manna experta, nunquam deficiat.

III. Potens est autem misericordia tua etiam gratiam desideratam mihi præstare[4], et in spiritu ardoris[5], cum dies beneplaciti tui advenerit, me[6] clementissime visitare.

Etenim licet tanto desiderio tam specialium devotorum tuorum non ardeo, tamen de gratia tua illius magni inflammati[7] desiderii desiderium habeo: orans et desiderans omnium talium fervidorum amatorum tuorum participem me fieri, ac eorum sancto consortio annumerari.

Quod gratia devotionis humilitate, et sui ipsius abnegatione acquiritur.

CAPITULUM 15um.

I. Oportet te devotionis gratiam instanter quærere, desideranter petere, patienter et fiducialiter exspe-

1. *Longe est a me sæpe talis affectus*: ita Gence et alii. Observare oportet exclamationem fuisse in Ms. per postillam adjectam, uti in originali repertam.

2. *Tam vehemens amor et ardor.* Fateri fas est amanuensem omisisse vocabulum *amor* in nostro Ms.

3. « Deus propitius esto mihi. » Luc. XVIII, 13.

4. « Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper abundetis. » II Pauli ad Cor. IX, 8.

5. « In spiritu ardoris. » Isai. IV, 4.

6. *Quum dies beneplaciti tui venerit me*: ita Gence, Enriquez, Rosweyd., Elzevirius; cæteri nobis assentiunt, ut et codd. Bobiensis, Padolironis.

7. *Magis inflammati* scripsit Caietanus et editor 1697; aliter, *illius magni desiderij inflamari desiderium habeo*, in cod. Bobiensi.

ctare, gratanter recipere, humiliter conservare, studiose cum ea operari, ac Deo tempus[1] et modum supernæ visitationis, donec veniat, committere.

Humiliare præcipue te debes, cum parum, aut nihil devotionis interius sentis, sed non nimium dejici, nec inordinate contristari[2].

Dat sæpe Deus in uno brevi momento, quod longo negavit tempore.

Dat quandoque in fine, quod in principio orationis distulit dare.

II. Si semper cito gratia daretur, et pro voto adesset, non esset infirmo homini bene portabile[3].

Propterea in bona spe et humili patientia exspectanda est devotionis gratia.

Tibi tamen, et peccatis tuis imputa, cum non datur vel etiam occulte tollitur[4].

Modicum quandoque est quod gratiam impedit et abscondit, si tamen modicum et non potius grande dici debeatur, quod tantum bonum prohibet.

Sed si hoc ipsum[5] modicum vel grande amoveris et perfecte viceris, erit quod petiisti.

III. Statim namque ut te Deo ex toto corde tradideris, nec hoc vel illud pro tuo libitu seu velle quæsieris, sed integre te in illo[6] posueris, unitum te in-

1. *Terminum et modum*: ita Gence, Elzevirios, et Rosweydus, qui ab eodem fonte, ut jam observavimus, hauserunt textum, nempe a cod. Kempensi an. 1441, dum codd. Bub., Cav., Padolir., et cæteri nobis conveniunt.

2. « Domino Deo universorum cum omni humilitate et puritatis devotione supplicandum est. » Cap. XIX Regulæ S. Benedicti.

3. « Confortetur cor tuum, et sustine Dominum. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro. » Cap. VII, ejusdem Regulæ.

4. « Si quis justificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes qui vocantur vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate prædestinatos ad malum, anathema sit. » Sess. VI, Can. XVII Concil. Trident.

5. *Et si hoc ipsum* in omnibus editionibus et codicibus.

6. *Sed integre te in ipso posueris*: ita Gence, Enriquez, et alii.

venies et pacatum, quia nihil ita tibi sapiet[1] et placebit, sicut beneplacitum divinæ voluntatis.

Quisquis ergo intentionem suam simplici corde sursum ad Deum levaverit, seque ab omni inordinato amore, seu displicentia cujuslibet rei creatæ evacuaverit, aptissimus gratiæ percipiendæ, ac dignus devotionis munere erit : dat enim Dominus ibi benedictionem suam, ubi vasa vacua[2] invenerit, et quanto perfectius infimis quis renunciaverit[3], et magis sibi ipsi per contemtum sui moritur, tanto gratia celerius venit, copiosius intrat, et altius cor liberum elevat.

IV. Tunc videbit et affluet et mirabitur et dilatabitur cor ejus in ipso[4], quia manus Domini cum illo[5] est[6], et ipse se posuit totaliter in manu ejus usque in sæculum.

Ecce sic benedicetur homo[7], qui quærit Deum in toto corde suo[8], nec in vanum[9] accipit animam suam[10].

Hic in accipiendo sacram Eucharistiam magnam promeretur divinæ unionis gratiam, quia non respicit ad propriam devotionem, et consolationem, sed[11] ad Dei gloriam et honorem.

1. *Nil ita bene sapiet* scripserunt Gence, cæterique ; nobis videtur clarior sensus in nostra lectione.

2. « Cui mulieri Elisæus ait : Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca. » IV Regum, IV, 3. Vid. S. Bernardus, in Ascensione Domini, Serm. III, de intellectu et affectu, Opp. vol. I.

3. *Quis renunciat* scripsere Gence, Enriquez, Valgravius, Rosweydus, et Elsevirius ; cæteri omnes nobis concordant, exceptis codd. Bob. et Cav.

4. « Tunc videbis, et afflues : et mirabitur, et dilatabitur cor tuum. » Isai. LX, 5.

5. « Manus Domini erat mecum. » Ezech. III, 14. « Etenim manus Domini erat cum illo. » Luc. I, 66. « Et erat manus Domini cum eis. » Act. Apost. XI, 21.

6. *Cum eo et ipse* : ita Enriquez, Gence, Rosweydus, Elzevirius, Valgravius, et cæteri.

7. « Ecce sic benedicetur homo. » Ps. CXXVII, 4.

8. « Beati, qui.... in toto corde exquirunt eum. » Ps. CXVIII, 2.

9. « Qui non accepit in vano animam suam. » Ps. XXIII, 4.

10. *Accipit animam suam* : hisce verbis limitatur cap. XV cod. Allatii.

11. *Et consolationem, sed super omnem devotionem et consolationem*

Quod necessitates nostras Christo aperire debemus et ejus gratiam postulare.

CAPITULUM 16um.

I. O, dulcissime atque amantissime Domine, quem nunc devote desidero suscipere[1], tu scis infirmitatem meam et necessitatem quam patior, in quantis malis et vitiis jaceo; quam sæpe sum gravatus, tentatus, turbatus et inquinatus.

Pro remedio ad te venio, pro consolatione et sublevamine te deprecor : ad omnia scientem[2] loquor, cui manifesta sunt omnia interiora mea, et qui solus potes me perfecte consolare et adjuvare.

Tu scis quibus bonis indigeo præ omnibus et quam pauper sum in virtutibus.

II. Ecce[3] sto ante te pauper et nudus, gratiam postulans et misericordiam implorans : refice esurientem mendicum tuum, accende frigiditatem[4] meam igne amoris tui : illumina cæcitatem meam claritate præsentiæ tuæ[5].

Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia gravia, et contraria in patientiam, omnia infima[6] et creata in contemtum et oblivionem.

ediderunt Gence, Enriquez, Elzevirius, Valgravius, ac Rosweydus, dum cæteri, codd. Bob., Cav., et Padolir., et editiones veteres totidem verbis nobis concordant; unde notare denuo debemus hæc a glossatore Kempis adjecta videri.

1. « Aufer a me omnes iniquitates, ut purificatus mente et corpore digne degustare merear Sancta Sanctorum; et concede, ut sancta prælibatio Corporis et Sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio » etc. Oratio S. Ambrosii ante Missam.

2. « Sciens omnia. » Joan. XVIII, 4.

3. *Ego sto ante te* : sic in cod. Bob.

4. « Fove quod est frigidum; rege quod est devium; da tuis fidelibus, in te confitentibus. » Sacrum septenarium, in Missa Pentecostes.

5. « Nam claritas Dei illuminavit civitatem. » Apocalypsis, XXI, 23.

6. *Infirma* in edit. Taurin. 1831.

Erige cor meum ad te in cælum, et ne dimittas me vagari super terram.

Tu solus mihi ex hoc jam dulcescas usque in sæculum, quia tu solus cibus et potus meus[1], amor meus et gaudium meum, dulcedo mea et totum bonum meum.

III. Utinam me totaliter ex tua præsentia accendas, comburas, et in te transmutes: ut unus tecum efficiar spiritus[2] per gratiam internæ unionis, et liquefactionem ardentis amoris.

Ne patiaris me jejunum et aridum a te recedere, sed operare mecum misericorditer, sicut sæpius[3] expertus es cum Sanctis tuis mirabiliter.

Quid mirum si totus ex te cognoscerem[4], et in me ipso deficerem, cum tu sis ignis semper ardens et nunquam deficiens[5], amor corda purificans et intellectum illuminans.

De ardenti amore, et desiderio[6] vehementi suscipiendi Christum.

CAPITULUM 17[um].

I. Cum summa devotione et ardenti amore cum toto

1. *Cibus et potus meus*: hæc verba clare demonstrant auctorem præcessisse Concilium Constantiense ac decretum 15 junii 1415, ex quo laici a poto sanguinis Christi fuerunt amoti, etiam in Paschate, uti mos erat; idque decretum tractatui Joh. Gersonis contra communionem sub utraque specie, in concilio exhibito, fuit conforme. Vid. pag. 496, *Histoire du Concile de Constance, par Lenfant.* Vid. *Vie de Gerson, par L'Ecuy.*

2. « Qui adhæret Domino, unus spiritus est. » 1 Cor. VI, 17

3. *Sæpius operatus es*: ita Gence, Enriquez, et alii ediderunt.

4. *Ex te ignescerem et in me ipso deficerem*: sic legitur in omnibus editionibus, sola Taurinensi 1831 excepta: ibi *ignoscerem*. Nos fatemur *cognoscerem* in nostro codice mendum esse amanuensis.

5. « Ignis in Altari semper ardebit.... nunquam deficiet. » Levit. VI, 12. 13. — « O amor, qui semper ardes, et nunquam extingueris. » S. August. Confess. lib. X, cap. 29. — « Etenim Deus noster ignis semper consumens est. » Ad Hebræos, XII, 29.

6. *Vehementi affectu*: ita Gence,

cordis affectu et fervore desidero te, Domine: quemadmodum[1] multi Sancti, et devotæ personæ in communicando te desideraverunt, qui tibi maxime in sanctitate vitæ placuerunt, et in ardentissima devotione fuerunt.

O, Deus meus amor æternus, totum bonum meum, felicitas interminabilis: cupio te suscipere cum vehementissimo desiderio et dignissima reverentia, quam aliquis Sanctorum unquam habuit et sentire potuit.

11. Et licet indignus sum omnia illa sentimenta devotionis habere, tamen offero tibi totum cordis mei affectum, ac si omnia illa gratissime[2] inflammata desideria solus haberem.

Sed et quæcumque potest pia mens concipere et desiderare, hæc omnia tibi cum summa veneratione et intimo fervore[3] præbeo, et offero.

Nihil opto reservare mihi, sed me et omnia mea tibi sponte et libentissime immolare.

Domine Deus meus, creator meus et redemtor meus, cum tali affectu et reverentia, laude et honore, cum tali gratitudine, dignitate et amore, cum tali spe, fide, et puritate[4] affecto te hodie suscipere, sicut te

Rosweydus, Enriquez, cæterique omnes; attamen aliquid distat inter affectum et desiderium, uti ex prima paragrapho dignoscitur.

1. *Desidero te, Domine, suscipere, quemadmodum*: sic Gence, Enriquez, Caietanus, etc.; at verbum *suscipere* nihil sensui addit.

2. *Illa gravissima inflammata* in editionibus Elzeviriana, Genceana, et aliis; aut codd. Cav., Padolir., ac Bob., edit. 1488, 1608, 1697, Caietanus, Delfau, et Valgravius nobis assentiunt.

3. *Intimo favore* scripsit Caietanus, juxta codicem Aronensem et editt. 1488, 1608, Valgravium, Elzevirium. Hoc Gence non arridet, uti in nota apposita adparet.

4. *Spe et caritate* jam scripserat amanuensis, quod punctis signavit et correxit, uti legimus in edit. 1488, 1608, 1697, Caietani, Elzevirii, Valgravii, et Rosweydi. Videatur Oratio D. Thomæ ante communionem, ibi: « Te panem Angelorum, Regem Regum, et Dominum Dominantium, tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione, tanta puritate et fide, tali proposito et in-

suscepit et desideravit sanctissima Mater tua, gloriosa Virgo Maria, quando Angelo evangelizanti sibi incarnationis tuæ mysterium humiliter et devote respondit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

III. Et sicut beatus Præcursor tuus excellentissimus Sanctorum, Johannes Baptista in præsentia tua lætabundus exultavit in gaudio Spiritus Sancti, dum adhuc maternis clauderetur visceribus[2]. Et postmodum cernens[3] inter homines Jesum ambulantem[4], valde se humilians, devoto cum affectu dicebat: Amicus autem sponsi, qui stat et audit cum gaudio, gaudet propter vocem sponsi[5]: sic et ego magnis et sacris desideriis opto inflammari, et tibi ex toto corde me ipsum præsentare.

Unde et omnium devotorum cordium jubilationes, ardentes affectus, mentales excessus, ac supernales[6] illuminationes et cælicas visiones tibi offero et exhibeo cum omnibus virtutibus et laudibus, ab omni creatura in cælo et in terra celebratis et celebrandis pro me et omnibus mihi in oratione commendatis, quatenus ab omnibus digne lauderis, et in perpetuum glorificeris.

IV. Accipe vota mea, Domine Deus meus, et desideria infinitæ laudationis et immensæ benedictionis, quæ tibi

tentioni, sicut expedit saluti animæ meæ. » Vid. oratio ante missam.

1. « Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini » etc. Luc. I, 38.

2. « Exultavit in gaudio infans in utero meo. » Ibid. 44.

3. *Et postmodum cernens juxta mare Jesum ambulantem valde se humilians* etc. edidit Delfau ipse solus, quod adnotat clarissimus Gence in suis commentariis pag. 337.

4. « Et respiciens Jesum ambulantem. » Joan. I, 36.

5. « Amicus autem sponsi qui stat et audit eum, gaudio gaudet, propter vocem sponsi. » Joan. III, 29. Sed noster Auctor sensum immutavit uti mos erat ad SS. Patrum exemplum.

6. *Supernaturales illuminationes* ediderunt Gence ac Delfau, contra lectiones codd. Aronensis, Bobiensis, Padolir., et edd. 1608, 1697.

secundum multitudinem ineffabilis magnitudinis[1] tuæ jure debentur.

Hæc tibi reddo et reddere desidero, per singulos dies et momenta temporum, atque ad reddendum mecum tibi gratias et laudes omnes cælestes spiritus[2] et cunctos fideles tuos precibus et affectibus invito et exoro.

v. Laudent te universi populi, tribus, et linguæ[3], et sanctum et mellifluum nomen tuum cum summa devotione et ardenti jubilatione magnificent[4].

Et quicumque reverenter ac devote altissimum Sacramentum tuum celebrant et plena fide recipiunt, gratiam et misericordiam apud te invenire[5] mereantur, et pro me peccatore suppliciter exorent.

Cumque optata devotione, ac fruibili unione potiti fuerint, et bene consolati, ac mirifice refecti de sacra mensa cælesti abscesserint, mei pauperis recordari dignentur[6].

Quod homo non sit curiosus scrutator Sacramenti, sed humilis imitator[7] Christi, subdendo sensum suum sacræ fidei.

CAPITULUM 18um ET ULTIMUM[8].

1. Cavendum est tibi a curiosa et inutili perscruta-

1. « Laudate eum in virtutibus ejus, laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus. » Ps. CL, 2.

2. « Omnis spiritus laudet Dominum. Alleluja. » Psalm., ibid. 6.

3. « Omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient. » Daniel. VII, 14.

4. « Magnificabatur nomen Domini Jesu. » Act. XIX, 17.

5. « Ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus. » Hebr. IV, 16. — « Ut possimus invenire misericordiam tuam. » Daniel. III, 39.

6. Observat eruditus Gence hic claudi in cod. Cavensi librum quartum de Sacramento altaris. Attamen animadvertendum est titulum ultimi capitis minio scriptum legi, et duæ nitidæ membranæ exstant adhuc ad perficiendum opus.

7. *Humilis imitator* : sequentia verba non legimus in cod. Bob.

8. Nullibi exprimitur hoc capitulum esse XVIII *et ultimum*, quod

tione hujus profundissimi Sacramenti, si non vis in dubitationis profundum mergi[1].

Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria[2]. Plus valet Deus operari, quam homo intelligere potest.

Tolerabilis[3] est pia et humilis inquisitio veritatis, parata semper doceri, et super sanas Patrum sententias studentis ambulare.

11. Beata simplicitas, quæ difficiles quæstionum relinquit vias, et plana ac firma pergit semita mandatorum Dei[4].

Multi devotionem perdiderunt, dum altiora scrutari voluerunt[5].

Fides a te exigitur et sincera vita, non altitudo intellectus, neque profunditas mysteriorum Dei.

Si non intelligis, nec capis, quæ infra te sunt, quomodo comprehendes quæ supra te sunt[6]?

probat primævam originem nostri codicis, contra opinionem D. Gence, qui existimat Eucharistiæ argumentum non esse proprium hujus tractatus ac dissimilis esse Auctoris.

1. *Demergi* legimus in cod. Bob. « Si quis dixerit peracta consecratione in admirabilis Eucharistiæ sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, anathema sit. » Can. IV, sess. 13 Concilii Tridentini.

2. Prov. XXV, 27 : « Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum, sic qui scrutator est majestatis, opprimitur a gloria. »

3. *Tolerabilis, pia et humilis inquisitio veritatis parata semper doceri* : ita in pluribus editionibus; solus Delfau expressit verbum substantivum desideratum a claro Gence, cui liceat observari versionem italicam, *pietosa è*, non respondere latino sermoni *parata est*, sed melius *pia est*, ut in nostro codice.

4. « Deduc me in semitam mandatorum tuorum. » Psalm. CXVIII, 35.

5. « Altiora.... ne scrutatus fueris. » Eccl. III, 22. — « Tria sunt mirabilia, Deus et Homo, Mater et Virgo, Trinus et Unus. » Hanc inscriptionem vidi super portam marmoream, n° 27, Romæ, via S. Mariæ Majoris, an. 1812. Unde vel credendum, vel a fide est recedendum. A. N. « Ad quid dialectica religionem bonus decorare se credit, ubi magis per dialecticam religio fœdatur? » Gregorius Nazianzenus in libello de Arrianis.

6. Plurima sunt arcana naturæ inintelligibilia, dum sub oculis renovantur phænomena, igitur audentioris est animi perscrutari mysteria. N. A.

Subdere Deo[1] et humilia sensum tuum fidei[2], et dabitur tibi scientiæ lumen[3], prout tibi fuerit utile et necessarium.

III. Quidam graviter tentantur de fide ac Sacramento, sed non est hoc ipsis imputandum, sed potius inimico.

Noli curare, noli disputare cum cogitationibus tuis, nec ad immissas a diabolo[4] disputationes et dubitationes responde. Sed crede verbis Dei. Crede Sanctis ejus, et prophetis[5], et fugiet a te nequam inimicus[6].

Sæpe enim[7] multum prodest, quod sustinet talia servus Dei. Nam infideles et peccatores non tentat, quos secure jam possidet: Fideles autem devotos variis modis tentat, et vexat.

IV. Perge ergo[8] cum simplici et indubitata fide, et cum simplici reverentia ad Sacramentum accede[9].

1. *Subde te Deo* Enriquez, Rosweydus, Elzevirius, et editt. 1488 et 1609. Cæteri concordant nobis; in solo cod. Bob. *subdere Deo* legimus.

2. « In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. » II Cor. x, 5.

3. « Si non credideritis, non permanebitis. » Isai. VII, 9. « Ut sciatis et intelligatis. » Idem XLIII, 10.

4. *Nec ad immissas a Diabolo dubitationes responde, sed crede verbis:* ita Gence, Enriquez, et alii, omisso vocabulo *disputationes* quod non inconsulto fuit adhibitum.

5. « Credite in Domino Deo vestro et securi eritis.... credite Prophetis ejus. » II Paral. XX, 20.

6. « Resistite Diabolo, et fugiet a vobis. » Jacob. IV, 7.

7. *Sæpe multum prodest*, absque adverbio, in pluribus editionibus.

8. *Perge igitur* scripsit Enriquez. *Perge ego* edidit Gence; ast Delfau, *Ergo cum simplici et indubitata fide, et cum simplici reverentia ad* etc.; Caietanus, *Pergo cum simplici* etc. scripserunt; dum cæteri nobis consonant, et præcipue Bob. codex.

9. «Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte: certe quo magis sanctitas et divinitas cœlestis hujus Sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus « *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dejudicans Corpus Domini.* » Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum *Probet se ipsum homo.* Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus

Quidquid intelligere non vales, Deo omnipotenti secure committe.

Non fallit te Deus; fallitur qui sibi nimium credit.

Graditur Deus cum simplicibus[1]; revelat se humilibus[2], dat intellectum parvulis[3]; aperit sensum puris mentibus[4], et abscondit gratiam curiosis et superbis[5].

Ratio humana debilis est, et falli potest; fides autem vera falli non potest.

v. Omnis ratio et naturalis investigatio fidem sequi debet, non præcedere, nec infringere.

Nam fides et amor[6] ibi maxime præcellunt, et occultis modis in hoc sanctissimo[7] et superexcellentissimo Sacramento operantur.

Deus æternus, et immensus infinitæque potentiæ, facit magna et inscrutabilia in cælo et in terra[8]; nec est investigatio mirabilium operum ejus[9].

Si talia essent opera Dei, ut facile ab humana

sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare hæc Sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris; quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quam primum confiteatur. » Cap. VII Sess. 13 Conc. Trid.

1. « Cum simplicibus sermocinatio ejus. » Prov. III, 32. — « Proteget gradientes simpliciter. » Prov. II, 7. — « Simplices filii Dei. » Ad Philip. II, 15.

2. « Revelasti ea parvulis. » Matth. XI, 25; totidem verbis Luc. X, 21.

3. « Illuminat et intellectum dat parvulis. » Psalmus CXVIII, 130.

4. « Aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas. » Luc. XXIV, 45.

5. « Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus. » Matth. XI, 25. — « Et revelasti parvulis. » Luc. X, 21.

6. *Nam fides et amor maxime* : ita Gencé ipse solus, omisso adverbio *ibi* quod legitur ubique.

7. *In hoc sacratissimo et superexcelentissimo* legimus in cod. Bob.

8. « Qui facit magna, et inscrutabilia. » Job. V, 9, et alibi. — « Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in cœlo, et in terra. » Psalm. CXXXIV, 6.

9. « Nec est investigatio sapientiæ ejus. » Isai. XL, 24. — « Mirabilia opera Altissimi solius; et gloriosa, et absconsa, et invisa opera illius. » Ecclesiasticus, XI, 4.

ratione caperentur, non essent mirabilia [1] nec inscrutabilia dicenda. Amen [2].

1. *Non essent ineffabilia dicenda* ediderunt Gence, Enriquez, et alii; solus editor 1488 scripsit *Non essent mirabilin dicenda;* sed pro uostra lectione textos est scripturæ ubi ait, *imperscrutabilin* sunt judicis Dei.

2. *Amen:* frequenter vocabulum a monachis adhibitum est uti in cap. xi Regulæ Bened.: «Respondeant omnes, *Amen.*» Quod erat juxta ritom *Mozarabicum*, uti jam cum Calmeto diximus. Codex Allatianus post hoc capitulum addidit sequentia; 1° *Oratio invitatoria præcipua de sanctissimo Sacramento,* cap. xix; 2° *Duo considerare debemus*, cap. xx; 3° *De Sacramento,* cap. xxi. *Vigesimum primum Explicit. Augustinus de Vanitate sæculi*, etc. — In cod. Bobiensi legimos *Explicit Deo laus et beatissime Marie Virgini.* Adest ibi tractatus asceticus, sine titulo, nec indicatione capitum. *Quoniam carrissime in hujus miserabilis vite fugientis erumpnossa via sumus* etc. In cod. Padolironis scribitur *Deo gratia et nunc et in perpetuum. Amen. Explicit liber quartus Johannis Gersen de Sacramento Eucharistiæ.* Vid. Tab. V Speciminum, pag. xxxvi.



CODEX DE-ADVOCATIS

SÆCULI XIII.

RUBRICÆ CAPITULORUM.

HÆ SUNT RUBRICÆ PRIMI LIBRI.

1. *De dilectione* legimus in Cod. Lebeufiensi relato N. XXVIII, uti et in Bob.

HÆ SUNT RUBRICÆ SECUNDI LIBRI.

HÆ SUNT RUBRICÆ TERTII LIBRI.

1. Scripserat de *Conditione humanæ miseriæ*, sed hic immutavit.
2. Manifeste erravit noster Amanuensis.
3. Juxta Cod. Aronensem et Edd. Delfau, Valart, etc.

1. Ita in Cod. Padolironis et in pluribus editionibus.
2. *De humili* in Cod. Lebeufiensi solo.
3. Scripserat *ponderanda*, sed lineolis delevit.

1. In libri Capitulo 24 scripserat *vita*, sed hic emendavit.
2. Non inconsulto vocabulum *tentatione* adjecit.

1. Erravit Amanuensis hoc loco scribendo *nova* in Cod.
2. Invertit constructionem tituli capitis.

HÆ SUNT RUBRICÆ QUARTI ET ULTIMI LIBRI.

1. Emendavit hoc loco vocabuli *dignum* repetitionem, uti in Capitulo.

2. Codex Lebeufiensis habet Capitula LXIII, nec liber quartus reperitur, dum Codex Allatianus enumeravit LXIV, uti pag. 277 adnotavimus.

Explicit liber quartus et ultimus de Sacramento altaris.

1. Vid. Cap. 12 ubi *Cristo* italice scripserat.

2. Propter similitudinem arabici numeri 14 cum 15 hoc loco erravit scriba codicis De-Advocatis; hæc quidem similitudo alios in errorem induxit.

ELENCHUS

CONTINENS

VOCABULA CORRUPTÆ LINGUÆ LATINÆ, QUÆ IN CODICE DE-ADVOCATIS EXTANT.

Abitiam, abyssalibus, abscente, abscunditam, abscuris, accediosi, accerbatur, accipissent, addicetur, affuturam, agittare, aliquit, amicicia, anichilare, aput, arciori, archam, archana, asistat.

Babtiste.

Caritas, cassula, circha, circuicionibus, cognoscho, collorare, comisis, comittenda, comuni, comunio, comunicare, conciencia, concientia, concta, conctis, confondor, conffissus, confussio, confussiones, conruptione, conscentionem, conscilium, conspitio, contempnere, contrattare, contrictione, cotidianis, Cristo, curcre.

Dampnatis, debittas, deffendit, defficiunt, deffui, deicimus, deitiar, descere, dessolatum, destractionis, destricta, dignor, diffinita, diffinitionem, difformatam, dillectum, dilligentia, dilligunt, discentiones, disperas, divicijs, duricia, dyabolus.

Efficatia, elleva, elligere, elligisti, errectum, exibeo, exstimes, exuriens.

Fallatias, fameliarcs, fantasie, fantasmata, fidutie, flagitto, fondere, fragilles.

Gazofilatio, genhena; gira-me.

Habondantia, harissime, hedificabilia, honus, hostium.

Incircho, ieiunium, ilesus, imittari, imo, imolare, impacientem, impacientiam, imppeditus, inclina, incontanter,

inemptias, inhertia, inmaculatus, inscipiens, iocundum, iubilossis, iudicandum, iudita, iuditia, iuditum.

Yhesu, Yhesum, ymaginem, ymaginor, ymo, ymolatio.

Langores, legiptima, legiptime, leticiam, littes, loqutiones, loqutus.

Malicia, maliciosissime, medulis, meglius, mellius, michi, milibus, miscerere, miscerijs, misser, mittigare, mondanus, mondet, mondus, mondj, multociens.

Negleto, negocijs, nequicia, nichil, nitteremus, nittitur, novicij, nudius-tercius, nundum.

Obluqutiones, obprobriis, occiosus, offerro, onipotenti, opptinere, opportet, oretenus.

Paciendum, pacientia, particulari, Pasca, paser, perdicione, perhemne, perplescos, perplesos, pertinatie, peticiones, pleps, preciosi, precipisti, presentia, prestatis, prohicias, propetenus, propiciationem, pulcra, pulcritudo.

Queadmodum, querella, quic-quid, quic-quit, quic-quot, quotiens, quottidiana, quottidie.

Recolecti, recunciliatio, recunciliatur, refferre, refficere, reffugium, requieschat, revelles.

Saciari, sathaga, sathane, satisfacionis, satisffacio, scolis, segutus, sentierint, sequtus, sintilla, solacium, spaciandum, spetialis, spetialiter, spetie, spetiosa, stulticia, subcumbam, subitto, subpeditare, substentaculum, substinere, substinenda, successibus, sulphure, summam, supprema.

Temptatio, tertij, tociens, tocius, tollerantia, tollerare, tondendum, tradde, transendens, transffere, tranquilitas, trattatus, tristicia, trono.

Veh, vellit, velud, versucijs, vicijs, vigilla, villa, viuifici, vollumus.

Xptus, Xpti, Xptum, Xpstus.

Zenobita.

EMENDANDA IN SECUNDA EDITIONE.

Pag.	*Errata.*	*Lege:*
9.	Silicet	Scilicet.
13.	Interoga	Interroga.
40.	Fameliares	Familiares.
65.	Negociis	Negotiis.
69.	Pacientia	Patientia.
116.	Que tanta	Quæ tanta.
140.	Cecitatem	Cæcitatem.
173.	Jesus	Jesu.
178.	Defnita	Definita.
207.	Accepitur	Accipitur.
216.	Negociis	Negotiis.
220.	Infirmatibus	Infirmitatibus.
301.	Martinus	Martenus.

N. A. Difficillimum erat veterem orthographiam iam accurate corrigere, ut nullæ in hac secunda editione mendæ remanerent: unde commissarum a benevolo lectore veniam speramus.

ABBREVIATIONUM INDICULUS.

A. N.	Auctoris nota.
Cod.	Codex.
Codd.	Codices.
Ed.	Editio.
Edd. Editt.	Editiones.
Paralip.	Paralipomenon.
Rom.	Ad Romanos.
Tob.	Tobias.

INDEX.

CODEX DE-ADVOCATIS

SÆCULI XIII.

INDEX

RERUM ET VERBORUM LOCUPLETISSIMUS.

Numeri rom. et arab. juncti libros et capitula, arabici soli paginas notarum, romani soli Præfationem indicant.

A.

F.

G.

I.

M.

N.

Q.

R.

S.

T.

U.

W.

X.

Z.



Ouvrages

DU MEME AUTEUR.

FORMULES DES ACTES JUDICIAIRES par-devant les Tribunaux de première Instance et d'Appel français. 1 vol. in-8. *(Troisième Édition.) Turin*, 1802.

FORMULES DES ACTES DE CONSEIL DE FAMILLE, à l'usage des Juges-de-Paix, et sur l'Expropriation forcée. 1 vol. in-8. *Asti*, 1806.

PRATICA CRIMINALE, secondo il Codice d'Instruzione colle formole d' ogni atto, ed appendice sulla Espropriazione forzata. 1 vol. in-8. *Roma*, 1812.

NÉCROLOGIE DES TROIS ILLUSTRES PIÉMONTAIS, le sénateur *La Grangia*, *Bodoni*, *Denina*, décédés en 1813, 1 vol. in-8. *Verceil*, 1814.

VIE DU CHEVALIER DURANDI, Président de la Chambre des Comptes. 1 vol. in-8. *Turin*, 1817.

DE LA CULTURE DU RIZ, ses avantages et sa législation. 1 vol. in-8. *Turin*, 1818, et Paris, chez Huzard.

LO SPECCHIO DELLA DAMA CHRISTIANA. 1 vol. in-12. *Turin*, 1819.

STORIA DELLA VERCELLESE LETTERATURA ED ARTI. 4 vol. in-4, avec 72 gravures. *Turin*, 1824.

MÉMOIRE SUR LE VÉRITABLE AUTEUR DU LIVRE DE L'IMITATION DE JÉSUS-CHRIST. *Paris*, 1827.

RECUEIL DE CIRCULAIRES ET INSTRUCTIONS MINISTÉRIELLES concernant le Code civil. *Paris*, 1829.

PROJET DE CODE PÉNAL UNIVERSEL, suivi du système pénitentiaire. 1 vol. in-8. *Paris*, 1832.







